RITUS ORIENTALIUM,

COPTORUM,

SYRORUM ET ARMENORUM,

IN ADMINISTRANDIS SACRAMENTIS.

EX

ASSEMANIS, RENAUDOTIO, TROMBELLIO

ALIISQUE FONTIBUS AUTHENTICIS COLLECTOS,

PROLEGOMENIS NOTISQUE CRITICIS ET EXEGETICIS INSTRUCTOS,

CONCURRENTIBUS NONNULLIS THEOLOGIS AC LINGUARUM ORIENTALIUM PERITIS

EDIDIT

HENRICUS DENZINGER,

PHIL. ET SS. THEOL. DOCTOR ET IN UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI THEOLOGIAE DOGMATICAE PROFESSOR PUBL. ORD.

TOMUS SECUNDUS. II

WIRCEBURGI,

TYPIS ET SUMPTIBUS STAHELIANIS.

MDCCCLXIV.

Index.

RITUS SACRARUM ORDINATIONUM.

Ritus ordinationum ecclesiae Alexandrinae Jacobitarum.

(Ordinationes Coptitarum primus latine a. 1647. transtulit ex Coptico et Arabico Athanasius Kircher S. J., ex codice ad Congregationem de Propaganda Fide ex Aegypto transmisso, qui rituale a Gabriele patriarcha ordinatum exhibebat, ordinationes nempe lectoris, subdiaconi, diaconi, presbyteri, archidiaconi et hegumeni, et allocutiones quasdam ad ordinatos; ediditque cum caeteris partibus sub titulo: Rituale ecclesiae Aegyptiacae, sive Cophtitarum, inter Leonis Allatii Σύμμικτα Bartoldus Nihusius Coloniae Agrippinae 1653 p. 239. sqq. Quae, exceptis allocutionibus, recusa fuerunt a Joanne Morino in celeberrimo opere de sacris ordinationibus. Descriptionem quamdam rituum, junioris tamen formae, gallice edidit Vanslebius, in suo opere Histoire de l'église d'Alexandrie Paris 1677. Part. 4. sect. 2. c. 1—7. p. 162. sqq. Post vero Renaudotius consecrationem episcopi, metropolitae et patriarchae Alexandrini, quae deerant apud Kircherum, transtulit ex duplice codice MS. bibliothecae Seguerianae, tum Coislinianae Sangermanensis, demum Regiae Parisiensis (Montfaucon Bibliotheca bibliothecarum p. 1045), et patriarchae quidem consecrationem in dissertatione de patriarcha Alexandrino ad calcem Tomi I. Liturgiarum orientalium p. 441. sqq., simulque eundem ritum ex Ebnassalo p. 393. sq. 399. et Abulbircato excerptum p. 395. sqq. typis evulgavit; episcoporum vero et metropolitarum consecrationem ab eo translatam in ejus opere MS. de sacris ordinationibus deteximus cum altera Abulbircati recensione. Denique Josephus Simonius Assemanus Coptitarum ordinationes ad lectoratum, subdiaconatum, diaconatum, presbyteratum et episcopatum, omissis partibus minus principalibus, ex arabica codicum Vat. Copt. 13. et 25. versione transtulit in Dissertazione della nazione dei Copti e della validità del sacramento dell' ordine presso loro 1733 c. 6, quam dissertationem eo usque ineditam Eminentissimus Maius typis vulgavit in Scriptorum veterum nova collectione T. V. P. II. p. 209. sqq. Nos, ut integram versionem ex ipso Coptico originali, redditis etiam graecis vocibus, quae inter Copticas retentae sunt, exhiberemus, ordinationes transferri curavimus a Scholzio nostro ex Tukiano pontificali, quod cum Kirchero et Assemano plane consonum est. Quam versionem, additis caeterorum varietatibus, et iis, quae ab aliis propria tradita sunt, in sequenti-

bus edimus. Ut autem ea, quae apud Assemanum sunt, appareant, cum non omnia ex codicibus verterit et ediderit: ea quae apud eum desunt in ordinationibus ab eo vulgatis, uncis notavimus. Kircheri variantes parcius addidimus, cum pro temporis sui conditione passim minus recte verterit.)

[Cum Deo (σὺν Θεῷ). Arabs: In nomine Dei.[1] *)

Ordo (ἀκολουθία) ordinationis anagnostae (i. e. lectoris), qui fiet post amplexum[2] (ἀσπασμός)].

Quando sistitur ordinandus in anagnosten, constituatur sine tunica ante altare, capite nudo[3] *et cervice profunde inclinata*[4]. *Episcopus* („Ἐπίσκοπος" *ita semper*) *super gradum* (ὑποπόδιον) *altaris. Qui eum in medium producunt (praesentant)* **), *faciunt ei*[5] *inclinationem profundam*[6] (μετάνοια) ***). *Episcopus dicit eis:* Vosne testamini, hunc dignum esse hoc ordine in veritate? *Hi vero respondebunt et testabuntur:* Certe, Pater noster, dignus est. — *Deinde sume tibi forficem* (ψαλίς), *fac quinque cruces* (σταυρός) *super eo*[7]: *unam in medio capitis ejus, quattuor autem* (δέ) *in quattuor partibus*[8] *capitis ejus, et dices nomen sanctae Trinitatis* (τριάς).[9] *Impone thus*[10], *dic gratiarum actionem, et orationem* (εὐχή, *ita semper*) *thuris et conjunge ei hanc aliam orationem versa facie tua ad occidentem* ****).

Suppliciter rogamus et obsecramus te Dominator Domine Deus omnipotens[11] (παντοκράτωρ, ita semper), suscipe tibi servum tuum N. (talem) in anagnosten in Ecclesia tua, da ei intellectum veritatum tuarum[12], concede ei in timore tuo tibi servire, fac eum dignum, qui tangat vasa (σκεῦος), et sit anagnostes honorabilis coram te, et per hoc iterum consequatur misericordias tuas et miserationes tuas[13] cum iis, qui placuerunt tibi a saeculo: quia est misericordia in beneplacito tuo et te decet (πρέπει) honor ab omnibus et adoratio (προςκύνησις), Pater et Fili et Spiritus (πνεῦμα ita semper) Sancte nunc et semper et usque in saecula saeculorum omnium. Amen.

Archidiaconus dicit: Orate (Ὁ Ἀρχιδιακων λέγει· Προςεύξασθε).

---

[1] K. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Dei unius. Liber rituum consecrationum sive ordinationes ad sacerdotium tantum. — [2] K. deest qui fiet post amplexum. — [3] K. obvelato; A. operto. — [4] A. deest et cervice profunde inclinata. — [5] A. pro eo. — [6] K. detrahunt ei operimentum. — [7] A. K. tondet caput ejus in quinque cruces. — [8] A. K. lateribus, deest quatuor. — [9] K. In nomine Trinitatis sanctae. — [10] A. K. deest impone thus. — [11] K. A. deest omnipotens. — [12] K. super justitia et aequitate tua, A. in tua justitia. — [13] K. A. deest et miserationes tuas.

*) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Kirchero, Assemano et Vanslebio.

**) Ex Vanslebio, qui ordinandum sistunt, sunt archidiaconus et duo lectores.

***) Id est ex Vanslebio, qui sistunt coram patriarcha prosternuntur tunc qui ordinandus est. Tunc patriarcha ex eodem lectionem S. Pauli legendam ei tradit, quod si recte peregerit, ordinatur.

****) Id est ad virum ordinandum; nam altare est positum ad orientem, ordinandus stat coram altari; adeoque ad occidentem altaris est. (Assemanus).

Dic hanc orationem facie tua conversa ad orientem:

Deus magne[1], dives in donis (δωρεά) tuis*), qui donasti Ecclesiae tuae ordines (τάγμα),et constituisti eos in ea per gradus[2] (βαθμός) hujusce liturgiae[3] et effudisti dona (δωρεά) tua super servos tuos secundum (κατά) sanctitatem, qua sanctificasti eos[4]: servum tuum N. hunc[5], quem vocasti ad lectoratum, dignare (καταξιόειν) implere omni sapientia (σοφία), et intelligentia omni, ut meditetur (μελετᾷν) eloquia tua divina et officium lectoris; custodi[6] eum in conversatione (πολητια = πολιτεία) irreprehensibilem, perfice eum in donis tuis immutabilem[7] per misericordias tuas et miserationes unigeniti (μονογενής) tui Filii et Spiritus Sancti, nunc. —

Converte te ad occidentem, tene tempora ejus, deinde dic.:

Deus magne et amator hominum, tenens universa manu tua (textus: „sua" ut supra) et effundens spiritum tuum super omnes, possidens omnia in virtute tua[8]: illumina[9] faciem tuam super servum tuum N. stantem in conspectu tuo, qui oblatus (προςφέρειν) est tibi ad annuntianda[10] eloquia tua sancta veteris (παλεα = παλαιά) et novi (γεννη = καινή) Testamenti (διαθήκη), ut (ὡς δε = ὥςτε) annuntiet (κυρίζειν = κηρύσσειν) mandata (πρόςταγμα) tua populo (λαός) tuo[11], et erudiat eos in eloquiis tuis sanctis, ex quibus est salus et sanitas animarum (ψυχή) eorum. Ita, Domine, instrue eum in narrationibus (διήγημα) tuis[12], illumina oculos cordis ejus lumine mandatorum (ἐντολή) tuorum, dona ei cor humile, ut legat et meditetur (μελετᾷν) in eis ad institutionem eorum, qui ipsum audiunt, ad gloriam et honorem regni tui, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc — etc.

Iterum (πάλιν) converte te ad occidentem, tene tempora ejus (et) dic:

Dominator Domine Deus omnipotens, qui praescis (praescit etc., ut supra) numerum[13] electorum tuorum in universo mundo (κόσμος) et prior vocasti eos (praevenisti vocare), qui elegisti Esdram (Ἔστρα) servum tuum et dedisti ei sapientiam (σοφία), ut legeret legem (νόμος) tuam populo tuo: tu iterum nunc elegisti servum tuum N. hunc, qui statuitur[14] lector. Da ei sapientiam (σοφία) et spiritum (πνεῦμα) propheticum (προφητία = προφητεία), ut agat curam (μελέτη) verborum tuorum[15] sanctorum ad populum (λαός) tuum[16] in habitu (πολητια = πολιτεία-mores) irreprehensibili[17], in gratia et humanitate unigeniti Filii tui Domini nostri et Dei nostri[18] et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi, per quem etc.

Post haec da ei librum, ut ferat eum[19] super pectus suum; et oscu-

---

1 K. A. deest: magne. — 2 A. K. coram te. — 3 A. ad hoc ministerium; K per hoc mysterium. — 4 A. K. deest: et effudisti . . . . eos. — 5 A. K. add.: coram te in omni pietate ac puritate stantem. — 6 A. ut in divinis eloquiis tuis meditetur; et in officio lectoris conserva. — 7 A. absque offensione. — 8 A. K. cujus potestate cuncta continentur. — 9 A. K. ostende. — 10 A. add. populo tuo. — 11 K. A. deest ut annuntiet . . . . . populo tuo. — 12 A. ostende ei splendorem vultus tui; K. Benignum te fac, ostendendo ei pulchritudinem splendoris tui. — 13 A. ordinem. — 14 A. ordinatus est, K. signatus est. — 15 A. K. operetur verba tua. — 16 A. sancte ea praelegens populo tuo. — 17 A. in virtute immobili. — 18 A. K. deest Dei nostri. — 19 K. Evangelium.

*) In originali ex more Coptorum usurpatur persona tertia pro secunda, suis pro tuis; usque ad duo puncta. Et ita deinceps S.

latur altare et manum episcopi et eorum, qui ei adsistunt. Detur ei de mysteriis (μυστήριον) *sanctis*). Non imponatur manus super eum, sed* (ἀλλά) *archidiaconus*[1] *legit super eum hanc catechesin* (κατήχησις):

Mi fili, primus gradus (βαθμός) est hic Sanctuarii[2] (ἱερατεῖον), [ad quem promotus es[3]. Decet te scire singulas lectiones (ἀνάγνωσις) scripturarum (γραφή) sacrarum, divinitus inspiratarum, quae tibi commissae sunt ad erudiendum (κατηχεῖν) populum in eis. Magnum enim opus est hoc. Necesse (χρια = χρεία) est, eum, qui constitutus (= ordinatus) est, esse quemadmodum lucernam lucentem super candelabrum (λυχνία), ne[4] (ἵνα μήπως) impleas aures audientium te iis quae legisti, ipse autem (δέ) reprobus (ἀδόκιμος) sis[5], sed (ἀλλά) recordare semper verbi Domini dicentis: Qui legit intelligat, ut ita (ὅπως οὖν) per profectum (προκοπή) tuum sanctum et promotionem in hunc gradum (βαθμός)[6] videant bonitatem tuam, qui suffragium (ψήφισμα) dederunt super te[7], (et) praesentent te ad gradum altiorem hoc, ut ita (ἵνα οὖν) gloria sit iis, qui te in medium duxerunt, quia (ὡς) bene dederint suffragium (ψήφισμα) de te opportune (κατὰ καιρός), secundum ordinem[8] (κατὰ ἀκολουθία) in Christo Jesu Domino nostro, per quem etc].

De ordinatione subdiaconi.**)

Cum (ὅτε) *vocabitur subdiaconus* (ὑποδιακών), *constituitur ante altare sine* (χωρίς) *tunica, inclinato capite profunde, genuflectat cum iis, qui ipsum in medium duxerunt coram episcopo super gradus altaris. Deinde* (τότε) *episcopus imponat thus, dicat gratiarum actionem et orationem thuris*[9] *et conjungat cum ea hanc etiam orationem* (εὐχή) *facie conversa ad orientem:*

Domine Deus virtutum, qui adduxisti nos in sortem (κλῆρος) ministerii (διακονία) hujus, qui constituisti[10] mentem (νοῦς) hominum et scrutaris corda et renes: exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum et purifica nos ab omni immunditia carnis (σάρξ) et spiritus (πνεῦμα), dele nubem peccatorum nostrorum et iniquitatum (ἀδικία) nostrarum quemamodum tenebras (γνόφος i. e. tenebrosam Arabs vertit: sicut fumum)[11], imple nos virtute divina et gratia unigeniti Filii tui et virtute (ἐνέργεια) Spiritus Sancti tui, simus sufficientes (ἱκανός) ministerio (διακονία) huic novi testamenti (διαθήκη), ut (ἵνα) valeamus digne sustinere[12] nomen sanctum tuum, stemus et administremus sacerdotium mysteriorum (μυστήριον) tuorum[13] sanctorum divinorum[14], neve simus socii peccatorum alienorum; et dele, quae nos ipsi

---

[1] K. A. deest archidiaconus. — [2] K. add. vocaturque ingressus ad eam. — [3] K. deest, ad . . . . es. — [4] K. et. — [5] K. et quae de iis praeleges eis; deest ipse . . . . sis. — [6] K. deest ita . . . . gradum. — [7] K. add. aedificenturque exemplo tuo. — [8] K. in veritate. — [9] A. deest orationem thuris. — [10] A. excedis. — [11] A. K. nebulam. — [12] A. K. exaltare. — [13] A. mysteria tua, deest sacerdotium. — [14] A. deest divinorum.

*) Non ingreditur in Heikel (sanctuarium), ait Vanslebius, communionem tamen ante laicos accipit.

**) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Kirchero, Assemano et Vanslebio.

debemus, et da nobis, Domine noster, ne faciamus perversa, sed (ἀλλά) largire (χαρίζεσθαι) nobis intelligentiam (γνῶσις) veritatis[1], ut loquamur, quae digna sunt, et accedamus ad altare (θυσιαστήριον) sanctum tuum, et suscipe subdiaconatum[2] servi tui[3] N. qui stat hic integer[4] et exspectat donum (δωρεά) tuum coeleste (ἐπουράνιον), quia tu bonus (χρηστός) multum misericors (es) omnibus invocantibus nomen sanctum tuum, et magna est potestas tua et unigeniti tui Filii Jesu Christi Domini nostri et Spiritus Sancti, nunc et semper etc.

Archidiaconus dicit. (Ὁ Ἀρχιδιάκων λέγει):

Gratia Domini nostri Jesu Christi[5], quae supplet defectus nostros, veniat super fratrem, cujus nomen ante diximus, ad gradum (βαθμός) et ordinem (τάξις) subdiaconatus in ecclesia sancta Dei N. hujus[6], quae liberata est a periculis (κυνδινός = κίνδυνος) et tribulationibus. Rogate omnes, ut (ἵνα) gratia Spiritus Sancti veniat super eum in verbo nostrum omnium. Kyrie eleison. *Ter.*

Episcopus oret conversa facie ad orientem[7], ad altare.

Ita[8], Domine, fac eum dignum vocatione subdiaconatus, qui digne per gratiam tuam mereatur nomini tuo sancto servire et ministret altari (θυσιαστήριον) tuo sancto, et inveniat misericordiam in conspectu tuo, quoniam misericordiae et miserationes sunt a te, et te decet (πρέπει) gloria cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto, nunc etc.

Episcopus conversus ad occidentem teneat tempora ejus et oret:

Dominator Domine Deus omnipotens, qui manifestasti[9] (per revelationem instituisti?) in tabernaculo (σκηνή) testimonii exornatores templi[10], ut essent custodes vasorum sacrorum: tu etiam nunc, Domine noster, illumina[11] faciem tuam super servum tuum N., qui praesentatus est, et da ei, ut sit subdiaconus per suffragium (ψῆφος) et judicium[12] eorum, qui eum in medium duxerunt; imple eum Spiritu Sancto, ut (ὅπως) digne tangat vasa liturgica (σκεῦος λειτουργικόν), et stet ad portas templi et accendat lucernam in domo adorationum (προσευχή) tuarum; planta eum in ecclesia tua quemadmodum arborem olivae fructiferae (καρπός), quae dat fructum omni tempore, fructum (καρπός) justitiae (δικαιοσύνη). Per gratiam etc.

Convertit faciem suam ad altare et dicat hanc orationem:

Respice, Domine, super nos[13] et super ministerium nostrum et purifica nos ab omni immunditia, emitte gratiam tuam super servum tuum N., ut (ὅπως) dignus fiat per te, qui perficiat subdiaconatum suum irreprehensibiliter, ut (ἵνα) consequatur misericordias tuas cum iis, qui tibi placuerunt a saeculo, quoniam est misericordia in beneplacito tuo et te decet (πρέπει) honor ab omnibus et adoratio (προσκύνησις), Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc etc.

---

[1] A. K. deest veritatis. — [2] A. addit perfectum. — [3] K. Ecce accedit ad te subdiaconus servus tuus. — [4] A. deest integer. — [5] K. A. deest Domini nostri Jesu Christi. — [6] K. A. deest N. hujus. — [7] A. K. deest ad orientem. — [8] A. K. Quaeso. — [9] A. fecisti. — [10] A. aedituos. — [11] A. ostende, et ita saepius; K. manifesta. — [12] A. testimonio, deest et judicium. — [13] K. A. deest super nos et, adest vero in oratione eadem ut est pro sacerdote et hegumeno.

Conversus ad eum signa (σφραγίζεσθαι) *frontem ejus pollice tuo et dic:*

Vocamus te in sanctam Ecclesiam[1] Dei. Amen.

Archidiaconus clamat:

N. subdiaconus[2] sanctae (ἁγία) Ecclesiae (ἐκκλησία) Dei. Amen.

N. Ὑποδιακων τῆς ἁγίας ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ. Ἀμήν.

Episcopus clamat dicens:

Vocamus te N. subdiaconum in ecclesiam[3] N. civitatis (πόλις) N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Episcopus facit tres cruces (σταυρός) *super eum*[4] *sub invocatione Trinitatis* (τριάς) *sanctae (et) dicat hanc orationem conversa facie ad orientem:*

Gratias agimus tibi, Domine omnipotens, pro omnibus et in omnibus, et laudamus et glorificamus nomen sanctum tuum, quia fecisti nobiscum magna, et misisti benedictionem tuam super servum tuum N. Rogamus et obsecramus te, Domine noster, exaudi nos per multitudinem miserationum tuarum et mysterium positum in (Arabs: in conjunctione = conjunctum cum —) benedictione (εὐλογία) subdiaconatus[5] servi tui N. per benignitatem tuam. Da ei timorem (εὐλάβεια) et puritatem (καθαρός), ut perfectus sit in omnibus operibus liturgiae (λειτουργία) (Arabs: ut perficiat omnia opera), ut consequatur patientiam tuam[6] bonum ipsi[7], per miserationes unigeniti Filii tui Domini nostri, per quem etc.

Episcopus conversus ad eum ponit orarium (ὠράριον) *super humerum*[8] *ejus dicens:*

Ad gloriam et honorem nominis sancti tui, Patris et Filii et Spiritus Sancti (Arabs addens vertit: Trinitatis sanctae aequalis in essentia) consubstantialium (ὁμοούσιος), pacem (εἰρήνη) et aedificationem Ecclesiae sanctae. Amen*).

Osculatur (ἀσπάζεσθαι) *altare et episcopum (Arabs: manum episcopi) et eos, qui cum ipso stant in communione* (κοινωνία) *mysteriorum, neque* (οὐδέ) *imponatur manus super eum*[9].

Deinde catechizatur (κατηχεῖν) *hac catechesi* (κατήχησις).

---

[1] A. in sancta Ecclesia. — [2] A. hypodiaconum. — [3] A. K. ecclesia. — [4] A. K. super faciem ejus. — [5] A. K. et complaceat tibi, ut sit benedictio in subdiaconatu. — [6] A. spem suam, K. spe tua. — [7] A. K. deest ipsi. — [8] A. add. sinistrum. — [9] K. A. deest haec rubrica: Osculatur etc.

*) Ex Vanslebio tradit etiam episcopus ordinando candelam accensam, per totam missam in manu retinendam, in qua communiónem ei praebet; sed non ingreditur in Heikel, sive sanctuarium. Apud Legrand, Diss. 12. p. 342. Alvaresius testatur eos, qui clerici vel subdiaconi fiunt, apud Aethiopes unum post alterum coram Abuna in throno sub tentorio in medio ecclesiae erecto transire. Abscindit eis aliquot capillos, claves ecclesiae tangere facit. Ponitur linteum super caput eorum: traduntur urceoli, ut innuatur eos altari inservituros. Quos ritus alibi non vidimus. Sunt forsan ex parte eorum, qui Kaiini vocantur.

Archidiaconus dicit[1]. (Ὁ Ἀρχιδιακων λέγει).

Mi fili! traditus est tibi gradus sanctus, qui est subdiaconatus. [Quae igitur tibi praecepta sunt, fac, i. e. (οὔτε ἐστίν = ὅτι ἐστίν) sequere diaconum ut adjuves eum in opere ministerii, quem ad modum etiam ipse sequitur presbyterum (πρεσβύτερος). Decet te igitur vigilare ad portas domus Dei, quae est ecclesia, ne patiaris (ἀνάχεσθαι) pecus[2] ingredi in eam, neque (οὐδέ) canem, neque (οὐδέ) haereticum (αἱρετικός) tempore ministerii sancti, quum (ὅταν) diaconus clamat: Ne stet aliquis catechumenus (κατηχούμενος) hic neque (οὐδέ) aliquis, qui non accipit de mysteriis sanctis, quia (ὅτε, forte τότε = tunc? Arabs: et) curam habebis summa vigilantia custodire portas (πύλη). Quum igitur (ἐπειδή οὖν) commissum est tibi, tangere vasa (σκεῦος) liturgica[3] (λειτουργικόν), propterea intellige mensuram honoris et doni (δωρεά), quae tibi tradita est, ut (ὡς) servus sapiens et fidelis, faciens voluntatem Domini sui cum festinatione (σπουδή), ut accipias fructum vocationis supernae in Christo Jesu Domino nostro, per quem etc.[4] —

Arabice.

Sciendum super subdiaconum non imponi manus, sed imponi ei nomen sequentis diaconum (sed appellari eum subdiaconum). Et erunt in eo virtutes diaconi, et manebit sine uxore, postquam testificatum est ei et laudatus est a vicinis suis, quod remotus a mulieribus sit[5]]

De constitutione (ordinatione) diaconi. *)

Eligetur, qui praesentandus est diaconus, ex clero (κλῆρος), *quia fidelis ad hanc diaconiam* (διακονία) *praesentandus est episcopo*[6]. *Testificabuntur de eo et constituant eum sine tunica*[7] *in conspectu altaris coram episcopo, flexo genu dextero supra gradus altaris.* **) *Episcopus imponat thus, dicat gratiarum actionem et orationem thuris. Deinde subjungit eis hanc etiam orationem conversa facie ad orientem.*[8]

Domine Deus virtutum etc. ut supra p. 4. voce tamen diaconatus pro subdiaconatus voce posita. ***)

---

[1] K. A. deest Archidiaconus dicit. — [2] K. deest pecus, add. Judaeum. — [3] K. vasa sacra ministerii sancti et impolluti. — [4] K. cui honor et gloria et adoratio cum Patre suo bono et Spiritu Sancto vivificante, nunc et in omni tempore et in saecula saeculorum Amen. Laus datori intellectus. — [5] K. haec ita habet: Sint ipsi virtutes diaconi; ne imponatur ei manus; neque juret; una contentus uxore, cui fidem praebeat, alterius uxorem relinquat; ab usu et consuetudine mulierum remotus sit, utpote mundatus ex lavacro. — [6] A. qui eligitur in diaconum, postquam clerici testati fuerint eum esse dignum, praesentant eum episcopo. — [7] K. A. deest sine tunica. — [8] K. A. deest conversa facie ad orientem.

*) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Kirchero, Assemano et Vanslebio.

**) Ex Vanslebio archidiaconus subdiaconum patriarchae sistit, pro eo prosternitur, et ipse tunc prosternitur; deinceps brachia in crucis formam super pectus retinens et caput detectum et inclinatum.

***) Iisdem occurentibus orationibus praeter varia ordinum nomina, parvae occurrunt varietates, quae, quia sensum non mutant, hic non indicantur. Ita etiam A. plerumque omisit.

Archidiaconus dicit hanc acclamationem (προςφώνησις):

Gratia Domini nostri J. Christi, quae supplet defectus nostros secundum beneplacitum Dei Patris et Spiritus Sancti, sit super N. qui accessit ad altare (θυσιαστήριον) sanctum in timore et tremore, humilis [1], et elevatis oculis cordis [2] sursum ad te, qui es in coelo, exspectans donum (δωρεά) tuum coeleste (ἐπουράνιον), ut (ἵνα) transeat ab ordine (τάγμα) subdiaconatus ad ordinem (τάξις) diaconatus in ecclesia sancta N. [3] — Orate [4] omnes, ut (ἵνα) veniat super eum donum (δωρεά) Spiritus Sancti in oratione nostrum omnium [5]: Kyrie eleison (Κύριε ἐλέησον).

Episcopus dicit hanc ordtionem versa facie ad altare.: Ita Domine, fac, etc. p. 5.

Converte te ad occidentem, impone manum dexteram tuam super caput ejus et dic hanc orationem, epiclesin [6] (ἐπίκλησις).

Dominator Domine Deus omnipotens verus (ἀληθινός), verax in repromissionibus tuis, dives in omnibus, omnibus invocantibus te, exaudi nos, rogamus te: illumina faciem tuam super servum tuum N., qui promovetur ad diaconatum per suffragium (ψῆφος) et judicium [7] eorum, qui eum in medium duxerunt: imple eum Spiritu Sancto et sapientia (σοφία) et virtute, quem ad modum implevisti Stephanum Protodiaconum [8] (πρωτοδιάκονος) et Protomartyrem (πρωτομάρτυρος) similem passionibus Christi tui. Orna eum gratia tua, constitue eum ministrum (ὑπερετης = ὑπηρέτης) altaris (θυσιαστηριον) tui sancti, ut (ὅπως) ministret secundum beneplacitum tuum in officio diaconi (διακονία), quod ipsi commissum est, sine opprobrio et peccato [9], ut dignus evadat gradu altiore. Non enim (οὐ γάρ) data est gratia per impositionem manuum nostrarum, qui utique peccatores sumus, sed (ἀλλά) per visitationem misericordiarum tuarum uberum conceduntur, quae ei conveniunt [10]. Me quoque purifica ab immunditiis omnibus [11] et ab omnibus peccatis alienis, libera me ab iis, quae mea ipsius sunt, per mediationem [12] (μεσιτεία) unigeniti tui Filii Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, per quem etc.

Converte te ad orientem, versus altare, et dic hanc orationem:

Respice Domine etc. ut supra p. 5. mutato verbo „subdiaconatum" in verbum: „diaconatum."

Converte te ad occidentem, signa (σφραγίζεσθαι) *frontem ejus pollice tuo et dic:*

Vocamus te in ecclesiam [13] sanctam Dei. Amen.

Archidiaconus clamat:

ΔΔ (= δεῖνα) Διάκονος ἐν τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ΔΔ (= δεῖνα) τῆς φιλοχρίστου πόλεως ΔΔ (= δεῖνα) (Dein Coptice) N. diaconus [14] (διάκονος) altaris (θυσιαστήριον) sancti [15] sanctae [16] (ἁγιά) catholicae [17] et apostolicae Ecclesiae Dei. Amen.

---

[1] A. K. adorans. — [2] A. deest cordis. — [3] K. tua, A. deest N. — [4] A. K. Precemur. — [5] K. A. deest in oratione omnium nostrum; A. add. dicentes. — [6] K. A. secreto. — [7] A. testimonium, deest suffragium. — [8] K. A. Archidiaconum. — [9] K. non declinando ad dextram neque ad sinistram et sine ullo peccato. — [10] A. ei confertur qui illa dignus sit; K. quae data est soli ei, quem tu dignum feceris. [11] K. A. deest ab immunditiis omnibus. — [12] A. per Filium etc. K. per mediatorem. [13] A. ecclesia. — [14] A. diaconum. — [15] K. A. deest altaris sancti. — [16] A. K. in sancta; K. add. Ecclesia. — [17] K. deest catholica et; add. Ecclesia.

Converte te ad occidentem, signa (σφραγίζεσθαι) *frontem ejus pollice tuo et dic:* [1]

Ordinamus [2] te N. diaconum altari, cujus nomen supra dictum est, orthodoxorum (ὀρθόδοξος) ecclesiae civitatis [3] (πόλις) N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Vocamus te N. in ecclesiam Dei. Amen [4].

Deinde faciat episcopus tres cruces (σταυρός) *super faciem ejus sub invocatione* (ὀνομάζειν) *Trinitatis* (τριάς), *vertit se ad orientem et oret hoc modo:*

Gratias agimus tibi, Dominator Domine Deus omnipotens, propter omnia et in omnibus, [et laudamus et glorificamus nomen sanctum tuum, quia fecisti nobiscum magna, et effudisti donum (δωρεά) tuum super servum tuum N. Precamur et rogamus te, amator hominum bone (ἀγαθός), exaudi nos propter multitudinem misericordiarum tuarum] *), et mysterium ab impositione manuum [5] (χειροτονία), quae facta est super servum tuum N. per (Arabs: in) adventum super eum Spiritus Sancti tui [6], et dirige vocationem electionis ejus in sanctitate et gratia bonitatis tuae, qui (Arabs: quum) invitasti nos cum ipso ad bonum (ἀγαθόν), ut operaremur et acciperemus lucrum talenti, ut (ἵνα) accipiamus [7] cum omnibus, qui fecerunt voluntatem tuam a saeculo, mercedem fidelis (πιστός) et prudentis oeconomi (οἰκόνομος) in adventu (παρουσία) Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri [8], per quem etc.

Deinde vertit se episcopus, imponit Zonarium [9] (ζουνναριον = ζωνάριον) *humero ejus sinistro* **) *dicens:*

Gloria [10] et honor Trinitati (τριάς) sanctae consubstantiali (ὁμοούσιος), Patri et Filio et Spiritui Sancto, pax (εἰρήνη) et aedificatio uni soli sanctae catholicae [11], apostolicae Ecclesiae Dei. Amen.

Ordinatus (Arabs: is cui signum impressum est) osculatur altare et episcopum [12] *(Arabs: manum episcopi) et adstantes* [13] *cum ipso. Deinde* (εἶτα) *legatur super eum haec catechesis* (κατήχησις):

Opus [14] ministerii, quod tibi commissum est [15], mi fili [16], magnum est [17]. [Decet te igitur perficere, quae tibi praecepta sunt, ut facias ea, ut [18] (ὡς) qui adscriptus es filius Stephani primi diaconi, ad visitationem populi (λαός) Dei, viduarum (χήρα) et orphanorum (ὀρφανός) et afflictorum; exhilara eos, quibus poteris subvenire (βοηθεῖν), supple inopiam eorum [19], esto eis exemplar (χαρακτήρ), ut videant opera tua bona

---

[1] K. A. deest haec rubrica; ejus loco: Episcopus dicit. — [2] A. ordinavimus. — [3] K. A. deest civitatis. — [4] K. A. deest: Vocamus te . . . . Amen. — [5] A. et complaceat tibi in ordinatione hac. — [6] K. complace tibi in servo tuo per gloriam Spiritus tui Sancti. — [7] A. ut negotietur . . . reportet . . . recipiat. — [8] K. add. Jesu Christi. — [9] A. orarium. — [10] A. ad gloriam . . . . pacem. — [11] K. A. deest catholicae. — [12] A. K. manum episcopi. — [13] A. assistentium omnium; K. add. omnes. — [14] A. K. addunt scito. — [15] A. K. gradum, quem tibi Deus largitus est. — [16] K. A. addunt benedicte, deest mi. — [17] K. add. et ministerium majestate plenum. — [18] K. deest decet . . . . ut. — [19] K. et ores pro iis.

*) A. pro hac parte remittit ad ordinationem diaconi.

**) Ex Vanslebio porrigit ei etiam cochlear calicis, quod manu retinet ab initio missae ad finem usque.

et aemulentur conversationem (διαγωγή) tuam. Sectare episcopum vel presbyterum, ostende ei afflictos [1], ut visitet eos secundum (κατά) statuta (ὅρος) canonica (κανονικόν), honora altiores te in dignitate (ἀξίωμα), presbyteri sint tibi sicut (ὡς) patres, ut merearis etiam tu benedictionem (μακάριος) ab eo qui dixit: Qui mihi ministrabit, honorificabit (τυμαν = τιμᾶν) eum Pater meus; quemadmodum igitur (οὖν; Arabs: et) dicit Apostolus sanctus Paulus: Qui ministraverint bene (καλῶς), gradus bonus paratus est eis et fiducia (παῤῥησία) magna in fide, quae est in Ch. J. D. N. Intellige igitur (οὖν) mensuram honoris, qui tibi traditus est, ut feras sanguinem verum (ἀληθινός), qui datus est in pretium redemptionis mundi (κόσμος), qui datus est in manus tuas, ad gloriam Dei nostri Jesu Christi Domini nostri. [2]]*)

*Episcopus benedicit ei, et det ei de mysteriis, et imponat manum suam super eum tribus vicibus.***) *Clerus* (κλῆρος) *clamat:* „Dignus“ (ἄξιος) *tribus vicibus.*

Episcopus dicit. (Ἐπίσκοπος λέγει): N. Diaconus sanctae Ecclesiae Dei [3]. Amen.

*De (Arabs: propter) archidiacono [4] dicat episcopus hanc orationem.****)*

Dominator [5] Domine Deus, magne [6] in misericordia, et summe in miserationibus et bonitate [7] (χρηστός), qui [8] per unigenitum Filium tuum (suum etc.) D. N. J. Ch. constituisti Jerusalem coelestem et es ipse caput omnium; et super terram iterum per te [9] creasti omnem formam eorum, et nomine vocasti ordines (τάξις) et canones [10] (κανών) omnes Ecclesiae secundum typum (κατὰ τύπον), ut sit in iis servitium omne sacerdotale (ἱερατικόν) sine praevaricatione (χωρὶς παράβασις). (Arabs: es caput omnium rerum, et quae super terram iterum, ipsae sunt a te, quia disposuisti omnes et appellasti (sublimasti?) ordines Ecclesiae et omnes canones continentes servitium hieraticum totum exemplar sine praevaricatione).

Diaconus dicit: (Ὁ διακων λέγει) Orate (Προςεύξασθε).

Episcopus dicit (Ἐπίσκοπος λέγει):

Tu iterum nunc, Domine noster [11] amator hominum, suscipe deprecationem nostram, qui utique peccatores sumus, emitte gratiam Spiritus

---

[1] K. hospites et advenas. — [2] K. addit Amen. Amen. Amen. — [3] A. ad Ecclesiam. — [4] K. praesentatio archidiaconi. — [5] K. deest dominator. — [6] K. add. in donis tuis et. — [7] K. in misericordia summus: in gratia et bonitate. — [8] K. quae est. — [9] K. etiam super terram; et ex similitudine tua; deest iterum. — [10] K. virtutes; add. et potestates. — [11] K. deest noster.

*) Altera exhortatio prolixa adhuc occurrit apud Kircherum post ordinationum ritus pag. 261—264, in qua nil dignum memoratu habetur, nisi quod ei dicatur, ut sumat sibi uxorem tempore suo, sed non praeter unam.

**) Ex Vanslebio episcopus communionem ei praebet, et tunc in ejus vultum insufflat, dicens: Accipe Spiritum S. pro ecclesia N. Altera vice ei manus imponit et dat ei benedictionem.

***) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collato Kirchero.

Sancti tui super servum tuum N., qui electus est archidiaconus per suffragium (ψῆφος) et judicium[1] eorum, qui eum in medium duxerunt, et recognitionem eorum, qui rationem instituerunt (Arabs: bene consideraverunt) de eo. Fac eum dignum, qui sit archidiaconus super ecclesiam tuam sanctam totam et splendeat[2] quemadmodum ille unus ex septem diaconis, quos constituerunt Apostoli sancti, Stephanus Protodiaconus et Protomartyr. Imple eum virtute[3] et intelligentia quemadmodum Stephanum primum archidiaconum, ut (ἵνα) sit archidiaconus[4] super ecclesiam tuam sanctam in ministeriis incruentis et sacrificiis (θυσία) sanctis rationabilibus[5] (λογικόν) et teneat calicem (ποτήριον) sanguinis gloriosi agni immaculati[6], qui est unigenitus Filius tuus, et serviat orphanis (ὀρφανός), subveniat viduis (χήρα), sollicite exerceat cultus divinos, doceat ignorantes, corripiat indisciplinatos, infligat poenam[7] (τιμία) peccantibus (ἄνομος), reducat errantes, faciat dispositionem (κατάστασις) cleri[8] (Arabs: ordine disponat), serviat (διακονεῖν) peregrinis, imperet quae decet, sit exemplar (τύπος) ecclesiae toti, ut (ἵνα) paret sibi gradum bonum et sublimiorem, et inveniat fiduciam (παῤῥησία) in conspectu omnium. Neque (οὐδέ) datur haec gratia per impositionem manuum nostrarum, qui utique peccatores sumus, sed per visitationem miserationum tuarum uberum datur ipsa iis, qui merentur eam.

Diaconus dicit: Orate. (Ὁ Διακων λέγει· Προσεύξασθε).

Episcopus dicit (Ἐπίσκοπος λέγει)*:*

Nunc igitur Domine[9] noster supplices rogamus et obsecramus[10] te, bone[11] (ἀγαθός) et amator hominum propter servum tuum[12] N., ut (ὅπως) facias eum dignum gratia vocationis archidiaconatus per adventum super eum Spiritus Sancti. Me quoque etc. uti p. 8*).

De constitutione (ordinatione) presbyteri (πρεσβύτερος)**).

Quando (ὅτε) *constituendus est presbyter, testificabitur primum de eo clerus***) de operibus ejus bonis, an sciat verbum scientiae bene* (καλῶς), *an sit mitis, consolator, misericors, an matrimonium* (γάμος) *ejus fuerit legitimum* (ἔννομος) *secundum* (κατά) *canonem* (κανών), *an porro* (δέ) *ordinatus (segregatus) sit diaconus, si vero non, fiat anagnostes et subdiaconus (textus Arabicus addit: et diaconus) et*[13] *benedictionem (ordi-*

---

[1] K. judicium et approbationem. — [2] K. purifica eum. — [3] K. addit timore. — [4] K. deest: ut sit archidiaconus. — [5] K. et sublimitate puri eloquii. — [6] K. add. et inculpati. — [7] K. increpet. — [8] K. revereatur sacerdotes. — [9] K. o rex. — [10] K. deest et obsecramus. — [11] K. bonitatem tuam. — [12] K. pro oblatione servi tui. — [13] K. A. addunt et diaconus.

*) Renaudotius in notis operis MS. de ordinationibus p. 31. ait, Abulbircatum meminisse ceremoniae, qua archidiacono traditur baculus pastoralis, quae significat episcopum ei committere vices suas in negotiis plurimis administrandis, et addere, nemini in ecclesia licere baculum pastoralem deferre, praeterquam patriarchae et archidiacono, qui baculus sane, uti vidimus, apud Coptitas est crux ferrea.

**) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Kirchero, Assemano et Vanslebio.

***) Ex Vanslebio igumenus sistere debet ordinandum episcopo et pro eo prostrationem facere.

nationem) accipiat alio die. Praesentetur) autem indutus* (φορεῖν) *ut* (ὡς) *diaconus, cum orario* (ὠράριον) *super humero suo sinistro, in conspectu altaris. Unus presbyter stat cum episcopo.*

*Ordinandus (s. segregandus) genuflectit**) in conspectu altaris coram episcopo*[1]. *Dicat gratiarum actionem, imponat thus cum oratione thuris et dicat hanc orationem facie conversa ad altare.*

Domine Deus virtutum, ut supra p. 4. Pro diversitate ordinationis pro: „suscipe subdiaconatum servi tui“ hic habetur „suscipe tibi presbyteratum perfectum.“

Archidiaconus dicit (Ὁ Ἀρχιδιακων λέγει):

Gratia Domini nostri J. Christi, quae supplet defectus nostros, secundum beneplacitum Dei Patris et Spiritus Sancti sit super N. qui accessit ad altare (θυσιαστήριον) sanctum in timore et tremore, humilis[2] genibus flexis[3] et elevatis oculis cordis sursum ad te, qui es in coelo, exspectans donum (δωρεά) tuum coeleste (ἐπουράνιον), ut (ἵνα) transeat ab ordine (τάξις) diaconatus ad ordinem (τάγμα) presbyteratus in ecclesia N. et altare sanctum.

Orate omnes, ut veniat super eum donum (δωρεά) Spiritus Sancti.

Populus dicit: Kyrie eleison. *Ter.*

Orat deinde (οὖν) *facie conversa ad orientem:*

Ita Domine, fac eum dignum vocatione presbyteratus etc. ut supra p. 5.

Populus dicit: Kyrie eleison. *Ter.*

Conversus ad occidentem impone dexteram tuam super caput ejus, ora hoc modo, dic:

Dominator Domine Deus omnipotens, qui creasti (creavit etc.) omnia per verbum (λόγος) tuum coaeternum[4] (συναίδιος), providens (προνοεῖν) omnibus per temetipsum secundum (κατά) beneplacitum tuum, qui respicis omni tempore super Ecclesiam tuam sanctam, faciens eam crescere et eos, qui sunt antistites (προεστώς) in ea (faciens eos) augeri, et dans virtutem eis[5], ut laborent verbo et opere: respice super servum tuum N., qui promovetur[6] ad presbyteratum secundum suffragium (ψῆφος) et judicium[7] eorum, qui eum in medium duxerunt; imple eum Spiritu Sancto et gratia[8] timentem ante faciem tuam[9], ut praesit[10] et regat populum (λαός) in corde puro, quemadmodum respexisti super populum (λαός) tuum, quem elegisti, et mandasti servo tuo Moysi, ut eligat sibi presbyteros (πρεσβύτερος) eos, quos tu replevisti Spiritu Sancto non manufacto (increato)[11], qui a te procedit.

---

[1] K. A. deest coram episcopo. — [2] K. A. add. corde. — [3] K. incurvatus; A. statque inclinatus. — [4] A. essentiali Verbo, K. deest coaeternum. — [5] A. eisque qui praesunt in ea praestas virtutem. — [6] A. admotus est. — [7] A. judicio et testimonio eorum. — [8] A. Spiritu Sancto, spiritu gratiae et consilii, K. Spiritu Sancto tuo gratia et beneplacito tuo. — [9] K. A. te. — [10] K. A. deest praesit et. [11] A. qui indeficiens est.

*) Ex Vanslebio, die statuto, episcopus in Heikel constitutus, eum per duos presbyteros et unum igumenum accersit: duo presbyteri eum stola tenentes per totam ecclesiam, praecedente igumeno, in Heikel deducunt.

**) Manus junctas habet in crucis formam super pectus, caput detectum. Ita Vanslebius.

Diaconus dicit.[1] Orate!
Ὁ Διάκων λέγει· Προσεύξασθε.
Sacerdos *) (Ὁ ἱερεύς),

Ita[2] Domine, exaudi nos quaesumus te et custodi in nobis etiam Spiritum Sanctum[3] gratiae tuae[4] non manufactum (increatum)[5], concede ei spiritum sapientiae (σοφία) tuae, ut (ὅπως) sit plenus virtutibus (ἐνέργεια) salutaribus et verbo doctrinae, ut erudiat populum tuum in mansuetudine et serviat tibi in sanctitate et mente pura (καθαρός) et anima (ψυχή) candida, ut perficiat opera sacerdotii super populum (λαός) tuum, qui pro debito (δέον) prodent miseriam suam ei[6], ut regeneret eos per regenerationem lavacri. Me vero (δέ) etiam munda ab omnibus peccatis alienis et libera me ab iis, quae mea ipsius sunt, per mediationem[7] (μεσίτεια) unigeniti Filii tui Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi, per quem etc.

Conversus ad altare ora hoc modo.

Respice Domine etc. p. 5.

Pro verbis „diaconatus“ et „subdiaconatus“ hic est verbum presbyteratus[8].

Converte te ad occidentem, signa (σφραγίζεσθαι) frontem ejus pollice tuo et dic:

Vocamus te in Ecclesiam[9] sanctam Dei. Amen.

Archidiaconus clamat: ΔΔ Πρεσβύτερος ἐν τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας τῆς φιλοχρίστου πόλεως ΔΔ.

N. presbyter[10] ad altare[11] catholicae[12] ecclesiae Dei in Christum amante civitate (πόλις) N.[13]

Episcopus clamat dicens:

Vocamus te N. presbyterum pro altari sancto, cujus nomen supra appellatum est orthodoxorum (ὀρθόδοξος) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Facit tres cruces super frontem ejus **), *dicens nomen* (ὀνομασία) *Trinitatis* (τριάς), *induit eum stola* (στολή) ***) *dicens:*

Gloria[14] et honor sanctissimae (παναγία) Trinitati (τριάς) consubstantiali (ὁμοούσιος), Patri et Filio et Spiritui Sancto. Pax et aedificatio sanctae Ecclesiae Dei. Amen.[15]

Episcopus convertat se ad orientem et oret dicens:

Gratias agimus tibi p. 9.

---

[1] K. A. Rubrica deest; in nota supplet A, haec ab archidiacono dici. — [2] K. Quaeso. — [3] A. add. Spiritum. — [4] K. deest Spiritum gratiae tuae. — [5] A. K. non deficientem. — [6] A. qui ad ipsum accesserint. — [7] K. per mediatorem; A. per. — [8] A. K. sacerdotium. — [9] A. Ecclesia. — [10] A. presbyterum. — [11] A. K. add. sanctum. — [12] A. K. add. sanctae et apostolicae. — [13] K. A. deest in Christum amante civitate N.; addunt Amen. — [14] A. Ad gloriam. — [15] A. deest Amen.

*) Prosequitur episcopus, tenens manum capiti ordinandi impositam. A.

**) Ex Alvaresio ap. Legrand Diss. 12. p. 342. apud Aethiopes Abuna pluries cruce ferrea ordinandos signat.

***) Ex Vanslebio septem ornamenti sacerdotalis partes ipsi imponit.

Catechesis (κατήχησις) presbyteri.*)

Scito, frater, quanta sit dignitas vocationis [1], qua dignatus es, hoc est, sacerdotium, [quod tibi commisimus ad magnum sacramentum (μυστήριον) Novi Testamenti (διαθήκη). In ordine (τάξις) doctrinae decet te igitur (οὖν) esse, et docere per actiones (πράξις) bonas magis quam verbo. Memento verbi principis (κορυφαῖος) [2] Petri, quod dixit: Presbyteros, qui in vobis sunt obsecro ego, socius vester presbyter, et testis passionum Christi, et particeps gloriae, quae revelabitur: pascite gregem Dei, qui in vobis est, et providete non coacte, sed spontanee secundum Deum, cum alacri animo, non ut dominantes in cleris, sed sitis forma cleri [3], ut cum apparuerit princeps pastorum [4], accipiatis coronam immarcescibilem gloriae. Operare igitur talento, quod tibi commisssum est, ut id duplum facias, ut accipias mercedem prudentis servi et fidelis (πιστός); congrega populum tuum ad verbum doctrinae quemadmodum nutrix (μονή), quae fovet (θάλπιν = θάλπειν) filios suos, ut salves te et eos qui te audiunt.

Vade in pace (εἰρήνη). Dominus tecum.

Admonitio de exceptione confessionum**)

Nihil impedit (excusat), quominus excipias confessiones [5], quum quis venit ad te [6] confitens peccatum suum [7], an assuetus sis huic arti [8], quia [9] canon sanctus dicit, quod sacerdos, qui non excipit confitentem, ejiciatur e synagoga (ecclesia). Et Apostolus Jacobus praemonet confitentem et confessarium simul et confirmat, quod hoc sit necessarium et statutum a Deo, dicendo confitenti [10]: „Confitemini alii aliis peccata vestra"; et dicendo confessario [11]: „Orate alii super [12] alios", scilicet, sacerdos pro grege pascendo [13], quia qui reduxerit peccatorem ab errore suo, salvavit animam a morte, et texit multitudinem peccatorum [14]. Et necesse est, ut accipias tibi ante hoc patrem et senem (s. doctorem), gnarum medicandi, celebrem propter successum, ut doceat te, imponere remedium et emplastrum, ubi sanandus est dolor et vulneratio, ne imponas remedium oculi super pedes [15], et invalescat in membro terrestri morbus perniciosus et perdat illum [16]. Et interroga de aetate, et consuetudine et conditione et tempore et indole, et loco et locis et dispositione et castitate (an sit matrimonio junctus?), sequens in hoc misericordiam super filios tuos, et misericorditer et leniter tracta unumquemque de quo diximus, quo curabis eum remedio [17], ut revertatur aegrotus a morbo suo ad statum

---

[1] K. A. mensura doni. — [2] K. principis Apostolorum. — [3] K. sicuti oves. — [4] K. add. et magnus ille judex. — [5] K. deest nihil . . . . confessiones. — [6] K. add. vestitus et accepturus remissionem peccatorum. — [7] K. add. quod scilicet praevaricatus sit cogitatione, verbo et opere. — [8] K. deest an . . . . arti. — [9] K. et. — [10] K. et quod S. Jacobus Apostolus praecepit confessionem his verbis. — [11] K. confitentibus. — [12] K. pro. — [13] K. deest: pascendo. — [14] K. deest et texit multitudinem peccatorum. — [15] K. oculo viri, cui illa non proderit. — [16] K. deest et invalescat . . : . . illum. — [17] K. et discas mores et tempus et naturam et locum, complexionem, conversationem, totum denique statum filiorum tuorum, pietatem, tranquillitatem et nihil te eorum lateat.

*) Vanslebius ait, alium presbyterum officia sacerdoti recens ordinato praelegere.

**) Arabice solummodo. Est et apud Kircherum p. 264. in titulo falso diacono tributa.

sanitatis. Sis navis spiritualis portans benedictiones ad portum salutis el doctor spiritualis lucens[1], ut eleves discipulos ad gradus proprios, ut merearis hoc officio[2] mercedem duplicatam, et septempliciter donet Dominus super te bonum coeleste sequens, per intercessionem Dominae dominatricis Virginis immaculatae et Martyrum et Sanctorum[3]. Amen.*)]

Ordinatus[4] *(segregatus) osculetur* **) (ἀσπάζεσθαι) *altare et episcopum et participes (praesentes Arabs), datur ei de mysteriis* ***), *manus im-*

---

[1] K. lumen positum in tenebris. — [2] K. digni sint, deest hoc officio. — [3] K. per intercessionem Virginis Mariae et omnium S. S. Martyrum. — [4] K. Et juramento praestito.

*) Kircher post hanc de confessionibus exhortationem haec adhuc habet: Et hoc est, ut studiose serves distributionem sacramentorum Dei viventis praestesque hoc cum studio magno et promptitudine et cura et cum timore, utpote in quo ipsi Seraphim, et Cherubim, et supremae Virtutes contremiscunt. Alte quoque animo tuo insideat, quod ille, qui per te immolatus est, quemque in altari tractas, est Christus Emmanuel, qui tradidit semetipsum pro te, et scias, quod participes de membris humanitatis ejus incorruptae, eumque portes in manibus tuis, quem Simeon sacerdos summa reverentia et veneratione portavit brachiis suis, et quod hic est calix sanguinis ejus, effusi pro peccatis, et quod in eo redimeris ab omnibus infamiis, manans e caverna divite, quod est latus ejus divinum, postquam tradidit spiritum in cruce; atque hoc est mysterium tremendum, hoc est corpus sanctum et sanguis pretiosus, in quibus salus facta est omni creaturae; hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi; hic traxit omnes ad lumen verum. Converte igitur animum tuum, o fili benedicte, ad apicem conversionis; magna sollicitudine intende huic thesauro, instar Seraphini vigilis, mercibus et praemio vitae etc. Altera prolixa exhortatio apud K. p. 265. sqq. nil memoratu dignum habet. Binam ad recens ordinatos exhortationem se reperisse ait Renaudotius, in quarum altera, loquens episcopus de dignitate sacerdotii, ait, ut meminerint se esse „dispensatores summorum Novi Testamenti mysteriorum, quae sunt corpus et sanguis Jesu Christi". In altera vero: „Habetis in manibus vestris corpus creatoris vestri, tenebitis et tangetis digitis vestris . . . Quod tangetis est corpus Dei vestri, illius, qui tollit peccata mundi et qui judex vester erit in die judicii." (Renaudot Perpétuité l. 5. c. 8. col. 951. sq).

**) Vanslebius tradit, post catechesin praelectam novum presbyterum librum osculari, ut se paratum ostendat ad omnia, quae lecta sunt, peragenda. Unde falsus fuisse dicendus est Renaudotius, cum de iis, quae apud Kircherum adduntur: et „juramento praestito" ait in originali Coptico nil iis respondere. Perpétuité l. 5. c. 8. col. 952).

***) Ex Vanslebio post catechesin cum episcopo ordinatus ascendit altare; ad dexteram ejus incedens; missam inchoant; simul dividunt corpus Domini; presbyter pro se partem illam assumit, in qua non est Isbadicon, alteram episcopo relinquens; fidei professionem de reali praesentia, quae est in liturgia, voce distincta enuntiat et ab episcopo communionem suscipit. Ita et Renaudotius (Perpétuité l. 5. c. 8. col. 953; c. 10. col. 964. et Comm. in liturg. Copt. 5. Basilii p. 255), qui refert Abulbircatum hac de re dicentem: „Sacerdos, qui ordinationem suscipit, accedet et franget cum patriarcha corpus Christi: habebit autem dexteram manum suam sinistrae superpositam et in

ponitur super eum (Arabs: Episcopus imponit manum suam) tribus vicibus) et omnes dicant alta voce tribus vicibus*[1]*:*

Dignus (ἄξιος) N. presbyter (πρεσβύτερος) sanctae (ἁγία) ecclesiae (ἐκκλησία) catholicae (καθολική) apostolicae (ἀποστολική) civitatis (πόλις) Christi amantis N. in pace (εἰρήνη) Dei. Amen.**)

De ordinatione hegumeni[2] (ἡγούμενος.)***)

Quando (ὅταν) vocandus est hegumenus, eligatur[3] *ex clero, constituatur indutus (φορεῖν) ut (ὡς) presbyter, genuflectat cum iis, qui ipsum in medium duxerunt****) coram episcopo, qui stat ante altare.†) Episcopus dicat gratiarum actionem, imponat thus cum oratione thuris. Populus (λαός) dicat tribus vicibus:* Kyrie eleison. *Episcopus dicat hanc orationem:*

Domine Deus virtutum etc., ut supra p. 4. mutatis mutandis.[4]

Archidiaconus dicat hanc acclamationem (προςφώνησις).

Gratia Domini N. J. Ch., ut supra p. 12, iterum mutatis mutandis.[5]

Populus dicit (ὁ λαὸς λέγει): Kyrie eleison. *Tribus vicibus.*

Episcopus dicit hanc orationem facie conversa ad orientem:

Ita Domine, fac etc., ut p. 5.

---

[1] K. deest tribus vicibus. — [2] K. consecratio praelati, sive illius, qui curam habet subditorum dicti Abigumenos animarum. Conflavit autem hoc nomen K, quod erat Ab Igumenos, hoc est nomen dignitatis praeposito titulo patris, ut notavit Renaudotius Perpétuité lib. 5 c. 9. col. 957. — [3] K. examinetur. — [4] K. ecce accedit ad te intentione perfecta servus tuus N. qui stat expectans dona tua coelestia. — [5] K. ut transferatur ex ordine sacerdotii ad ordinem praelaturae.

ea erit particula Eucharistiae. Suggeret illi patriarcha confessionem verbatim: Credo etc., quam repetet ejus exemplo, ut manifesta fiat hominibus rectitudo confessionis ejus, dum corpus est in manu ejus.“ Provocat etiam ad Gabrielem patriarcham in rituali et Abusebah in Scientia ecclesiastica. Id in Pontificali non exprimi, quod ad liturgiam pertineat. Ex Alvaresio (apud Legrand diss. 12. p. 342.) neopresbyter ad missam legit epistolam et evangelium.

*) Vanslebius addit, episcopum insufflare in vultum ejus, dicentem: Accipe Spiritum Sanctum pro ecclesia N.

**) Ex Vanslebio populus clamat: Dignus est. Episcopus ipsi concedit, ut communionem populo distribuat. Post ordinationem neopresbyter per dies quadraginta jejunat, usque ad tertiam horam post meridiem, abstinens etiam a vino, in honorem Spiritus Sancti, quem suscepit, sicut Dominus noster quadraginta dies jejunavit, postquam Spiritus Sanctus in eum descenderat in columbae specie, et Apostoli, postquam Spiritum Sanctum acceperant.

***) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Kirchero et Vanslebio.

****) Duo igumeni, ex Vanslebio, hinc inde eum deducunt stola tenentes per totam ecclesiam usque ad Heikel, ubi eum expectat episcopus.

†) Senior igumenus pro eo prosternitur, quod ipse post eum peragit.

Converte te ad occidentem, pone manum tuam super caput ejus et dic hanc orationem, epiclesin (ἐπίκλησις)[1].

Dominator[2] Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi, qui noscis omnia antequam fiant, tu es, qui elegisti servum tuum N., ut sit in patrem et hegumenum horum servorum tuorum, qui sunt in loco uno in consensu (ὁμόνοια) bono propter nomen tuum. Propterea suppliciter rogamus et obsecramus bonitatem (ἀγαθός) tuam[3], amator hominum, ut (ὅπως) respiciendo respicias super eum et benedicas ei („benedicas ei" deest in textu Arab.)[4] et purifices eum per adventum super eum Spiritus tui Sancti, et subvenias ei[5] in omnibus bonis (ἀγαθόν), et des ei sapientiam (σοφία) et virtutem per Spiritum tuum Sanctum in irreprehensibilitate die ac nocte. Concede autem (δέ) ei, Domine noster[6], spiritum hegemonicum[7] (ἡγεμονικόν) lenitatis, charitatis (ἀγαπή), patientiae (ὑπομονή) et benignitatis (χρηστός), ut (ἵνα) placeat tibi in operibus bonis, se praebens formam (τύπος) iis, qui ipsi subjecti sunt, in actione sua, et doceat eos mandata (ἐντολή) legis (νόμος) tuae, et curam gerat eorum et custodiat eos in puritate et charitate (ἀγαπή), ut (ὅπως) sint sancti et immaculati[8], ut adducat eos ad Christum sponsum verum[9] coelestem, hostiam (θυσία) puram et vivam et acceptabilem[10], ut impleatur in eo quod scriptum est: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est. In gratia etc.[11]

Dicat hanc orationem super altare versus orientem[12].

Pax omnibus[13] (εἰρήνη πᾶσι). Respice Domine, ut p. 5, mutatis mutandis[14].

Converte te ad occidentem, signa (σφραγίζεσθαι) *frontem ejus pollice tuo et dic:*

Vocamus te N. hegumenum (ἡγούμενος) sanctae (ἁγία) Ecclesiae (ἐκκλησία) Dei. Amen.

Archidiaconus clamet dicens:

Δ. ἡγούμενος ἐν τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας ΔΔ. τῆς φιλοχρίστου πόλεως ΔΔ.[15]

***Episcopus* (ὁ Ἐπίσκοπος) clamat:**

N. hegumenus ad altare sanctum, cujus nomen supra dictum est, orthodoxorum (ὀρθόδοξος) in civitate (πόλις) Christi amante N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti[16].

***Episcopus clamet dicens hoc modo, et signet frontem ejus tribus crucibus sub invocatione Trinitatis* (Τριάς).**

Gloria et honor etc. ut p. 13.[17]

---

[1] K secreto. — [2] K deest Dominator. — [3] K ideo te deprecamur; desunt reliqua. — [4] Sed est apud K. — [5] K nos cum eo. — [6] K deest noster. — [7] K deest hegemonicum. — [8] K deest et immaculati. — [9] K deest verum. — [10] K loco horum: hostiam etc. sublimitate vitae spiritualis accepta. — [11] K deest in gratia. — [12] K Postquam hanc orationem dixit, conversus facie sua ad orientem, dicit. — [13] K vobis. — [14] K qui compleat sacerdotium suum sine defectu, ut crescat ante te per viscera misericordiae tuae, cum omnibus, qui tibi placuerunt a saeculo. — [15] K quod est in ecclesia sancta catholica et apostolica Dei. Amen. — [16] K add. Dei pacis; et fabricam unicam sanctam et apostolicam, Ecclesiam Dei. — [17] K deest haec rubrica et oratio.

Conversus ad orientem dic hanc orationem:

Gratias agimus etc. ut p. 9, mutatis mutandis [1].

Osculetur (ἀσπάζεσθαι) *altare et episcopum et participes et incipitur* „πρυασμενυς“ *hoc est sacrum divinum* (ουτε (ὅτι) ἐστὶν ἱερὸν θεῖον). *Episcopus det ei communionem* (κοινωνία) *mysteriorum sanctorum et legant super eum hoc mandatum* (ἐντολή):

Scito, frater, qualis gradus (τάξις) tibi commissus est a [2] Domino, quod est munus hegumeni. Magnam itaque (οὖν) curam adhibe verbo doctrinae, ostende primum opera bona et instrue iis populum (λαός) tuum [3], de quo rationem (λόγος) reddis Deo secundum (κατά) monitionem (παραίνεσις) epistolae Apostoli [4]: Et esto vigilans de animabus eorum; dirige eos in factis (πράξις) bonis; fac ea magis quam dicis [5]. Et peccantes increpabis [6] secundum (κατά) legem (νόμος) apostolicam (ἀποστολικόν) in mansuetudine et benignitate [7] (ἐπικης = ἐπιεικής), dolebis de iis, quia populus tuus sunt [8], et adhibe omnem sollicitudinem (σπουδή) ne sinas lupum tangere gregem [9], et diligenter retine [10] quod scriptum est: Decet nos, qui (utique) potentes sumus, ferre (utique) infirmitates impotentium, neque (οὐδέ) placere nobismet ipsis; ut (ἵνα) et tu audias: Euge serve bone et fidelis, quia (ἐπειδή) fidelis fuisti in parvis, constituam te super magna, intra in gaudium Domini tui *).

Constitutio episcopi, et ordo electionis (χειροτονία) ejus **).

Postquam vita (βίος) *ejus fuit secundum decorum* (πρέπει) [11] *eligitur* [12] *secundum voluntatem Spiritus. Sit autem* (δέ) *irreprehensibilis, (Arabs ita habet: Ut sit vita ejus, postquam electus est ab universo populo collecto, secundum voluntatem Spiritus, sit irreprehensibilis etc.), sapiens, purus, mansuetus, benignus* (ἐπικης = ἐπιεικής), *sine sollicitudine* [13], *vigilans, non amans argenti, sed* (ἀλλά) *amans pauperum, bene* (καλῶς) *sciens Scripturas* (γραφή), *non ingressurus in quidquam (sc. negotiorum)*

---

[1] K ut complaceat tibi supra promotionem hanc in praelaturam servi tui (hujus) quae facta est ei per gratiam Spiritus Sancti tui. — ut consequi mereamur cum omnibus, qui faciunt voluntatem tuam ab aeterno, mercedem praepositi fidelis et prudentis. — [2] K ante. — [3] K hunc. — [4] K quemadmodum praecepit doctor Apostolus. — [5] K ad opera bona, ut faciant ea. — [6] K add. et incedere facias eos. — [7] K in omni simplicitate et mansuetudine. — [8] K labora pro iis, sana membra tua. — [9] K add. Sed exscindas eum et discerpas in verbo veritatis. — [10] K perfice, deest diligenter. — [11] A sit bonis moribus praeditus. — [12] A add. ab omni populo. — [13] A sobrius.

*) Ex Vanslebio novus igumenos post promotionem per integram hebdomadam jejunare debet.

**) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collatis Assemano, Vanslebio et Renaudotio, cujus codex Coptico-Arabicus Segnerianus, complectens ordinationem episcopi et metropolitae nomina exhibet patriarcharum saeculi XV. Formam etiam ordinationis juniorem exhibet, uti ex ipsa collatione patebit; notat etiam Renaudotius, officium non primae antiquitatis esse, cum se recentioris formae exhibeat ac illud, quod sequitur Abulbircatus, qui vixit sub Joanne, patriarcha LXXXV, ordinato anno Christi 1365. In codice isto Renaudotii ritus, ut Coptice est, ad plures ordinandos refertur, Arabica versio numerum singularem retinet.

hujus mundi, quietus [1] (ἥσυχος), *perfectus in operibus bonis* [2]; *ut* (ὡς) *qui ordinatur ad ordinem* (τάξις) *Dei supremum* [3]. *Bonum* (ἀγαθόν) *quidem* (μέν) *est, eum nunquam habuisse uxorem, si vero* (δέ) *non* [4], *interrogetur, an fuerit maritus uxoris unius in matrimonio* (γάμος) *solemni* [5] (σεμνόν), *et id quidem in media* (μέσως) *aetate* (ἡλικία) [6]. *Et clerus* (Κλῆρος, *ita semper*) *et populus* (λαός, *ita semper*) *simul testificabuntur de eo* *). *Scribant suffragium* (ψήφισμα) *suum et mittant archiepiscopo* (Ἀρχιεπίσκοπος, *atque ita deinceps*) *cum fidelibus* (πιστός) *ex clero et populo. Et si est diaconus ordinetur presbyter, et datur ei de mysteriis* (μυστήριον *ita semper deinceps*); *communicet* (κοινωνεῖν) *cum eo patriarcha. Et fit ejus ordinatio die dominica* (κυριακή), *congregatis episcopis et clero secundum canonem* (κανών *i. s.*) *Et post vigiliam* (ἀγρυπνία) *et psalmodiam* (ψαλμῳδία) *et doxologiam* (δοξολογία) *et Evangelium* (εὐαγγέλιον, *i. s.*) *incipitur missa* (σύναξις) [7] *et dicant:* „Unigenitus Filius" *et cetera* [8] (μονογενὴς υἱὸς λοιπόν). *Sedet archisacerdos* (ἀρχιερεύς) *super thronum* (θρόνος) *suum cum episcopis. Archidiaconus sumit suffragium* (ψήφισμα) *osculetur scabellum* (ὑποπόδιον) *pedum papae* [9] (πάπα) *et det suffragium* (ψήψισμα) *in manus ejus. Et accipiens quaerat ex iis, qui accesserunt ad ipsum:* Vosne offertis hunc? *Et respondent devote:* Ita Domine noster **). *Et papa* (πάπα) *dat illud uni ex diaconis, ut legat coram omnibus. Eligendus* (χειροτονεῖν) *autem* (δέ) *stet capite profunde* [10] *inclinato.*

Suffragium (ψήφισμα) episcopi.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Trinitatis (Τριάς) consubstantialis (ὁμοούσιος, i. s.) et incomprehensibilis. Scribimus ad beatum (μακάριος), orthodoxum (ὀρθόδοξος, i. s.) illuminatorem [11] et patrem populorum omnium, patrem patrum et principem (ἄρχων) principum (ἄρχων) omnium [12] Christi, qui subjecti sunt throno [13] (θρόνος i. s.) Alexandrini Abba (ἀββά i. s.) N., sancti patriarchae [14], [qui dignatus est throno Marci evangelistae, qui est pater noster sanctus Marcus Apostolus, qui prae-

---

1 A deest quietus. — 2 A perfectus paratus ad omne opus bonum. — 3 A sublimem bonumque. — 4 A deest Bonum . . . . uxorem, si vero non. — 5 A legitimo et vero. — 6 A sit demum aetate provecta. — 7 A add. legant Actus apostolorum. — 8 A hymnum triadicum. — 9 A adorans sub pedibus archiepiscopi. — 10 A deest profunde. — 11 A deest illuminatorem; R. illustrem. — 12 R deest omnium. — 13 AR deest Christi, qui subjecti sunt throno Alexandrini. — 14 AR patrem nostrum in Christo N. patriarcham etc.

*) Vanslebius ex auctoribus, quibus usus est, ait, testes examinandos a patriarcha septem, vel ad minimum quinque, esse debere. Quodsi dignum esse electum asseverent, patriarcha insontem se esse a peccatis ejus declarat, eaque in eos recidere. Ad quod respondere eos oportet, se ea in se assumere. Si non sit monachus, indumenta monachalia ipsi induenda esse, qualia sunt pileolus niger et Askim (ἅγιον σχῆμα) quod ad S. Athanasii jussionem reducunt Coptitae.

**) Ex Vanslebio, consecrandus mittitur in angulum ecclesiae, candela accensa coram ipso stante. Patriarcha, qui est in Heikel, tres episcopos ad eum mittit, inter quos unus archiepiscopus esse debet, qui eum adducant. Ter stolam hinc inde tenentes, eum per totam ecclesiam trahunt, ut populus eum videre, et, si quid impedimenti sit, ne fiat episcopus, enuntiare valeat.

dicavit in universo orbe (οἰκουμένη) ad consolationem et salutem animarum (ψυχή, i. s.), praeditus scientia (γνῶσις) veritatis, quam ante praedicavit et plantavit in virtute in catholica apostolica Ecclesia (καθολική — ἀποστολική — ἐκκλησία i. s.) propter adventum sponsi ejus veri, unigeniti Filii Jesu Christi, Salvatoris (σωτήρ, i. s.) nostri propter ea quae utique laboravit. Et impossibile est linguae luteae enarrare vel partem (μέρος) virtutum (ἀρετή) ejus beatarum (μακαρία). Nunc autem (δέ) iterum Deus perfectus et perficiens omnia, qui scrutatur corda et renes, qui dat virtutem servis suis, et redemit eos in sanguine suo pretioso, hic ipse respexit propter nos de coelo sancto suo, et in benignitate sua elegit beatam paternitatem nobis in throno orthodoxo, hanc quam constituerunt pastores ovium rationabilium (λογικόν) in throno apostolico Alexandrino; propterea elegit nobis Patrem nostrum sanctum et purum (καθαρός), quum (ἐπειδή) etiam nos desideraremus participes fieri gratiae orationum (προςευχή) tuarum, (nos) servi tui pauperes. Nunc autem (δέ) significamus (σεμμενιν = σημαίνειν?) in aures puras ab impuritatibus omnibus et scandalis (σκάνδαλον) omnibus[1] de doloribus cordis, qui nobis acciderunt, et de tristitia orbitatis (ὀρφανός), quae invenit nos propter peccata nostra. Requievit pater noster episcopus beatus (μακάριος) Abba N., qui visus est cum manifestatione operum rectorum suorum (Arabs: cujus nota erant et apparuerunt opera bona), et mandatorum (ἐντολή) suorum sanctorum, quibus introduxit ad Deum[2], et transiit a nobis ad tabernaculum quietis per eum qui dixit ei: Serve bone et fidelis intra in gaudium Domini tui. Ecclesia igitur mansit sine pastore. Convenit itaque (λοιπόν) congregatio omnis et loquebantur multum de hoc negotio. Rogavimus Trinitatem sanctam perfectam in corde puro et fide recta, et revelavit[3] nobis N., servum Dei, presbyterum et monachum (μοναχός) monasterii (μοναστήριον) N., quia aptus esset, qui fieret episcopus civitatis (πόλις i. s.) Christi amantis N.[4], quandoquidem (γάρ) vita (βίος) ejus plena est virtutibus (ἀρετή), (ut qui est) homo pius (εὐσεβής), purus a mundo (κόσμος i. s.), amans peregrinorum, doctor, contemnens[5] mundum, festinans ad audiendum evangelium veritatis. Propter hunc hoc modo ad pedes tuos provoluti[6] te suppliciter rogamus, ut facias eum nobis episcopum et pastorem super nos, ut (ἵνα) dirigantur per eum perversi ecclesiarum sanctarum, et sit salus animarum, et pascat nos in misericordiis et miserationibus, et nos etiam diligenter (ἀκριβῶς) orationibus (προςευχή) sanctis et puris flagitemus (ἐτιν = αἰτεῖν) a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore nostro, ut custodiat te in Ecclesia sua sancta multos annos patrem nostrum[7] patriarcham, ministrum perfectum Dei, ut complaceat tecum in omnibus operibus tuis per orationem nostram et populi nostri totius[8]: Kyrie eleison (Κύριε ἐλέησον i. s.)]

Archidiaconus dicat hanc allocutionem (προςφώνησις):

Civitas Christi amans et audiens legem (νόμος) ejus, quae amat[9] patrem suum, non amplius tulit orbitatem (ὀρφανός), sed (ἀλλά) convocata

---

[1] R deest in aures . . . . omnibus. — [2] R qui consilio et doctrina pollens demonstravit cogitata ejus recta et praecepta ejus sancta eo spectare, ut ad Deum deduceret. — [3] R visus est servus. — [4] R deest Christi amantis. — [5] R qui contemsit. — [6] R Idcirco nos prosternimus ad pedes ejus et ad tuos quoque prostrati. — [7] R pater sancte. — [8] R et propterea omnes una voce dicimus. — [9] A diligebat

congregatione deliberaverunt, ut (ἵνα) eligerent sibi patrem, festinaverunt in studio (ἄκρια = ἀκρίβεια?), scrutati sunt et quaesierunt, ut invenirent sibi pastorem, qui pasceret se in vita bona. Et rogaverunt enixe Deum[1] et ostendit eis ministrum perfectum N. presbyterum et monachum monasterii N. Et ecce ego misi eum vobis cum presbyteris et clericis[2] (κληρικός) Christi amantibus cum scripto electionis[3] (χειροτονία) suae, quemadmodum postulastis (ἐτιν = αἰτεῖν) ut fieret episcopus et pastor vobis et administrator (οἰκόνομος) ecclesiarum sanctarum, quoniam testimonium perhibuit de eo clerus et populus, ut esset pro Abba N. et recordaretur ejus in orationibus (προςευχή) suis. Ecce igitur (οὖν) vix perlata[4] supplicatione vestra ad nos respeximus angustiam[5] vestram et non placuit nobis vos rejicere, o popule Christi amans, qui postulastis (αἰτεῖν) adventum ejus in medium[6]. Decet etiam vos, dilectissimi (ἀγαπητός) nostri, obsecrare et rogare[7] cum magna vi, omnes congregati[8], ut descendat super eum donum (δωρεά) Spiritus Sancti gratiae[9] caelestis (ἐπουράνιον) per orationem nostram et populi nostri totius[10]: Kyrie eleison.

Post haec archiepiscopus descendat de throno cum episcopis et stent super[11] *altare coram archiepiscopo (Arabs: et stent episcopi omnes cum eo super altare)*[12]. *Omnes stent in timore et silentio et orent in corde cum pietate*[13] (εὐλάβεια). *Patriarcha imponit thus, dicat orationem thuris, conjungat cum ea hanc etiam orationem facie sua conversa ad orientem, noviter ordinandus genuflectat*[14] *super gradus* (βαθμός).

Domine Deus virtutum, qui induxisti nos in sortem ministerii hujus etc. ut supra p. 4, mutatis his verbis, et suscipe perfectum pontificatum servi tui hujus, qui hic stat etc.

Deinde (εἶτα) *conveniunt ad ipsum episcopi, qui sunt socii ordinationis cum ipso. Archidiaconus dicit has preces* (δησις = δέησις) *noviter ordinando stante.*

Dicamus omnes enixe precantes: Kyrie eleison.

Populus: Kyrie eleison[15].

Domine omnipotens, qui es in coelo, Deus patrum nostrorum: rogamus te, exaudi nos et miserere nobis. Kyrie eleison[16].

Orate pro pace (εἰρήνη i. s.) unius solius[17] catholicae et apostolicae Ecclesiae et salute populorum. Domine exaudi nos et miserere nobis. Kyrie eleison.

Orate pro vita, potestate[18] et salute patris nostri Abba N., patriarchae et archiepiscopi, et (pro) ceteris episcopis orthodoxis et clero et populo

---

[1] A pro illis: festinaverunt etc. Re itaque accurate perpensa precibusque ad Deum instanter fusis, ut bonum sibi pastorem concederet. — [2] R reliquis ex populo. — [3] R ordinationis. — [4] AR annuentes precibus vestris. — [5] AR curarum laborumque. — [6] A cum eum nobis praesentaveritis. R non esse repellendum eum, quem nobis hic in medio adduxistis. — [7] R ut petamus et deprecemur. — [8] A una nobiscum et cum omnibus circumstantibus. — [9] A et gratia R nempe gratia. — [10] A et simul omnes cum universo populo clamemus, dicentes. R deest: per . . . totius, addit dicendo. — [11] A ad. — [12] A add. ordinandus autem utrumque genu flectat ante altare coram archiepiscopo. — [13] A pavido ac tremente. — [14] A utrumque genu. — [15] A deest Populus . . . . eleison. — [16] A deest Kyrie eleison; et ita porro. — [17] AR add. sanctae. — [18] R gloria.

Christi amante. Exaudi nos, Domine, et miserere nobis. Kyrie eleison. Orate pro remissione peccatorum nostrorum et praevaricationum (ἀνομία) nostrarum, ut (ἵνα) eripiat nos Deus ex omnibus angustiis (θλίψις), iris (ὀργή)[1], dissentione[2], periculis[3] (κίνδυνος), tentationibus (πειρασμός) et elevatione hostium. Rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nobis. Kyrie eleison. Domine, libera populum tuum, benedic haereditati (κληρονομία) tuae, visita mundum in misericordiis et miserationibus, exalta cornu christianorum (χριστίανος) in virtute crucis (σταυρός i. s.) vivificae praeteri[4] iniquitates (ἀνομία) nostras, dirige opera manuum nostrarum, exaudi orationem populi tui: Kyrie eleison[5]; per intercessiones (πρεσβεία) Dominae nostrae Deiparae (θεότοκος) et semper Virginis (παρθένος) sanctae Mariae, et orationes (εὐχή) patris nostri beati Marci Apostoli et chori (χόρος) Sanctorum tuorum. Ita Domine, exaudi nos, qui rogamus te, quoniam misericordia a te est. Kyrie eleison.

Rogamus te, Domine, dimitte nobis praevaricationes (παράπτωμα) nostras, quas fecimus voluntarie et quas fecimus involuntarie, suscipe orationem nostram, emitte super nos misericordias et miserationes tuas, quoniam nos omnes misericordiam quaerimus a te. Kyrie eleison.

Rogamus te autem (δέ), ut emittas Spiritum Sanctum tuum super hunc electum ministrum tuum N., pro quo haec oratio ad te est, Dominator Deus gloriae. Rogamus te, Domine[6], exaudi nos et miserere nobis. Kyrie —

Populus dicit: Kyrie eleison. *Quinquagies.*[7]

Archidiaconus dicit (Ὁ Ἀρχιδιάκων λέγει, *i. s.*)

Elevate sursum manus vestras, episcopi.

Episcopi elevant manus sursum, accipiant[8] *(Arabs: tangant) noviter vocatum hinc et inde, imponant manus suas humeris ejus (Arabs: „scapulis (s. humeris) et brachiis ejus“). Patriarcha oret facie conversa ad occidentem:*

Domine omnipotens, et Dominator universi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, tu es potestas auxilians (βοηθεῖν), tu es adjutor[9] (βοηθός), medicus et salvator[10], murus et firmamentum[11], spes (ἐλπίς) nostra et refugium nostrum, gratia et susceptio[12] (ἀναλυμψις = ἀνάληψις), exspectatio (προςδοκία) et vita et resurrectio (ἀνάστασις), et a te est reconciliatio[13] et salus[14], quae est nobis omnibus usque in saecula. Tu reconciliasti[15] omnes[16]. Fortifica nos, serva nos, custodi nos, protege (σκεπάζειν) nos, libera nos; tu enim (γάρ) es princeps principum (ἄρχων), et dominus dominantium et dominator dominatorum[17], et rex regum; tu es, qui das[18] potestatem ei, quem tu ante constituisti, et donas[19] ei gratiam ligandi et solvendi, quos decet. Tu enim (γάρ) es, qui das[20] ei sapientiam (σοφία) sicuti organo (ὄργανον) ex parte[21] Ec-

---

[1] A deest iris. — [2] AR deest dissensione. — [3] A tribulationibus. — [4] AR dele. — [5] AR deest Kyrie eleison. — [6] A deest Domine. — [7] A deest Populus . . . . quinquagies. — [8] A contingunt. — [9] R deest adjutor. — [10] R qui nos sanas. — [11] AR murus fortis. — [12] AR exaltatio. — [13] A accessus R ordinatio. — [14] A addit perpetua. — [15] A vis salvos fieri. — [16] R quandoquidem voluntate tua disposuisti universa. — [17] R deest dominator dominatorum. — [18] AR tradidisti. — [19] AR quem in cathedra collocare destinaveras et concessisti. — [20] AR largitus es. — [21] A deest ex parte R per.

clesiae Christi tui, quam custodis quemadmodum sponsam speciosam, quoniam tu es Deus omnipotens (παντοδύναμος), et super omnia dominans[1] (παντοκράτωρ) et tuum est regnum et gloria, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc etc.

Archidiaconus dicit hanc exclamationem (ἐκφώνησις):

Gratia, quae dat salutem deficientibus[2] veniens super congregatos[3] in oeconomia (οἰκονομία)[4] in omnibus ecclesiis sanctis, veniat nunc super N. ministrum Dei, presbyterum et monachum monasterii N., ut fiat episcopus civitati Christi amanti N., ut sit compensatio pro N., qui requievit, quem Dominus recepit ad se, et qui reliquit nobis memoriam suam sanctam. Orate vos omnes et rogate Dominum, congregati, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti[5] per orationem nostram et populi nostri universi[6]. Kyrie eleison.

Converte te ad altare et dic hanc orationem:

Ita Domine, fac eum dignum vocatione sacerdotali (ἱερατικόν), ut digne per gratiam tuam[7] [mereatur nomini tuo servire et altari tuo sancto, et pascat populum tuum in sanctitate et veritate[8] et consequatur sortem (κλῆρος) sanctorum (ἅγιος) per misericordias unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui etc.] *)

Converte te ad occidentem, impone dexteram tuam super caput noviter vocati.

Archidiaconus alta voce dicat:

State honeste (καλῶς), state in tremore, state in quiete (ἡσυχία), state in humilitate[9], state in timore. Orate omnes nobiscum, cum episcopis congregatis[10], et elevate manus vestras sursum.

Episcopi extendunt manus suas et tangunt colla et[11] humeros (Arabs: scapulas et brachia) ejus. Patriarcha dicit orationem ordinationis (χειροτονία).

Dominator**) Domine Deus omnipotens Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, une sole ingenite, sine principio (ἀρχή) nullum regem habens super te, qui es semper[12] et es ante saecula, infinite et sole altissime, sole sapiens (σόφος), sole bone (ἀγαθός), invisibilis in natura (φύσις) tua, principii expers (ἄναρχος), et apud quem est scientia incomprehensibilis et incomparabilis[13] (ἀσύγκριτος), cognoscens

---

[1] R deest et super omnia dominans. — [2] AR infirmis. — [3] A addit omnes. — [4] AR ad regimen. — [5] A Spiritus Sanctus, deest gratia. — [6] AR et dicamus cum universo populo. — [7] R per amorem erga homines tuum. — [8] R justitia. — [9] A deest state in humilitate. — [10] A omnes episcopi qui adestis. — [11] A deest colla et. — [12] A addit et ab aeterno. — [13] A deest incomprehensibilis et incomparabilis; addit qui infinitus es.

*) A ad ordinationem subdiaconi remittit.

**) Oratio incipit: Ille, qui est dominator etc. „Ille, qui est" vertit Arabs participio verbi „esse". Assemanus interpretatur: „Jehova" Renaudot: „Qui es"; minus verisimiliter. Videtur circumscriptio Coptis familiaris esse = dominator etc. Tertia persona pro secunda ut saepius posita est. Eadem phrasis coptica recurrit mox in hac ipsa oratione: Ille, qui est in altissimis. Alias occurrit sensu „aeternus". Matr. cζ. (Scholz.)

occulta, cognoscens omnia antequam fiant, qui es in altissimis et respicis humiles, qui dedisti statuta (ὅρος, Arabs: canones) ecclesiastica (ἐκκλησιαστικόν) per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum[1], qui constituisti[2] sacerdotes ab initio, ut adsisterent[3] populo tuo, qui non reliquisti[4] locum tuum sanctum sine ministerio, qui complacuisti tibi[5] glorificari in iis, quos elegisti[6]: tu iterum nunc effunde virtutem Spiritus tui[7] hegemonici (ἡγεμονικόν), quem[8] donasti Apostolis sanctis tuis in nomine tuo[9]. Da igitur (οὖν) hanc eandem gratiam super servum tuum N, quem elegisti in episcopum, ut pasceret gregem tuum sanctum, et ut tibi esset in ministrum irreprehensibilem, orans ante benignitatem (ἀγαθός) tuam die ac nocte, congregans (conservans?) numerum (ἀριθμός) salvandorum, offerens tibi dona (δῶρον) in sanctis ecclesiis[10]. Ita, Pater[11] omnipotens, per Christum tuum, da ei unitatem[12] Spiritus Sancti tui, ut (ὥςδε) sit ipsi potestas dimittendi peccata secundum (κατά) mandatum (ἐντολή) unigeniti tui Filii Jesu Christi Domini nostri, constituendi cleros (Κλῆρος, Arabs: Clericos) secundum (κατά) mandatum ejus[13] ad sanctuarium[14] (ἱερατεῖον), et solvendi vincula omnia ecclesiastica, faciendi domos novas orationis[15] (εὐκτήριον), et sanctificandi (ἁγιάζειν) altaria (θυσιαστήριον); et placeat tibi in mansuetudine et corde humili, offerens tibi in innocentia et irreprehensibilitate sacrificium sanctum incruentum, mysterium (μυστήριον) hujus[16] Testamenti (διαθήκη) Novi, in odorem suavitatis[17].

Archidiaconus dicit: Dominum rogemus (Τοῦ Κυρίου δεήθωμεν).

*Archiepiscopus dicit**) (Ὁ Ἀρχιεπίσκοπος λέγει):

Dignare (καταξιόειν), Domine, implere eum donis salutaribus[18] et verbo scientiae, ut sit ductor caecorum in via[19] et lumen eorum, qui in tenebris sunt, ut erudiat indoctos, sit illuminator in mundo, dispensans verbum veritatis[20], imitans pastorem verum (ἀληθινός), ponentem animam (ψυχή) suam pro ovibus suis, ut (ἵνα) hoc modo dirigat[21] animas sibi commissas[22], et[23] ipse quoque sit paratus ad faciendum secundum (κατά) voluntatem tuam sanctam, ut inveniat rationem standi secure (παῤῥησία) ante tribunal (βῆμα) tremendum, accipiens[24] magnam mercedem, quam parasti iis, qui certaverunt (ἀθλητεύειν) in praedicatione evangelii. Me autem (δέ) etiam purifica ab omnibus peccatis alienis, et libera me ab iis, quae mea ipsius sunt, per mediationem[25] (μεσιτεία) unigeniti tui Filii Domini nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo etc.

---

[1] R add. et Spiritum Sanctum. — [2] R ordinavit. — [3] AR praeessent. — [4] R reliquit. — [5] R voluitque. — [6] R add. Ministrans (diaconus) dicit: Orate. Populus: Kyrie eleison. — [7] A Spiritum tuum. — [8] R quam, add. benigne. — [9] A deest in nomine tuo. — [10] R add. Ministrans: Orate. — [11] AR Domine. — [12] AR participationem. — [13] A praecepto suo. — [14] A in ordine sacerdotali. — [15] A et omnes novas aedes in ecclesia dedicandi. — [16] R deest mysterium hujus. — [17] R cum suffitu thuris. — [18] A omni gratia curationum. R gratiis sanitatis. — [19] R deest in via. — [20] A verbo veritatis definiat. R addit recte. — [21] R rationem reddat. — [22] A deest ut . . . . commissas. — [23] A ut per hoc. — [24] R exspectans. — [25] A per unigenitum.

*) Haec rubrica deest apud A, qui in nota testatur, orationem dici non ab archidiacono, sed a patriarcha manum ordinando adhuc imponente.

Quando finierit convertit se ad orientem ad altare, et dicit: Amen. *Deinde dicit hanc orationem:*

Respice super nos, Domine, et super ministerium nostrum et purifica nos ab omnibus inquinamentis, emitte de alto super servum tuum hunc gratiam tuam pontificalem (ἀρχιερατικόν) ut (ὅπως) dignus fiat per beneplacitum tuum, qui pascat populum tuum irreprehensibiliter, et ad confirmationem Ecclesiae tuae [1], quoniam tu es misericors in beneplacito tuo et te decet (πρέπει) honor ab omnibus et adoratio (προςκύνησις), Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc etc.

Converte faciem tuam ad occidentem, signa (σφραγίζειν) *caput* [2] *noviter ordinati pollice tuo tribus vicibus et dic:*

Vocamus N. episcopum in sanctam (ἁγία) ecclesiam [3] N. civitatis Christi amantis et provinciae ejus [4] in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Post haec indue eum stola (στολή) *sacerdotali* (ἱερατικόν), *tunica candida, cuculla* (κουλλα) *candida et pallio* (παλιν?) *candido* *) *et dic:*

Gloria (= ad gloriam etc.) et honor Trinitati sanctae, Patri et Filio et Spiritui Sancto; pax et aedificatio uni soli [5], sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae. Benedictus Dominus Deus in saecula [6]. Amen.

Converte faciem tuam ad occidentem, signa (σφραγίζειν) *caput noviter ordinati tribus vicibus* [7] *pollice tuo et dic:*

Vocamus electum Dei N. episcopum in unam solam [8], sanctam, indissolubilem [9] ecclesiam invisibilis et vivi Dei Christi amantis civitatis orthodoxorum N. et provinciae ejus; ad gloriam et honorem nominis [10] sanctissimae (παναγία) Trinitatis (τριάς), pacem [11] (εἰρήνη), et aedificationem Ecclesiae sanctae, ad justificationem judiciorum veritatis, manifestationes sanctas [12], et dona [13] (δῶρον) pura, ad resurrectionem (ἀνάστασις) ex mortuis, ad pignus incorruptibile in saecula. Amen [14].

Populus dicit: Dignus, dignus, dignus!

(Ὁ λαὸς λέγει· ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος)

Archidiaconus dicat has preces (δεήσεις):

Dicamus omnes supplicantes: Kyrie eleison.

Orate pro una sola [15], catholica et apostolica Ecclesia, quae est a finibus orbis terrarum (οἰκουμένη) usque ad fines. Rogemus Dominum dicentes: Kyrie eleison.

Orate pro misericordia et pace [16] (εἰρήνη) animarum (ψυχή) nostrarum dicentes: Kyrie eleison.

Orate pro patre nostro sancto glorioso per Deum archiepiscopo Abba N. Rogemus Dominum pro eo dicentes: Kyrie eleison.

---

1 AR et ecclesiae tuae praesit. — 2 A deest caput. — 3 AR in ecclesia. — 4 A omniumque ad illam pertinentium R finium ejus. — 5 A deest soli. — 6 A deest in saecula. — 7 A deest tribus vicibus. — 8 AR in una; deest solam. — 9 A immaculata R indivisa. — 10 R deest nominis. — 11 R deest pacem. — 12 A ad mundas oblationes. — 13 A victimas. — 14 A deest Amen. — 15 AR deest sola. — 16 A salute.

*) Indumenta pontificalia haec ex Vanslebio sunt: Teleisan, sive Bilogion, vitta linea alba, quam in turbani modum capiti circumvolvunt sacerdotes, et Burnus sive cappa, cum pileolo annexo, qui proprius est episcoporum.

Oremus [1], ut Spiritus Sanctus descendat super hunc electum episcopum cum impositione manuum adventus in medium [2]. (Arabs: et impositio manus, quae est in medio). Rogemus [3] Deum gloriae enixe [4] dicentes [5]: Kyrie eleison.

Oremus [6], ut Deus dignos nos faciat vocatione superna. Precemur omnes congregati et qui non sunt congregati nobiscum dicentes: Kyrie eleison.

Post haec dicat patriarcha: Pax omnibus (εἰρήνη πᾶσιν). *Dicat hanc orationem facie conversa ad orientem:*

Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, pro omnibus et in omnibus et benedicimus et glorificamus nomen sanctum tuum, quia fecisti nobiscum magna et effudisti donum (δωρεά) tuum dives super servum tuum N. Precamur et rogamus te, Domine, exaudi nos per multitudinem misericordiarum tuarum, mysterium super [7] impositione manuum (χειροτονία) archisacerdotii (ἀρχιερωσύνη), quae facta est super servum tuum N. sanctissimum (σιοτατος forte ὁσιώτατος? Arabs vertit: excellentem) [8] per adventum Spiritus Sancti tui [9], et dirige vocationem electionis ejus in puritate et gratia Spiritus Sancti tui, et elige nos cum ipso ad bonum (ἀγαθόν), ut operemur et accipiamus fructum talenti, ut (ἵνα) accipiamus cum omnibus, qui fecerunt voluntatem tuam a saeculo, mercedem fidelis (πιστός) oeconomi (οἰκόνομος) in adventu (παρουσία) Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui etc.

Post haec patriarcha dicat: Pax omnibus (εἰρήνη πᾶσιν).

Et episcopus novus constituitur ad dexteram altaris, evangelium in sinu habens. Patriarcha revertatur ad thronum (σύνθρονος) *et sedeat* [10]. *Et dicatur prologus* (πρόλογος) *et psalmus* (ψαλμός) *et evangelium secundum* (κατά) *consuetudinem.*

[Haec sunt, quae alta voce leguntur: Benedicite (εὐλογήσατε). *Ex epistola S. Pauli Apostoli ad Hebraeos. Prologus. Hebr. 4, 14—5, 6.* (ἐκ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς Παύλου τοῦ ἁγίου ἀποστόλου).

Psalmus 106, 32. Exaltent eum in ecclesia plebis ejus et laudent eum in cathedra seniorum (πρεσβύτερος). *Lectio* (λέξις): Posuit familiam quemadmodum oves, videbunt recti et laetabuntur. Alleluja.

Evangelium secundum Joannem Cap. 20, 19—21 .... (Hic insufflat in faciem ejus patriarcha et dicat: Dignus ἄξιος) v. 22: Postquam haec dixit, insufflavit in facies eorum et dixit: Accipite Spiritum Sanctum: *(Hic vero* (δέ) *iterum insufflet in faciem ejus)* quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*]*

Et descendit [11], *perficiat* (ἐπιτελεῖν) *oblationem* (ἀναφορά) *sanctam, et sumat de mysterio sancto, et det episcopis. Deinde dividat panem cum episcopo novo et det ei de mysteriis sanctis et de calice sanguinis pretiosissimi* [12], *et insufflans in faciem ejus* [13] *imponat* [14] *dexteram suam*

---

[1] AR Orate. — [2] A et pro hac praesente manus impositione. R deest adventus in medium. — [3] R add. Dominum. — [4] A Postulate a Deo Domino gloriae misericordiam. — [5] R add. omnes. — [6] AR Orate. — [7] AR Complaceat tibi in hac. — [8] A add. maxime. — [9] R add. super eos. — [10] A deest et sedeat. — [11] A add. de throno. — [12] A deque sanguine. — [13] A deest et insufflans in faciem ejus. — [14] A elevat super.

capiti ejus, et unusquisque clamet: Dignus, dignus, dignus! (ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος) N. episcopus civitatis N. et provinciae ejus *). *Quando data est pax, patriarcha stans exuat ei stolam sacerdotalem* (ἱερατικόν) *et induat ei stolam* (στολή) *nigram. Dum induit* (στολίζειν) *eum clerus psallat* (ψάλλειν) *conjuncta* [1]. *Cum finierint sedent secundum* (κατά) *gradum* (ὀρδινον?) *in introitu* [2] *(dignitate?) in consessum* (σύγκριτος). *Et dicunt laudes* (ἔπαινος) *et hymnos* (φώνη) **).

Data pace [3] (εἰρήνη) *secunda dat ei patriarcha pacem et episcopis et sacerdotibus* [4] ***). Ad laudem Domini. Amen.

Sequitur: adhortatio ad episcopum arabice ****).

[Deinde haec rubrica arabica:

Deinde celebrabitur ei tres dies festum spirituale in similitudinem mysterii ejus, qui resurrexit a mortuis.] †)

---

1 A quae conveniunt. — 2 A deest in introitu. — 3 A dicta absolutione. — 4 A et omnes episcopi ac presbyteri.

*) Teste Vanslebio, patriarcha consecratum secum altare ascendere, et ad dexteram suam statuens, missam secum legere facit. Simul corpus Domini dividunt; patriarcha eum professionem recitare jubet, quae apud Coptitas ante communionem de Eucharistia emitti solet. Tunc corpus Domini in manus ei tradit et ipse communionem sumit. Ita et Renaudotius (Comm. in liturg. Copt. S. Basilii p. 255) ex rituali Gabrielis patriarchae, Abusebah in Scientia ecclesiastica et Abulbircato, apud quem ad episcopum ordinandum praecipitur, ut „confessio illi suggeretur lingua vernacula, quam ordinatus intelligat, ut certo constet fides ejus apud patriarcham."

**) Sedenti in Heikel consecrato fit allocutio. Ita Vanslebius.

***) Finita allocutione, patriarcha populo dat benedictionem et omnes recedunt. Ita Vanslebius.

****) Haec exhortatio ex Vanslebio legitur ab episcopo seniore, postquam ordinatus vestibus pontificalibus indutus fuit, antequam missa cantetur. Lectione peracta novus episcopus librum osculatur in signum submissionis.

†) Post ordinationem novus episcopus ad cellam patriarchalem accedens à patriarcha dono accipit parvam crucem aeream longitudinis unius pedis, quam manu jugiter defert, et baculum ex ebeno in formam literae T factum. Consecratus per septem dies jejunat, eo tempore omnes sui ministerii functiones discens, eodemque tempore patriarcha bullam et literas commendatitias pro sua dioecesi ei scribit. Ita Vanslebius (Hist. Part. 4. sect. 2), qui alibi ita habet. Episcopus post consecrationem suam jejunare debet per tres hebdomades, donec stellae appareant, exceptis sabbatis et Dominicis, et hoc tempore elapso per integrum adhuc annum in aqua et pane jejunare tribus in hebdomada diebus, qui sunt feria 2., 4. et 6., nihil illis diebus manducando nisi fructus et mel, et reliquum vitae tempus in perpetua abstinentia transigere debet (Hist. p. 33.).

Consecratio episcopi ex Renaudotio*).

Postquam de vita et de moribus eorum constiterit ex totius populi testimonio secundum voluntatem Spiritus Sancti oportet eos esse absque vitio, sapientes, castos, humiles, mansuetos, non inquietos, in vigiliis assiduos, pecuniae non cupidos sed pauperum amantes, qui scripturas probe intelligant, qui non implicent se negotiis saecularibus, qui sint perfecti, et ornati operibus bonis, ut convenit ordini Dei sublimi et bono, ut uxorem non habeant, aut si habuerint, unicam duxerint legitimo matrimonio. Sint omnino in statu suo perfecti, sacerdotesque et populus testimonium de illis perhibeant, scripto de illorum dignitate instrumento, quod ad archiepiscopum mittent per primores aliquot ex clero et populo. Si electi, diaconi tantum fuerint, ordinabuntur sacerdotes singulari die, et qui ita ordinatus est, ita remanebit, donec perfecerit ministerium sanctum. Postea ordinabitur hegumenus, et si monachus non fuerit induetur habitu monastico, scilicet cuculla et schemate, idque alio die privato, quo ita manebit: et cum haec perfecta fuerint, noctem diei Dominicae in ecclesia vigilabit. Mittunt quoque ad vicinam regionem, invitando episcopos vicinos ecclesiasticos et laicos orthodoxos, ut adsint: nam ordinatio ejusmodi fieri non debet, nisi frequenti populo. Dicetur deinde officium vespertinum noctis quae dominicam praecedit: officiumque nocturnum et matutinum et doxologia. Ordinandum vero oportet totam illam noctem insomnem ducere, et recitare psalmos centum quinquaginta, cum evangelio Sancti Joannis evangelistae. In officio matutino antequam dicatur Exaltemus, *canunt doxologiam tono gravi integram. Officio completo adducunt patriarcham ex patriarchio in ecclesiam et electum coram eo inter episcopos, quem relinquunt in latere chori ad dextram altaris: duobus presbyteris comitantibus a dextra et sinistra, cereusque accensus constituitur coram eo. Cum patriarcha ingressus fuerit chorum, simul cum episcopis, incipitur liturgia juxta consuetudinem: finitaque sessione extra chorum, deducunt patriarcham ad superiorem partem synthroni, sedetque versus orientem, et circa illum episcopi donec finiantur lectiones ex sacra scriptura, quarum ultima est ex Actibus Apostolorum, quae cum facta fuerit arabice descendit patriarcha ex synthrono, statque intra portam altaris, et episcopi circum illum. Imponitur quoque altari ἐπιτραχήλιον sericeum, in quo sunt imagines Salvatoris et discipulorum; quod si non induit cucullam nigram super camisiam imponunt quoque illam super altare cum ἐπιτραχηλίῳ. Postea accenduntur cerei in manibus sacerdotum et diaconorum: annuitque patriarcha episcopis ut osculentur crucem. Illi cum silentio procedunt versus electum, qui statim atque ad eum pervenerunt, coram illis metanoeam procumbens facit. Mox erigit se, et episcopi tenent manus ejus, tanquam patres sancti, procedduntque sacerdotes et diaconi ante illum donec eum deduxerint coram altari. Tum adorabit Dominum gratias agens nomini ejus, et erigens se osculabitur crucem ex manu patriarchae. Mox archidiaconus*

***) Notat Renaudotius in codice suo textum Copticum ad plures episcopos ordinandos pertinere: Arabem vero interpretem omnia singulari numero expressisse.**

proferet instrumentum electionis allatum a Christianis, ad testimonium ferendum de dignitate electi, ut constituatur episcopus super eos, dabitque illud Protopapae, qui illud manu accipiens, et ad eos qui ad eum finem venerunt conversus dicet: Vosne attulistis hoc instrumentum: *respondebuntque cum reverentia:* Ita Domine: *tum tradet illud uni diaconorum, qui illud publice coram omnibus leget: ordinandusque stabit interea, capite demisso.*

Forma instrumenti electionis episcopi.

In nomine Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti Trinitatis consubstantialis, incomprehensibilis. Scribimus ad beatum orthodoxorum illustrem patrem omnium populorum, patrem patrum et principem praesulum in Christo Anba N. sanctum patriarcham, qui dignus factus est throno Marci evangelistae, vera doctrina praedito, celebri per totum orbem ad consolationem et salutem animarum. Nos quippe servi tui pauperes optamus percipere gratiam eximiam orationum tuarum, cum difficile, imo impossibile sit terrena lingua enarrare virtutes beatitudinis tuae, quas publica fama notas plantavit et confirmavit in catholica et apostolica ecclesia patris nostri sancti evangelistae Marci, propter adventum sponsi veri, Filii unigeniti Jesu Christi Salvatoris nostri, perfecti a quo omnia perfectionem accipiunt: qui propter nos respicit e coelo suo sancto, qui scrutatur corda et renes: qui dedit potestatem servis suis, eosque redemit sanguine suo pretioso: qui elegit nobis paternitatem (suam) beatam humanitate conspicuam, ex throno orthodoxo, pastorem ovium spiritualium throni apostolici, ad quod elegerat nobis patres nostros sanctos et pios. Nunc igitur vobis significamus etc. ut p. 20.

Archidiaconus ita respondet illis qui obtulerunt instrumentum electionis. Urbs Christum diligens p. 20.

Patriarcha convertitur ad sanctum altare, et si ordinandus non habuerit cucullam nigram, accipiet illam patriarcha terque cruce signabit dicens primo: In nomine Patris etc. *postea* Benedictus etc. *aufertque cucullam albam, imponetque ordinando nigram dicens:* Gloria et honor etc. *Deinde imponit* ἐπιτραχήλιον *collo ejus, signabitque eum ter in fronte signo crucis. Extendetur pallium album super caput ejus, episcopis oras epitrachilii hinc et inde tenentibus, et inter eos erit antiquior episcopus. Si unicus episcopus adsit, alteram oram tenebit archipresbyter detecto uterque capite. Incipiunt deinde recitationem orationum:* Unigenitus, *procedentes et circumeuntes ecclesiam, patriarcha stante interea ad altare, donec eum adduxerint ad partem occidentalem, ubi sedere jubetur in pavimento completurque hymnus: post quem unus diaconorum incipit carmen in laudem electi, tono crucis.*

Elegit te Christus Dominus noster, o homo Dei, hegumene serve Dei pater noster sancte Anba N. etc.

Postea deducent eum canentes: Benedictus etc. *usque ad portam altaris, ascendentque episcopi ad altare, sacerdotes et diaconi parati ad ministerium. Electus prosternet se coram altari Domini, et osculabitur crucem de manu patriarchae, qui extensa manu ter frontem ejus signo crucis signabit. Is vero stabit capite inclinato, pallio albo super caput ejus extenso quod habebit nudum absque fascia, sed tantum cucullam, manusque junget, inclinabundus ad Dominum. Dicetur ter* Kyrie eleison.

Patriarcha dicet: Pax omnibus. *Respondebunt:* Et cum spiritu tuo. *Et conversus ad orientem dicet orationem gratiarum actionis, assistente simul episcopo antiquiore. Adolebit incensum orationis ad lectionem epistolae Pauli, caneturque interea:* Kyrie eleison, *postea pulsabuntur campanae. Deinde dicet . . . . postea:* Salve Ecclesia. *In diebus Pentecostes:* Gaudete in resurrectione ejus. *Postea.* Salve pater noster Marce. *Deinde:* Per intercessiones: ad Virginem; per preces: ad Marcum evangelistam; per preces: ad patriarcham.

Tum oratio . . . . Kyrie eleison *ter. Patriarcha:* Pax omnibus. *Respondent:* Et cum spiritu tuo. *Mox patriarcha dicit hanc orationem.*

Domine Deus virtutum p. 21.

Populus dicet: Kyrie eleison, *episcopusque assistens dicet has orationes, et ad unamquamque populus dicet:* Kyrie eleison.

Dicamus omnes orantes cum fervore. Kyrie eleison. Domine omnipotens, qui es in coelis p. 21.

Populus dicit: Kyrie eleison, *quinquagies.*

Antiquior diaconus dicet episcopis. Levate manus vestras o episcopi. *Illi vero elevantes manus suas, imponunt illas humeris ordinandi. Patriarcha imponit manum super caput ejus et dicit hanc orationem, dicto prius:* Pax omnibus etc.

Domine omnipotens, et omnium dominator p. 22.

Populus: Kyrie eleison, *ter. Episcopus assistens dicet hanc orationem conversus ad occidentem.* Gratia quae dat sanitatem p. 23.

Populus dicit: Kyrie eleison *ter.*

Patriarcha conversus ad orientem dicit orationem sequentem, postquam dixerit: Pax omnibus *et responderint:* Et cum spiritu tuo. O Domine p. 23.

Populus dicit: Kyrie eleison *ter.*

Patriarcha conversus tenebit caput electi, primusque diaconorum aut episcopus assistens dicet. State decenter, state cum tremore, state cum silentio, state cum humilitate, state cum timore.

Patriarcha dicet: Pax omnibus. *Respondetur:* Et cum spiritu tuo. *Assistens dicit:* Orate omnes nobiscum, et omnes episcopi congregati levate sursum manus vestras.

Populus dicet: Kyrie eleison, *ter. Episcopi imponent manus suas super humeros electi. Patriarcha dicet.* Pax omnibus. *R.* Et cum spiritu tuo. *Postea dicet hanc orationem quae est ordinationis conversus ad occidentem.* Qui es, Domine Deus p. 23.

Ministrans (diaconus) dicit: Orate.

Populus: Kyrie eleison.

Tu nunc effunde p. 24.

Ministrans: Orate.

Patriarcha: O Domine omnipotens per Christum p. 24.

Assistens dicit: Orate.

Populus: Kyrie eleison.

Patriarcha dicit orationem pro mortuis. Dignare Domine p. 24.

Populus dicit: Kyrie eleison *ter.*

Patriarcha: Pax omnibus. *R.* Et cum spiritu tuo.

Mox ad orientem conversus dicit hanc orationem. Respice super nos p. 25.

Patriarcha conversus ad occidentem signat ter frontem electi signo crucis dicens. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: *et dicit:* Vocamus p. 25.

Populus canet cum jubilo: Spiritus paraclitus etc. ad illapsum Spiritus Sancti.

Mox incipiet archiepiscopus induere electum ornamentis sacerdotii sui scilicet sticharío, epomide, ἐπιτραχηλίῳ, zona, manicis et cappa alba; dabitque illi crucem et mantile dicens secreto. Gloria p. 25.

His peractis finient hymnum Spiritus Sancti: tum orationem ad Apostolos: aliam ad patriarcham; et dicent: Kyrie eleison. *Deinde patriarcha conversus ad occidentem electum signabit facto signo crucis super caput ejus dicetque orationem ordinationis sequentem.* Vocamus p. 25.

Patriarcha manum elevabit super caput electi et dicet Ἄξιος. Dignus est. *Respondebuntque ter* Ἄξιος *qui prope eum sunt, tum illi qui erunt in sanctuario et infra.* Dignus est episcopus N. *Postea dicunt:* Kyrie eleison *ter. Assistens dicit deinde has precationes sequentes, et ad singulas respondebunt:* Kyrie eleison.

Dicamus omnes et oremus. Kyrie eleison. Rogate p. 25.

Populus dicit: Kyrie eleison *ter.*

Patriarcha. Pax omnibus. *R.* Et cum spiritu tuo.

Tum dicet orationem sequentem gratiarum actionis conversus ad orientem. Gratias agimus p. 26.

Tunc descendet patriarcha ab altari diceturque Kyrie eleison *ter legeturque ordinato praeceptum seu admonitio; post cujus lectionem facta prostratione osculabitur gradum altaris, benedictionemque accipiet a patriarcha. Is autem cum reliquis episcopis tenentes eum ascendere faciunt ad altare, quod osculabitur, et collocabunt eum ad dexteram altaris partem, habebitque evangelium in sinu suo. Postea canent hymnos et versus aliquot secundum tempora. Patriarcha dicet orationem evangelii, quod legetur Coptice et Arabice; prosequenturque liturgiam more solito, nisi quod ad osculum pacis dicuntur quidam versus singulares, et in fine non dicitur* Benedictio Dei, *sed observant omnes silentium.*

Patriarcha communicat, et postea communionem distribuit solis episcopis assistentibus. Deinde adducitur novus episcopus, qui osculatur altare, et frangit corpus sanctum cum patriarcha, qui suggerit ei verbatim confessionem, et postea imponit corpus manui ejus dexterae, novusque episcopus communicat ex manu sua propria. Mox patriarcha dat illi calicem, ut communicet sanguini pretioso et puro similiter ex manu propria. Tandem quae in sacra mensa sunt involvit velamine ad hunc usum destinato; descenditque novus episcopus, et stat coram altari conversus ad orientem. Patriarcha conversus ad occidentem imponit librum evangelii super caput ejus et dicit: Pax omnibus.

Populus: Et cum spiritu tuo. Spiritus sapientiae. Gloria tibi Domine. Attendamus sacrae lectioni.

Diaconus ministrans vadit ad ambonem, et dicit: State cum timore Dei. *Patriarcha legit evangelium:* Evangelium secundum Joannem cap. 213.

Vespere autem diei illius quae erat prima Sabbati, cum fores (essent clausae) eo loco ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum, venit Jesus et stetit in medio eorum et dixit illis: pax vobis.

Hic extendit patriarcha evangelium super caput novi episcopi, et dicit: Ἄξιος. Dignus est, *quod repetitur ter, semel et iterum: patriarcha prosequitur.* Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus suas et latus suum. Gavisi sunt autem discipuli videntes Dominum. Et dixit illis iterum: Pax vobis: sicut misit me Pater meus, ita ego mitto vos.

Hic patriarcha rursus expandit evangelium super caput novi episcopi et dicit: Ἄξιος. Dignus est, *quod ter repetitur semel atque iterum: Patriarcha prosequitur:* Et cum hoc dixisset, inspiravit in facies eorum, et dixit illis: Accipite Spiritum Sanctum.

Hic patriarcha inspirat in faciem novi episcopi in formam crucis ter: a vertice usque ad os, et ab una aure ad alteram. Tum dicit Ἄξιος *ter, quod repetitur a populo ter, semel et iterum, pulsanturque campanae, et repetitur intra et infra chorum. Patriarcha lectionem evangelii coptice prosequitur.* Quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.

Populus dicit: Centum annos. *Diaconus interpretatur evangelium arabice.*

Novus episcopus ascendit ad altare, et patriarcha incipit communionem *dare ministris et populo; canitur interea* Benedictio Dei, ***per****ficiturque officium more solito. Quando danda est ultima* ***benedictio ad*** *dimittendum populum, patriarcha induet novum episcopum* ***cappa nigra,*** *praeter candidam, et invitabit eum ad benedicendum po****pulum seorsim.*** *Denique procedunt ad cellam patriarchalem et triduo fes****tum celebrant,*** *in memoriam triduanae resurrectionis.*

Institutio episcopi in suam ecclesiam.

(Ex Vanslebio. Hist. part. 4. sect. 2. c. 3.)

Cum episcopus suae ecclesiae possessionem suscipit, quocunque die praeter Dominicum id peragere debet, et tunc quinque, vel saltem tres alii episcopi eum comitari debent usque ad suam ecclesiam, cumque ad proximum civitati suae pagum vel monasterium advenerint, dioecesani processionaliter accedere debent, ut eum suscipiant, primo quidem se coram ipso prosternentes, tunc legitur Matthaei 21, 1—17. Tunc deducunt eum cum hymnis ad propriam ecclesiam, per mediam urbem transeundo. Cum ad ecclesiam pervenerint, episcopus senior ante portam aliquas recitat orationes, psalmum 117: Aperite mihi portas justitiae, et Matthaei 16, 13—19. Archidiaconus dicit Tobhat, h. e. orationes, quarum initium est vox coptica Tobh, et dicitur Kyrie eleison quinquagies. Tunc introeunt, et idem episcopus ingressus in ecclesiam et prope portam constitutus recitat orationem absolutionis super novum episcopum. Tunc legitur psalmus 5. et Lucae 4, 14—23., et dicitur Kyrie eleison viginti quinque vicibus. Tunc processionem usque ad Heikel deducunt, legentes, et ingressi in sanctuarium omnes prosternuntur episcopo novo ultimum locum assumente. Episcopus senior inchoat officium per orationem gratiarum actionis, presbyteri dicunt psalmodiam et doxologiam, psalmum 125. et Matthaei caput 10, in quo haec sunt: Qui recipit vos, me recipit, et episcopus reliqua officii absolvit. Tunc incipit missa, episcopi pontificalibus induuntur, episcopus novus dicit Sciebhamot (oratio-

nem gratiarum actionis) et incensat altare, legitur I. Reg. 16, 1—13. Augurant ipsi decem dona Sancti Spiritus, dicentes: Pax, justitia, fides, virginitas, continentia, sapientia, patientia, puritas, charitas et obedientia sint super patrem nostrum, episcopum Amba N. N., et populus respondet: Amen, ita sit. Deinde legitur lectio ex epistolis S. Pauli, altera ex epistolis catholicis et alia ex Actibus apostolorum. Post eam episcopi novum episcopum literas systaticas manu ferentem brachiis tenentes, cum eo processionem in ecclesia instituunt, et in Heikel reversi episcopi manus humeris ejus imponunt eumque ad cathedram ascendere, senior in ipsa sedere facit, et surgere tentantem senior ter in cathedra remanere vi adigit, choro alta voce clamante: Dignus est. Tunc novus episcopus evangelium S. Marci in genua sua assumit; episcopi eum secundum ordinem osculantur, dicentes: dignus est; presbyteri ejus manus osculantur et diaconi cantant, malleolis bacillos ex ebeno confectos percutientes. Tum legit evangelium S. Johannis: Ego sum pastor bonus, et quoties haec verba dicit, alii episcopi evangelium capiti ejus imponunt, clamantes: dignus est. Perficit missam, in qua communionem populo distribuit. Qua absoluta ad mensam accedit, in qua supremo loco sedet et benedictionem mensae pronuntiat, et hoc festum per triduum durat in honorem SS. Trinitatis.

De metropolita (Μητροπολίτης, i. s.)*).

Postquam dictae fuerint super eum omnes orationes episcopi (sed (ἀλλά) *loco verbi „episcopus" dicitur „metropolites"), tunc* (εἶτα) *subjungitur iis haec oratio postremo.*

Dominator**) Domine Deus omnipotens, Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui creasti omnia per virtutem sapientiamque tuam et in consilio tuo firmasti fundamenta orbis terrarum (οἰκουμένη), qui nosti omnia antequam fiant, qui ornas coronas iis, qui sunt a te[1], qui dedisti timorem tuum omnibus creaturis, ut sint subjectae potentiae virtutis tuae, qui donasti nos cognitione veritatis tuae, ut sciremus spiritum benignitatis tuae, qui illuminasti ecclesias tuas splendore[2] ineffabili unigeniti Filii tui, qui elegisti Abraham dilectum tuum ad haereditaten (κληρονομία) fidei, et Enoch sanctum tuum[3] transtulisti ad thesauros lucis, propterea quod tibi placuit, qui donasti Moysi mansuetudinem et Aaron plenitudinem sacerdotii, qui unxisti reges ab initio et principes (ἄρχων), ut judicarent populum tuum in veritate, qui non reliquisti altare tuum[4]

---

[1] R coronas, quae tui muneris sunt. — [2] R qui Ecclesiam tuam constituisti, ut splenderet luce. — [3] R deest sanctum tuum. — [4] R Arabs, et oratio, uti est etiam coptice in consecratione patriarchae, add. sanctum, coeleste, absque ministerio.

*) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani, collato Renaudotio, cujus codex Seguerianus, complectens ordinationem episcopi et metropolitae, hunc ritum testatur adhibitum fuisse a Joanne, patriarcha LXXXIX. saeculi XV, cum ordinavit Michaelem, El. Buschi, metropolitam Aethiopiae.

**) Oratio incipit in originali Coptico iisdem quibus supra in ordinatione episcopi verbis: Ille qui est Dominator etc. Renaudotius vertit: Qui es Dominus etc.

a constitutione (καταβολή) mundi: post constitutionem (καταβολή) mundi iterum[1] (πάλιν) constituisti servitium tuum in ecclesiis, ut perficerentur[2] per sacerdotes et levitas (λευίτης) habentes typum (τύπος) caelestium, ut (ἵνα) servitium caelestium (sc. ministrorum) consentiret in unum cum terrestribus, ut (ὥςδε) laudarent nomen sanctum tuum, Deus sole vere, et unigeniti tui Filii et Spiritus Sancti, per quem rogamus et precamur bonitatem (ἀγαθός) tuam super servum tuum N., quem tu segregasti[3] et glorificasti, elegisti tibi metropolitam et patrem super ecclesiam tuam, ut esset princeps (ἄρχων) et rector (ἡγούμενος) super populum tuum. Illumina eum, Domine, lumine vultus tui, ut (ἵνα) illuminetur cor ejus fonte gloriae tuae, ut intelligat mysteria tua abscondita in veritate. Effunde super eum in spiritu tuo hegemonico (ἡγεμονικόν) scientiam (γνῶσις) tuam, in hoc quem[4] accepit in Ecclesia sancta tua, ut renovaret[5] in iis, in quibus complacuisti secundum generationes (κατὰ γενεά, Arabs: omnibus generationibus) Spiritum Sanctum, spiritum veritatis, spiritum perfectum (τέλειον), Paracletum, quem dedisti sanctis (ἅγιος) Apostolis et sanctis prophetis tuis. Da ei[6] virgam virtutis tuae, quae ascendit de radice Jesse, hanc super quam Spiritus Dei septiformis[7] requievit, ferentem fructum veritatis, spiritum sapientiae (σοφία) et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae (γνῶσις) et pietatis (εὐσεβής). Imple eum timore tuo[8], ut judicet populum tuum in aequitate, et teneat manifestationem fidei sanctae irreprehensibiliter. Indue eum podere[9] (ποτηριον = ποδήριον) stolae (στολή) sanctae gloriae tuae, unge eum oleo laetitiae, ut sit tibi, Deus, pastor fidelis super domum tuam, quae est Ecclesia, serviens tibi irreprehensibiliter omnibus diebus vitae suae, nocte et die sine intermissione in sacrificiis sanctis et in orationibus (προςευχή), in corde puro et anima illuminata, in jejunio (νηστεία) et operibus (πρᾶξις) sanctis, in charitate (ἀγάπη) et mansuetudine, in fide non ficta, in prophetiis (προφητεία) et manifestationibus Spiritus[10], offerens (προςφορεῖν) tibi sacrificium (θυσία) sanctum omni tempore. Offeret thus pro ignorantiis populi tui, lugebit de immorigeris insipientium populi[11], quae oves tuae sunt, eripiens eos de laqueo peccati ad pietatem (θεοσεβής). Pacem (εἰρήνη) largire super eum et super populum tuum[12], da ei potestatem Spiritus Sancti tui[13], ut solvat vincula omnia eorum, quos inimicus vinxit in peccato, et da ei, ut membra (μέλος) divisa Ecclesiae reconciliet unitati. Custodi sacerdotium ejus immaculatum semper, servientis tibi sacrificio spirituali (πνευματικόν) omni tempore, secundum (κατά) ordinem (τάξις) summi sacerdotis (ἀρχιερεύς), qui est in coelis, Jesu Christi, per quem gloria et honor et potestas et adoratio[14] (προςκύνησις) te decet (πρέπει) cum ipso et Spiritu Sancto vivificante[15] et consubstantiali (ὁμοούσιος) tecum, nunc etc.

---

[1] R deest iterum. — [2] R ut perficeretur. — [3] R ordinasti. — [4] R spiritum tuum principalem scientiae tuae, quam. — [5] R renovetur. — [6] R add. Domine. — [7] R septem spiritus. — [8] R add. Deus. — [9] R Cumula eum honore poderis. — [10] R ex Spiritu. — [11] R deest populi. — [12] R add. cunctum. — [13] R deest tui. — [14] R deest et adoratio. Ita et in oratione prout est in consecratione patriarchae. — [15] R deest vivificante . . . . tecum.

Officium consecrationis patriarchae Alexandrini.

1. Ex Ebnassali epitome canonum.*)

Quo die constitutum fuit, ut ordinatio celebretur, dicuntur orationes matutinae diei dominicae: postea liturgia celebratur, secundum consuetum ordinem a seniore episcopo. Cum finita fuerit lectio Actuum apostolorum, omnes episcopi eum comitabuntur et deducent ad thronum, seu sedem patriarchalem; electus convertet faciem suam ad orientem, episcopi vero ad occidentem: postea lavabunt manus suas, illasque imponent super eum: stabuntque interea laici et omnis multitudo cum timore et silentio, episcopi vero dum manus imponent super eum dicent: Imponimus manus nostras super hunc servum electum a Deo, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad constituendum illum in gradu praeclaro et firmo Ecclesiae unicae, immaculatae, Ecclesiae Dei vivi, invisibilis: ad judicium recte administrandum, manifestationemque sanctitatis, doctrinamque et gratiam sanctam. Amen. Is est, qui Ecclesiae universali praepositus est, auctoritate Trinitatis sanctae per mysterium crucis. Tum inclamabit antiquior episcoporum haec verba: Probatisne, quod sit iste patriarcha vester, judexque inter vos, vobis, et super vos: quae ab eo ter repetentur: tertio vero adjiciet: an approbatis hunc esse primatem super vos, et perspectum habetis eum esse dignum isto gradu? Cumque dixerint, Dignus est, vertet faciem suam ad orientem, dicetque orationem, et adolebit incensum. Primusque episcoporum, sive antiquior ordinatione, et secundus post eum imponent manum super electum, ordinabuntque eum per orationem ordinationis quae nota est: et quae cum aliis singulari libro pontificali continentur. Cum episcopi uno gradu descendunt, novus patriarcha simul ascendit, donec ad summum pervenerit, atque ita reliquis omnibus superior sit. Cum vero ad lectionem evangelii perventum fuerit, deferet librum coram illo senior episcoporum, legetque patriarcha sectionem ubi sunt haec verba, Ego sum pastor bonus: quae ter ab ipso leguntur: et ad singulas vices senior episcoporum librum imponet capiti ejus: et alta voce dicet: Dignus est, dicetque universa multitudo simul Ἄξιος. Lectione illa peracta, perficietur liturgia: postquam vero ordinatio perfecta fuerit, osculabuntur eum episcopi juxta ordinem suum: tum sacerdotes, et ministri altaris, primarii laïcorum et universa plebs osculabuntur manum ejus, eique adprecabuntur, ut Deus illum ipsis perficiat pastorem bonum et per eum ipsos quoque perficiat. Ad finem liturgiae primus ipse communicabit sacris mysteriis et aliis omnibus juxta ordinem suum communionem distribuet, dimittetque eos cum pace et benedictione. Postea festos dies tres celebrant in cella patriarchali cum magno gaudio spiritualique festivitate, et die tertio omnis populus cum eo proficiscitur ad domum filiorum Elkosari, ubi est caput Marci evan-

*) Ex Renaudotii Coll. lit. Orient. diss. de patriarcha Alexandrino n. 81. sqq. T. I. p. 399. sqq.

gelistae; factaque oratione arcam educunt et super lapidem collocant, thus interea adolentes, aperiturque arca et osculatur patriarcha caput D. Marci, postea arcam claudunt et populus eam osculatur.

2. Ritus ordinationis patriarchae ex Abulbircat. c. 10*).

Si electus fuerit ex ordine saecularium, atque adeo monasticum habitum ante non susceperit, celebretur erga eum officium integrum habitus imponendi, cum orationibus consuetis, imponanturque ipsi singulae schematis seu habitus Angelici partes, expectaturque proxima dies Dominica. Ea cum illuxerit, ligatus deportatur ad ecclesiam S. Marci, ubi conveniunt omnes episcopi et saeculares. Post canonem psalmodiae**) completum incipit liturgia. Absoluta scripturarum lectione solvuntur vincula, quibus electus constringitur: diversae autem lectiones Veteris Novique Testamenti leguntur, partitis functionibus inter episcopos et sacerdotes. Finita lectione Actuum apostolorum, archidiaconus advocat episcopos, qui ad altare accedunt, et in sanctuario locum capiunt, juxta suae ordinationis antiquitatem. Advocatur deinde electus, qui a duobus sacerdotibus ex utraque parte eum tenentibus adducitur, solo sticharío indutus et mantile circa collum habens, capite inclinato. Sacerdotes procedunt juxta ordinem suum: tum antiquior episcopus, praecedente archidiacono, qui gestat codicem evangeliorum: alius sacerdos fert incensum: sequuntur ordinatim diaconi, cum crucibus, psallentes coram evangelio sancto: omnesque procumbunt et venerantur altare. Episcopus consecrator, dicta oratione Evangelii altarique salutato, sedet super thronum, hoc est sedem patriarchalem, omnesque episcopi hinc et inde consident juxta ordinem suum: sacerdotes et diaconi consistunt in loco inferiori, ut etiam electus facie ad orientem conversa, capite inclinato, tenentibus eum sacerdotibus duobus. Tum antiquior episcopus instrumentum electionis sive psephisma descriptum a secretario, antequam in ecclesiam veniatur, tradit uni ex diaconis, qui conscenso Ambone illud legit alta voce***).

Post illius instrumenti lectionem archidiaconus dicet hymnos praescriptos in libro ordinationis, et quoties nominabit electum, metanoeam seu prostrationem faciet. Post hymnos dicetur ter Kyrie eleison. Deinde episcopi ex throno descendent, consistentque prope altare ad ordinandum patriarcham. Adolebitur incensum ab antiquiore episcopo, et post orationem thuris duasque alias sequentes****) populus dicet multoties Kyrie eleison. Completis aliis orationibus, quae ex pontificali petendae sunt, antiquior episcopus dextram imponet super electi caput,

---

*) Apud Renaudotium diss. de patriarcha Alexandrino n. 81. sqq. Lit. Or. T. I. p. 395., sqq. et in opere M. S. de sacris ordinationibus, ex qua recensione impressum supplevimus.

**) Hoc est officium diei matutinum.

***) Sequitur hic apud Abulbircat forma psephismatis, ut est infra in ordinatione a Renaudotio traducta, ubi collationem instituimus.

****) Nempe illas, quae in liturgia occurrunt, ait Renaudotius.

dicetque archidiaconus orationem ab istis verbis incipientem: Divina gratia quae infirma sanat. Populus acclamando succinit: Kyrie eleison ter. Episcopus dicit orationem, cujus initium est: Dignare, Domine, efficere illum dignum vocatione sacerdotali tua, et post pauca monet episcopus alios, ut extendant manus suas, atque eodem tempore pronuntiatur super caput ejus, manibus impositis ab episcopo seniore, oratio, quae praecipuam formam ordinationis continet.

Tum episcopus converti jubet electum ad orientem et occidentem: signansque pollice caput ejus in modum crucis dicit: Ordinavimus te super ecclesiam Dei sanctam; mox alta voce pronuntiat: N. archiepiscopus super ecclesiam Dei sanctam, quae est in magna urbe Alexandria: et post moram interpositam N. archiepiscopum patriarcham super ecclesiam Dei catholicam, apostolicam praedictam, in urbe Alexandria, maxima orthodoxarum: in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

Induitur deinde novus antistes sticbario, et aliis vestibus, nempe pallio, et couclo sive casula, invocaturque super eum nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti. Tum ascendunt ad thronum, atque antiquior episcoporum, antequam ascendat, illum veneratur, in eo electum collocat et circa illum consident reliqui episcopi juxta ordinem suum: ipse primum collocatur in infimo gradu. Postea Taklid sive instrumentum ordinationis suae, quod systaticum*) vocant, dat in manus magistro sive doctori diaconorum, ut illud ex ambone recitet.

Lecta systatica, archidiaconus dicit orationes decem; I. pro pace; II. pro conservatione electionis: hoc est fausto ejus successu; III. pro patribus, seu episcopis praesentibus et clero; IV. ad confirmationem obtinendam per Spiritum Sanctum; V. pro ecclesiis, super quas ordinatur; VI. ut Deo acceptus sit; VII. pro ejus longaevitate; VIII. pro felici vita ejus; IX. ut dignus efficiatur ea obtinere, ad quae desuper vocatus est; X. pro eo et pro aliis. Postea proclamatur adhuc novus patriarcha ab episcopo seniore, his verbis: Declaramus N. electum a Deo et servum ejus archiepiscopum et patriarcham, in una indefectibili ecclesia. Tunc omnis populus ter dicit, Ἄξιος, Dignus est: et ad singulas acclamationes attollunt evangelia super caput ejus. Postea elevato iterum super caput ejus evangeliorum codice, senior episcoporum imponit manum suam capiti illius, dicitque archidiaconus: Gratia divina, quae infirma sanat etc. Populus dicit: Exaudi Domine. Tum antiquior diaconus episcopos ad orationem hortatur: qui praescriptas in pontificali orationes recitant, singuli juxta ordinem suum, tenentes interea manus impositas capiti ordinati. Ad uniuscujusque finem dicit archidiaconus: Ἔτι τοῦ κυρίου δεηθῶμεν: populus respondet Kyrie eleison. Dicuntque episcopi: Imponimus manus nostras super electum Dei etc. usque ad finem orationis: et cum illorum unusquisque illam compleverit, populus dicet ter, Dignus est. Tandem induitur a seniore episcopo ornamentis patriarchalibus, et dicitur doxologia ad S. Trinitatem. Omnes episcopi et populus simul rursus clamant, Dignus est. Postquam omnia ornamenta acceperit: episcopi antiquiores duo, de throno descendentes, patriarcham super eum collo-

*) **Ejus forma est coptice et arabice apud Abulbircat et infra habetur in ordinationis ritu, ubi collationem instituimus.**

cant, tenentes manus ejus, inclamante populo Ἄξιος. Collocatur autem ter in sede ita ut surgat et iterum sedeat, ad honorem Trinitatis sanctae: et episcopus antiquior magna voce dicit, Collocatur N. archiepiscopus super sedem sanctam, apostolicam, evangelicam S. patris nostri, benedicti, Deum videntis Marci, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Populus respondet ter, Ἄξιος: et postea proclamationem novi patriarchae facit Graeca lingua: Ἄββα, ἀρχιεπίσκοπος τοῦ μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας καὶ τοῦ νόμου αὐτῆς*). Pater N. archiepiscopus magnae urbis Alexandriae et Nomorum ejus, seu regionum ei subjectarum: ut explicatur Arabice. Tandem collocatur in sede patriarchali, neque se amplius movet, habens in sinu evangelium S. Marci. Accedunt episcopi et osculantur eum; dicuntque adhuc ter, Ἄξιος. Tum laïci, post sacerdotes et alios ex clero, osculantur manum ejus. Recitatur coram eo prologus**), tum psalmus: deinde datur ipsi evangelium Joannis, ex quo legit caput 23. ubi haec verba sunt: Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, usque ad ista: et fiet unum ovile et unus pastor. Cum ad ea verba pervenerit: Ego sum pastor bonus, omnes inclamant ter, Ἄξιος. His peractis celebrat liturgiam juxta consuetudinem, omnibusque distribuit sacra mysteria, datque illis pacem***). Sacerdotes interea canunt hymnos, donec spoliatus fuerit vestimentis sacris, quibus ad celebrandam liturgiam usus fuerat, eique antiquior episcopus imposuerit stolam nigram. Postea iterum collocatur in throno patriarchali, continuantibus hymnos interea sacerdotibus et diaconis. Dat benedictionem, et egressus ex ecclesia ducitur ad cellam patriarchalem, seu patriarchium D. Marci nomine dedicatum, vehiturque jumento suo. Episcopi sequuntur et omnis populus: sacerdotes praeeunt, canentes hymnos: simulque procedunt praesidarii a principe vel magistratu missi, ante quos tres cruces praeferuntur. Cum in mediam urbem ventum est, consistunt: atque unus ex diaconis incipit alta voce orationem: Εἴπωμεν πάντες καὶ ἐκτενῶς δεώμεθα, κύριε ἐλέησον. Dicamus omnes et oremus intentius, Kyrie eleison. Populus clamat: Kyrie eleison. Patriarcha dicit orationem cujus initium, Domine Deus omnipotens: et postea dicit, Pax vobis omnibus: et illum versum: Cito anticipet nos misericordia et clementia tua, Domine. Populus dicit, Kyrie eleison multoties: et post aliam benedictionem procedunt patriarcha et episcopi ad patriarchium, cumque illic consederit, rursus eum prostrati venerantur. Festivitas autem continuatur per dies tres: primo in ecclesia Angelii****): secundo, in ecclesia S. Arch-

*) In MS. ait haec in libris corrupte ita haberi.

**) Est oratio ita dicta in liturgia.

***) Ait Ren. hoc loco non intelligendum esse pacis osculum, quod ante praefationem apud Orientales fieri solet, sed ultimam benedictionem. Sed ejusmodi pacis osculum in fine ordinationum Copticarum occurrit. Benedictio autem illa sequitur in fine apud ipsum Abulbircat.

****) Angelium (Ἀγγέλιον vel Ἀγγελεῖον) est ecclesia, angelis dicata, in loco, in quo S. Marcus combustus est, sita, qui ad occidentem urbis positus est, Soiiari etiam dictus. Quae aedificata est a Jacobitis, qui sub Justiniano ex catholicorum templis exclusi fuerant. Ab ea secta Monophysitica Angeli-

angeli Michaelis: tertio, in ecclesia S. Marci: ubi post completam liturgiam accipit in sinu suo caput S. Marci evangelistae.

De constitutione archiepiscopi Alexandrini *).

Eligatur a synodo (σύνοδος) *episcoporum et populo universo* **) *secundum* (κατά) *voluntatem Spiritus Sancti. Sit autem* (δέ) *irreprehensibilis, prudens, purus, mansuetus, benignus* (ἐπικης = ἐπιεικής), *longanimis, sollicitus, vigilans* [1], *non amans argenti; sit sine querela, non litigiosus* [2], *sed* (ἀλλά) *amans pauperum, sciens Scripturas* (γραφή) *et mysteria* (μυστήριον) *Dei bene* [3] (καλῶς). *Non se immisceat in negotia hujus vitae* (βίος), *sit quietus* (ἥσυχος) [4], *perfectus in omnibus operibus bonis, ut* (ὡς) *qui ordinandus est ad ordinem* (τάξις) *Dei supremum* [5], *et sit in media* (μέσως) *aetate* (ἡλικία). *Et clerus et populus simul testificabuntur de eo. Paratur decretum electionis* (ψήφισμα *i. s.*) *ejus secundum* (κατά) *canonem* (κανών). *Sit ecclesiasticus* (ἐκκλησιαστικός *i. s.*) *sit virgo* (παρθένος) *irreprehensibilis* [6]. *Si non sit ordinatus presbyter, ordinetur* [7]. *Si non ferat* (φορεῖν) *habitum* (σχῆμα) *monachi* (μόναχος) [8], *orentur prius super eum omnes orationes habitus* (σχῆμα), *et induatur* (στολίζειν) *omnibus vestimentis angelicis* (ἀγγελικόν): *thorace* (θορρακι = θώραξ), *cuculla* (κουλλα, *Arabs: pileus*), *stola monachali habitus* (σχῆμα) *pellicea* [9], *cingulo pelliceo* ***) *super lumbos suos, postea veste eremitica* [10]. *Deinde* (τότε) *relinquetur usque ad Dominicam* (κυριακή *i. s.*) ****).

---

[1] R Loco benignus . . . . vigilans habet: modestus, humilis, non cogitans ea quae sunt mundi. — [2] R absque livore. — [3] R bonus. — [4] R solitariae vitae addictus. — [5] R excelsi. — [6] R. addit: et habebit partem in sacrificiis. — [7] R addit: postea fiet Hegumenus et benedicetur eodem die. — [8] R Si non fuerit monachus, fiet et. — [9] R deest stola . . . . pellicea. — [10] R pallio, deest eremitica.

tarum nomen sortita est. (Renaudot Hist. Patr. Alex. p. 5, 141, 207; Bibl. Orient. T. I. p. 415.

*) Ex originali Coptico Pontificalis Tukiani et Renaudotio, collato Vanslebio.

**) Ex Vanslebio modo episcopi nullam partem in electione patriarchae habent, sed a populo eligitur. Vide tamen de electione patriarchae Renaudotium in dissertatione de patriarcha Alexandrino n. 19. sqq. Lit. Or. T. I. p. 355. sqq. et de requisitis in elegendo ibidem n. 52. sqq. p. 376. sqq.

***) Tunc ex Vanslebio faciunt eum Igumenum, si non jam sit, pileolum nigrum ei praebentes, de quo requisito vide Renaudotium, Diss. de patriarcha Alex. n. 74. p. 300.

****) R hic addit: Ante haec omnia vocabuntur patres duo ex tractu Maritimo et Australi, nempe primus episcoporum tractus Maritimi et primus eorum, qui in Australi, neque ullus praeter eos manum ipsi imponet. Si unus eorum infirmitate detentus adesse non possit, consentire se cum synodo manus suae subscriptione testabitur: et qui eum proxime sequitur, vices ejus supplebit in omnibus. Similiter convenient omnes episcopi et qui adesse non potuerit, subscriptione consensum suum testabitur.

Constituetur die Dominica. Quando vero (δέ) *electus fuerit, imponant ei compedes* (πεδης = πέδη)*), *ducant eum in ecclesiam ad Evangelium*[1] (πρὸς τοῦ εὐαγγέλιον ἐκκλησία)**) *summo mane; conveniant ibi omnes et dicant canonem* (κανών *i. s.*) *psalmodiae* (ψαλμωδία), *deinde* (εἶτα) *doxologiam* (δοξολογία), *evangelium, pacem. Deinde* (εἶτα) *incipiant synaxim* (σύναξις) *statim et tollunt compedes* (πεδης) *a pedibus ejus, et postquam lectae fuerint lectiones*[2] (ἀνάγνωσις), *induantur* (φορεῖν) *episcopi et universus clerus****).

Finitis Actibus (πρᾶξις) *archidiaconus clamat:* O episcopi.

Et exibunt e diaconico (διακονικόν) *et pertransibunt in ecclesia*[3] *usque ad altare* (θυσιαστήριον) *hoc modo: princeps (s. magnus, senior*[4]*) episcopus sit primus, et episcopi omnes sint post ipsum secundum* (κατά) *ordinem* (τάξις, *i. s.*) *eorum. Qui vocandus (= ordinandus) est, sit post eos omnes, stichario* (στυχαρι = στιχάριον, *alias* στοιχάριον) *solo indutus et linteum*[5] (λέντιον) *in collo habens. Duo presbyteri ducant*[6] *eum hinc et inde. Caput ejus sit inclinatum ad pectus*[7]. *Dein presbyteri omnes secundum eorum ordinem. Archidiaconus ante principem*

---

[1] R Angelii, quae est Alexandriae. — [2] R addit tempori convenientes. — [3] R circumeuntes medium ecclesiae et ita procedunt. — [4] R senior; et ita porro. — [5] R mantile. — [6] R tenent. — [7] R deest ad pectus.

*) Cum olim accidisset, ut nonnulli se honore supremi sacerdotii indignos judicarent, fugamque sanctorum antiquorum exemplo molirentur, atque adeo vi constringendi essent, quod de Demetrio XII. narrat Severus in ejus vita, inde consuetudo fluxit, ut electo statim catenae injicerentur; atque ita illis etiam, qui ambitu et largitione dignitatem adipiscebantur, vis quodammodo fiebat, ut reluctantes onus subiisse viderentur. Ea fabula, quamvis erga plerosque, qui nullatenus resistebant, satis ridicule peracta, in legem transiit, quam referunt Ebnassalus Abulbircat et Pontificalis liber, neque catenae solvuntur, nisi inter ipsa ordinationis officia. Catenarum ejusmodi usus fuit erga Macarium XLIX., Yuçabum sive Josephum LII., Sanutium LV., Mennam LXI, Ephraemium ejus successorem: non vero erga Philotheum, virum improbum et aliquot alios, qui non modo vim sibi fieri non exspectaverunt, sed ante ordinationem indumenta patriarchalia assumserunt, ut Christodulus et Michael, ille LXVI. iste LXVIII. Postea tandem servata est caeremonia eos vinciendi, qui aliud omnino, quam fugam cogitabant, ridicula prorsus et impudenti fictione. Ita Renaudotius (Lit. Or. T. I. p. 386). Vanslebius ab episcopis brachia ligari et in Heikel deduci ait.

**) Coptitae nomen ecclesiae depravarunt, uti notat Renaudotius, quae vocatur Angelii et est ecclesia angelis dicata, de qua vide notam supra ad Abulbircatum.

***) Ex Vanslebio episcopi consecrandum vestibus nigris induunt, et in angulum ecclesiae eum collocant; et pontificaliter induti in Heikel ingrediuntur, ubi magnam crucem ferream altitudinis quinque pedum circiter sub patenam, quae in altari est, ponunt, et alteram parvam ex aere super patenam. Tunc ad eum, qui ordinandus est, accedunt, stolam circa collum ponunt, duoque episcopi extrema stolae tenentes eum per totam ecclesiam ad Heikel trahunt.

episcopum[1], *et is, cui evangelium portandum datum est, ante eum. Presbyter cum thure coram eo*[2], *diaconi omnes*[3] *ante eum portantes cruces* (σταυρός *i. s.*)[4], *cantantes* (ψάλλειν) *evangelium sanctum ante eum*[5] *secundum ordinem* (κατὰ τάξιν) *et dicentes:*

Ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἀτρέπτως ἐνανθρωπῆσαι καὶ σταυρωθῆναι, Χριστὸς ὁ Θεός, θανάτῳ θάνατον πατήσας· εἷς ὢν τῆς ἁγίας τριάδος, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς.

Unigenitus Filius et Verbum Dei immortale, qui propter nostram salutem sustinuit carnem sumere ex sancta Deipara et semper Virgine Maria, sine ulla mutatione, homo fieri et crucifigi, Christe Deus qui morte mortem conculcasti; qui unus es Trinitatis sanctae conglorificatus cum Patre et Spiritu Sancto: salva nos.

Inclinant (προςκυνεῖν) *se versus sanctum altare, et princeps episcopus dicat orationem evangelii.*

Dominator Domine Jesu Christe, Deus noster, qui misisti sanctos (ἅγιος) discipulos (μαθητής i. s.) et Apostolos sanctos in mundum universum ad praedicandum evangelium regni tui, et ad erudiendas omnes gentes (ἔθνος) in scientia veritatis tuae: rogamus te, Domine noster, aperi aures cordium nostrorum, ut audiamus evangelia tua sancta in orationibus sanctorum tuorum.

Diaconus: **Orate.**

(Ὁ Διακών· Προςεύξασθε.)

Episcopus: **Et aperi sensus (αἰσθητήριον) animarum (ψυχή) nostrarum et corporum (σῶμα) nostrorum et spirituum (πνεῦμα) nostrorum, ut mereamur non solum (οὐ μόνον) auditores esse, sed (ἀλλά) etiam factores mandatorum tuorum sanctorum secundum voluntatem Dei Patris tui boni (ἀγαθός), qui es benedictus cum ipso et Spiritu Sancto vivificante consubstantiali tecum, nunc etc.**

Deinde **(εἶτα)** ***inclinant se versus altare, et*) sedeat super synthronum*** **(συνθρόνος).** ***Episcopi omnes sedeant hinc et inde apud eum secundum eorum ordinem. Presbyteri et diaconi omnes stent infra. Omnis populus stet in quiete*** **(ἡσυχία).** ***Deinde vocandus constituatur infra***[6] ***facie versa ad orientem, capite suo profunde inclinato***[7]**.** ***Tenetur a duobus presbyteris. Princeps episcopus dat decretum electionis ejus uni ex diaconis, qui scit (sc. legere), et ascendit in ambonem*** **(ἄμβον)** ***et legat illud, quod ante scriptum est in charta*** **(χάρτης)** ***per notarium***

---

[1] R protegit latus senioris episcoporum. — [2] R omnibus. — [3] R deest omnes. — [4] R addit: et cereos accensos et Cherubinorum imagines seu flabella. — [5] R coram Evangelio sancto. — [6] R addit: gradum synthroni. — [7] R genua flectet.

*) Haec pars, continens orationem evangelii apud Tukium in extenso insertam, deest apud Renaudot. Desinit igitur cum vocabulis „princeps episcopus“ in rubrica p. 41, et hic pergit cum verbo „sedeat“.

i. e. gemeiographum (πονταριος τούτ᾿ ἔστιν γημειογραφος)*) *synodi*[1], *antequam ducitur ad ecclesiam. Habeat formam* (τύπος) *hanc*[2]:

Decretum electionis (ψήφισμα)**).

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Trinitatis sanctae et indivisae in una Divinitate, qui est Deus noster, christianorum orthodoxorum[3], in quem speramus (ἐλπίς) usque ad extremum spiritum, et ad quem[4] mittimus laudem (δοξολογία) in altissima[5].

Plenitudo omnis[6] catholicae, apostolicae ecclesiae Dei, et orthodoxi omnes congregati sanctissimi (ὁσιώτατος) episcopi[7] et presbyteri simul (ἅμα) et diaconi, et populus omnis[8] civitatis Christi amantis Alexandriae et terrae (χώρα i. s.) universae Aegypti.

Superveniente nobis calamitate (συμφορά) orbitatis (ὀρφανός) et dolore cordis in eo, quod finiit hanc vitam beatissimus (μακαριώτατος) noster pater et archiepiscopus[9] Abba[10] N. et mortuus est[11], — qui possedit virtutes (ἀρετή) et accepit repromissiones (ἐπαγγελία) sanctas[12] omnes, qui habet memoriam bonam — migravit ad Deum, qui eum dilexit[13], et audivit a Deo vocem gaudio[14] plenam: Euge (καλῶς) serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui: — quum itaque (οὖν) orbati (ὀρφανός) essemus paternitate ejus, et sanctae ecclesiae Dei essent viduatae (χήρα) ab eo, qui eas pavit operibus suis[15], ideo gloriamur, magna cum sollicitudine omnes nos et fervore postulasse[16] (αἰτεῖν) a Deo, ut ostenderet nobis eum, qui dignus esset hoc magno pontificatu (ἀρχιεροσύνη), ut pasceret nos in via Domini et deduceret nos ad portum (λυμην = λίμην) Ecclesiae: perspectum habentes amorem erga patres civitatis Christi amantis[17] Alexandriae et animum eorum[18], quod non velint in orbitate (ὀρφανός) remanere longo tempore. Ideo gloriamur[19] perficere opus Dei.

Invocavimus Trinitatem perfectam[20] in corde puro et fide recta[21], ut revelaret nobis eum, qui esset sufficiens (ἱκανός) huic mediationi (μεσιτεία), ut offerremus eum ad gradum (βαθμός) ordinis (τάξις) episcopatus (ἀρχιεροσύνη). Per suffragium[22] (ψήφισμα) igitur (οὖν) desursum

---

[1] R addit: quodque secundum morem perscriptum fuerit. — [2] R deest: Habeat formam hanc. — [3] Ab deest orthodoxorum. — [4] Ab tibique. — [5] R add. et gloriam nos et plenitudo. — [6] Ab Nos primarii. — [7] Ab ex episcopis, sacerdotibus et diaconis, deest: sanctissimi. — [8] Ab omnique populo. — [9] R add. sanctissimus. — [10] Ab add. insignis. — [11] Ab add. inclytus ille. — [12] Ab deest sanctas. — [13] R quem amabat. — [14] Ab add. et suavitate. — [15] Ab doctrina sua. — [16] R Ab precati sumus, deest: gloriamur. — [17] Ab deest Christi amantis. — [18] Ab eorumque sinceritas. — [19] R nobis visum est. Ab festinavimus. — [20] R immaculatam Ab sanctam. — [21] R deest: in corde . . . recta. — [22] Ab munere.

*) πονταριος, Arabs: scriptor; Renaud. notarius. Forte corruptum ex π art. copt. et νοταριος? Sed art. indefinit. non deest; aut ex πρωτονοταριος? (Scholz.) Ex Vanslebio unus ex episcopis alta voce literas electionis Taklid dictas legit, coptice primo tunc arabice.

**) Psephisma apud R. est ad calcem ordinationis positum. Praeter hoc collatum hic est psephisma, quale est apud Abulbircatum versionis operis MS. de ordinationibus.

et virtutem (ἐνέργεια) Spiritus S. et voluntatem nostrum omnium cum certitudine plena (πληροφορία) revelatum est nobis [1], ut respiceremus ad [2] N. piissimum (θεοσεβέστατος) presbyterum et monachum speciosissimi [3] monasterii N., ut eligeremus nobis in archiepiscopum super sedem (θρόνος) apostolicam divi [4] (θεσπέσιος) Marci divinitus locuti [5] (θεοῤῥημένος i. s.) evangelistae magnae civitatis Alexandriae, et universae terrae Aegypti et provinciarum ejus. Est vir colens summe Deum, ornatus prudentia, amans peregrinorum, doctor, purus etiam [6] (δέ) et studiosus (σπουδαῖος) veritatis evangelii. Constituimus eum caput pastorum et archiepiscopum ad confirmationem [7] et directionem [8] ecclesiarum sanctarum Dei et salutem animarum nostrarum, ut (ὅπως) pasceret nos cum omni misericordia et benignitate [9] (ἐπιεικής), ut (ἵνα) etiam nos mitteremus sursum hymnos (ὕμνος) gratiarum actionum, magnificantes eum, qui bona fecit nobiscum, Salvatorem nostrum Jesum Christum in saecula. Amen.

Nos vero (δέ) episcopi congregati consensimus [10] (στοιχεῖν) huic decreto (ψήφισμα) et testimonium reddimus de eo [11] cum omnibus congregatis nobiscum Dei amantissimis [12] (θεοφιλέστατος) clericis [13] et laboris amantibus [14] (φιλόπονος) monachis et populo Christi [15] amante [16] magnae civitatis Alexandrinorum (Ἀλεξανδρεύς) ad gloriam et honorem Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc . . .

Episcopi in testimonium secundum ipsorum ordinem incipiunt hoc modo subscribere suis manibus [17].

Hoc est quod scribunt [18]:

N. (Arabs addit semper: Ego N.) episcopus civitatis Christi amantis consentio huic decreto (ψήφισμα), prout est.

Post episcopos tres presbyteri Alexandriae et tres diaconi subscribunt testimonium [19] *sua manu* [20] *hoc modo.*

N. presbyter [21] magnae civitatis [22] Alexandriae testis sum eorum, quae in hoc decreto (ψήφισμα) scripta sunt.

Et si quis nescit scribere, alius subscribat pro eo hoc modo:

Ego N. presbyter [23] rogavi, ut subscriberetur [24] testimonium meum huic decreto (ψήφισμα).

Postea aut (εἴτε) *hegumenus Schiet aut* (εἴτε) *praefectus* [25] (ἄρχων) *Alexandriae vel* [26] *Babylonis* [27] (Βαβυλών; *Arabs: Messer, i. e. Aegyptus aut urbs capitalis Aegypti*) *subscribant testimonia sua omnes.*

Deinde dicet archidiaconus allocutionem (προςφώνησις). *Quando pronuntiat nomen noviter vocati, noviter vocatus faciat profundam inclinationem* (μετανοία).

Προςφώνησις εἰς τὸν ἐνθρονισμὸν τοῦ πατριάρχου. [28]	Allocutio in inthronizationem patriarchae.

---

[1] Ab deest cum certitudine . . . . nobis. — [2] Ab vota conspiraverunt in. — [3] R Ab celebris. — [4] R admirabilis. — [5] Ab Deum videntis. — [6] Ab deest purus etiam. — [7] Ab ad constituendas. — [8] R addit et reformationem. — [9] Ab humilitate. — [10] Ab scribi fecimus. — [11] Ab et testimonio nostro comprobavimus. — [12] R Deo dilectissimis. — [13] Ab add. illustribus. — [14] Ab religiosis. — [15] R Deum. — [16] Ab deest Christi amante. — [17] R Ab deest: suis manibus. — [18] Ab deest Hoc . . . scribunt. — [19] Ab deest testimonium. — [20] R deest: sua manu. — [21] R add. aut diaconus. — [22] Ab deest magnae civitatis. — [23] R Ab deest presbyter. — [24] R scriberetur nomine meo. — [25] R Ab et aliquot viri primarii. — [26] R Ab et. — [27] R Ab Cahirae. — [28] R Loco hujus tituli et rubricae praecedentis habet: Et post psephisma lectum pronuntiatur hoc elogium.

Οἱ ἀπὸ τῆς φιλοχρίστου καὶ μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας καὶ τοῦ νόμου αὐτῆς, λίαν φιλοπάτορες ὄντες, καὶ μὴ δυνάμενοι τῷ τῆς ὀρφανίας πένθει ἐμμεῖναι, ἀλλὰ προθύμως ἐπὶ τὸ αὐτὸ συμβούλιον ποιησάμενοι, τοῦ ἐξητῆσαι ἑαυτοῖς πατέρα ἔσπευσαν.

Ὅθεν συναχθέντων τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων, καὶ θεοσεβεστάτων πρεσβυτέρων, καὶ θεοφιλεστάτων διακόνων, ἅμα καὶ τῶν εὐλαβεστάτων μοναζόντων, ὀνομάστων ἡγουμένων τε, καὶ παντὸς τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ τῆς τῶν Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως, καὶ πάσης τῆς κάτω Αἰγύπτου χώρας. Καὶ ὁμοθυμαδὸν γενόμενοι καὶ σπουδὴν παρ' αὐτοῖς πᾶσαν παρεισενέγχαντες, καὶ πανταχόθεν ἔρευναν ποιησάμενοι, τοῦ εὑρεῖν τὸν ἀξίως ὀφείλοντα ποιμαίνειν ἡμᾶς, καὶ κρατῆσαι ἐν νομῇ ἀγαθῇ καὶ ἐν τόπῳ πίονι. Ὅθεν καὶ ἐκτενῶς ἐπικαλεσαμένων ἡμῶν τὸν παντεπόπτην Θεόν, τοῦ παραστῆσαι ἡμᾶς τὸν ἀξιώματος τούτου ὀφείλοντα, ὑπέδειξεν ἡμῖν, ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. τὸν θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ εὐλαβέστατον μονάζοντα, τοῦ εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. τοῦτον οὖν τοῦ καταστῆσαι αὐτὸν ἀρχιποίμενα, καὶ ἀρχιεπίσκοπον, καὶ προκαθημένον ἐπὶ τῆς διαδοχῆς τοῦ εὐαγγελικοῦ θρόνου, τοῦ θεσπεσίου Μάρκου τοῦ θεοῤῥήμονος καὶ Ἀποστόλου, εἰς σύστασιν καὶ διόρθωσιν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, ὅστις ἐμαρτυρήθη, ἀντὶ Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι τὴν μνήμην λήξαντος, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιδημήσαντος. Τοῦτον οὖν, ὡς ὁρᾶτε, διὰ τῆς κεκανονισμένης εὐχῆς, τὴν θείαν δύναμιν ἐπικαλεσάμενοι τοῦ ἐπιφοιτῆσαι ἐπ' αὐτὸν τὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐνέργειαν ἀπεκδεχόμεθα. Συνεύξασθε οὖν πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ δωρεὰ τῆς ἐπάνω κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ.

Εἴπωμεν πάντες· Κύριε ἐλέησον.

Cives magnae urbis Alexandriae Christum amantis, et ejusdem Nomi, cum patrum suorum amantissimi sint, et in orbitatis luctu diutius remanere non possent, libenter et ex animi sui sententia consilium inter se habuerunt, et expetere sibi patrem festinarunt.

Unde congregatis sanctissimis episcopis, et religiosissimis presbyteris, simulque Dei amantissimis diaconis, piissimisque monachis, celeberrimisque hegumenis, omnique Christum amante populo magnae urbis Alexandrinorum, et omnis regionis Aegypti inferioris, unanimi consensu, magno studio adhibito, quacumque potuerunt, quaesiverunt eum reperire qui digne deberet pascere nos, et tenere in bonis pascuis et in loco uberi. Unde cum intente invocassemus omnia perspicientem Deum, ut exhiberet nobis eum qui huic dignitati esset idoneus, designavit nobis ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum presbyterum et piissimum monachum, inclyti monasterii N., utque eum constitueremus summum pastorem et archiepiscopum, qui sederet per successionem in throno evangelico admirandi Marci, divina locuti, et Apostoli, ad confirmationem, et reformationem sanctarum Dei ecclesiarum, de quo testimonium habitum est, in locum Abba N. qui in pietate defunctus bonam sui memoriam reliquit, et ad Deum migravit. Super hunc igitur ut videtis per canonicam precem, divinam potestatem invocantes, advenire Sancti Spiritus operationem exspectamus. Orate igitur simul omnes qui adestis, ut super eum adveniat donum coelestis vocationis et gratia Sanctissimi Spiritus.

Dicamus omnes: Kyrie eleison. *(Ter.)*

Tunc (τότε) *episcopi descendunt de synthrono et stent super*[1] *altare ordinaturi patriarcham. Adductus*[2] *genuflectat super gradum* (ὑποπόδιον) *altaris. Omnes stent in timore et silentio, sit cor eorum elevatum sursum*[3] *et orent in quiete et timore. Deinde*[4] (εἶτα) *datur thus principi episcopo*[5], *dicat orationem thuris. Deinde* (εἶτα) *post hanc oret*[6]:

Domine Deus virtutum etc. ut p. 4. suscipe pontificatum.

Archidiaconus[7] *dicat has rogationes* (ἔδεσις = δέησις).

Εἴπωμεν πάντες. Δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον. Κύριε ἐλέησον.	Dicamus omnes: precamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.
Ὁ Λαός· Κύριε ἐλέησον.	Populus: Kyrie eleison.
Κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.	Domine omnipotens coelestis, Deus patrum nostrorum, rogamus te, Domine exaudi.
Κύριε ἐλέησον.	Kyrie eleison.
Ὑπὲρ εἰρήνης τῆς ἁγίας, μόνης, καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας καὶ σωτηρίας περιεστῶτος λαοῦ, δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.	Pro pace sanctae, solius, catholicae et apostolicae Ecclesiae et salute circumstantis populi rogamus te, Domine exaudi.
Κύριε ἐλέησον.	Kyrie eleison.
Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, συγχωρήσεως παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν, καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς, ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης, παντὸς πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου. Κύριε ἐπάκουσον.	Pro remissione peccatorum, et venia omnium delictorum nostrorum, et ut liberemur et salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione et insurrectione hostium et populorum, rogamus te, Domine exaudi.
Κύριε ἐλέησον.	Kyrie eleison.
Σῶσον ὁ Θεὸς τὸν λαόν σου, καὶ εὐλόγησον τὴν ἐκ πατρὸς κληρονομίαν σου καὶ ἰδέ, καὶ ἐπίσκεψαι τὸν κόσμον σου ἐν ἐλέει, καὶ οἰκτιρνοῖς σου. Ὕψωσον κέρας Χριστιανῶν τῇ δυνάμει τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ τοῦ σταυροῦ σου, καὶ κατάπεμψον ἡμῖν καὶ ἐφ' ἡμᾶς τὰ ἐλέη σου τὰ πλούσια καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου μὴ παρίδῃς· καὶ ἀπόστρεψον τὸ πρόσωπόν σου ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· καὶ ἐξάλειψον τὸ χειρόγραφον τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν· καὶ πρόσδεξαι τὴν δέησιν, καὶ μετάνοιαν τοῦ λαοῦ σου, ὅτι σu φιλάνθρωπος, ἀγαθὸς Θεὲ κύριε.	Salvum fac Deus populum tuum et benedic paternae haereditati tuae: vide, et visita mundum tuum in misericordia et miserationibus tuis. Eleva cornu Christianorum per potentiam pretiosae et vivificae crucis tuae: et mitte nobis et super nos miserationes tuas divites: atque opera manuum tuarum ne despicias: et averte faciem tuam a peccatis nostris, et dele chirographum iniquitatum nostrarum: suscipe etiam deprecationem et poenitentiam populi tui, quia tu es amator hominum bonus Domine Deus.
Κύριε ἐλέησον.	**Kyrie eleison.**

[1] R coram. — [2] R et adducitur qui ordinatur patriarcha. — [3] R corde humili. — [4] R add. senior episcopus dicet orationem gratiarum actionis. — [5] R ad olebit incensum. — [6] R add. facie ad orientem conversa. — [7] R Diaconus.

Τῇ χάριτι τῆς τριημέρου καὶ φοβερᾶς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως. Τῇ πρεσβείᾳ τῆς Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας καὶ τοῦ ἁγίου, ἐνδόξου ἀποστόλου, καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου.

Ἱκετεύομέν σε παντοδύναμε κύριε, ἐπάκουσον ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν δεομένων σου. Κύριε ἐλέησον.

Ὁ Λαός. Κύριε ἐλέησον.

Ἀρχιδιάκονος.

Ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον, καὶ τοῦ προςδεχθῆναι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, δεόμεθά σου κύριε ἐπάκουσον·

Κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ καταπεμφθῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ τὸν ἐκλελεγμένον δοῦλον τοῦ Θεοῦ Δ. τῇ ἐπὶ αὐτὸν ἐντεύξει γενομένῃ κύριον τὸν Θεὸν τῆς δόξης ἱκετεύωμεν.

Per gratiam triduanae et timendae resurrectionis ex mortuis. Per intercessionem Deiparae et semper Virginis Mariae: sanctique gloriosi Apostoli et evangelistae Marci.

Deprecamur te, omnipotens Domine, exaudi nos peccatores rogantes te. Kyrie eleison.

Populus. Kyrie eleison.

Archidiaconus.

Ut remittatur nobis omne delictum voluntarium et involuntarium: et ut suscipiatur deprecatio nostra: utque mittantur misericordiae Dei: et miserationes ejus super nos omnes, deprecamur te, Domine exaudi.

Kyrie eleison.

Et ut mittatur Spiritus Sanctus super electum servum Dei N. per orationem super eum factam Dominum Deum gloriae supplicemus.

Et post quinquagies: Kyrie eleison[1] *princeps episcopus dicat hanc orationem*[2]*:*

Domine omnipotens, et Dominator universi, Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis, tu es qui custodis pastorem et gregem. Tu enim (γάρ) es causa[3], tu virtus succurrens (βοηθεῖν), tu es adjutor (βοηθός) noster et medicus, tu es liberator et murus et robur[4] et spes (ἐλπίς) nostra, et locus refugii noster, et gratia et susceptio (ἀναλυμψις = ἀνάληψις) et exspectatio (προςδοκία) et vita et resurrectio (ἀνάστασις), et a te est reconciliatio[5] et salus nobis omnibus usque in saecula: Tu reconciliasti omnes[6]. Fortifica nos, serva nos, custodi nos, protege (σκεπάζειν) nos, salva nos[7], quia tu es princeps principum (ἄρχων) et dominator dominantium et dominus dominorum et rex regum. Tu es, qui praevenisti dare[8] potestatem ei, quem praevenisti constituere[9], et dedisti ei, ut ligaret et solveret, quos decet[10]. Tu es, qui dedisti ei sapientiam (σοφία) ut instrumento[11] (ὄργανον) Ecclesiae Christi tui, quam tu custodis quemadmodum sponsam speciosam[12]. Tu es Deus omnipotens (παντοδύναμος) et super omnia dominans[13] (παντοκρατωρος = παντοκράτωρ), et tuum est regnum et potestas et honor, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc[14].

---

[1] R Populus. Kyrie eleison; add. Archidiaconus. Deum precemur. — [2] R add. facie conversa ad orientem. — [3] R add. suprema. — [4] R defensionis. — [5] R apud te est ordo. — [6] R Tu qui praeclare ordinas omnia. — [7] R deest salva nos. — [8] R antiquitus dedisti. — [9] R quem in sede constituisti. — [10] R quidquid vellet. — [11] R tanquam instrumentum et per auctoritatem. — [12] R plantationem bonam. — [13] R omnia continens. — [14] R add. Conversus ad orientem dicit. Pax omnibus.

Archidiaconus dicit:
Porro Dominum precemur (Ἔτι τοῦ κυρίου δεηθῶμεν).
Populus: Kyrie eleison[1].
Princeps episcopus imponet dexteram suam super caput ejus silens, donec archidiaconus dixerit hanc exclamationem (ἐκφώνησις):

Gratia divina quae infirma sanat et deficientia supplet, et disjuncta conjungit, quae providentiam habet sanctarum suarum ecclesiarum, providit ut oculos conjiceremus in N. religiosissimum presbyterum et monachum praeclari monasterii N., ut esset archiepiscopus amantis Christum urbis Alexandriae, totiusque regionis Aegypti, et Nomorum ejus loco Abba N. qui in sanctitate memoriam sui reliquit, et ad Deum migravit. Orate igitur intente nobiscum vos qui adestis omnes ad Dominum, ut super illum adveniat gratia Sanctissimi Spiritus.

Ἡ Θεία χάρις, ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάπτουσα, ἡ τὴν πρόνοιάν τε ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προβάλλει τε δὲ ἡμῖν ἰδεῖν εἰς τὸν Δ. θεοσεβέστατον πρεσβύτερον, καὶ μονάζοντα τοῦ εὐαγοῦς μοναστηρίου Δ. εἰς ἀρχιεπίσκοπον φιλοχρίστου πόλεως Ἀλεξανδρίας, καὶ πάσης κατ' Αἰγύπτου χώρας, καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἀντὶ Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι μνήμην λήξαντος, καὶ πρὸς Θεὸν ἐνδημήσαντος. Συνεύξασθε οὖν, καὶ ὑμεῖς ἐκτενῶς πρὸς κύριον πάντες οἱ συμπάροντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ.

Dicamus omnes (εἴπωμεν πάντες): Kyrie eleison.[2]
Populus: Kyrie eleison. *Ter.*[3]
Princeps episcopus dicat hanc orationem imposita manu sua super caput electi:
Ita Domine, fac eum dignum vocatione sacerdotali (ἱερατικόν) etc. p. 23.
Pax omnibus (εἰρήνη πᾶσιν).
Populus: Et spiritui tuo[4] (καὶ τῷ πνεύματί σου).
Archidiaconus dicit (λέγει):

Dicamus omnes: oramus te, Domine miserere. Stemus decenter. Stemus cum timore. Stemus reverenter. Stemus cum timore et tremore et silentio, omnesque oremus.
Pax omnibus.
Populus: Et spiritui tuo[5].
Archidiaconus dicit[6]:
Congregamini igitur et orate simul[7] episcopi. Extendite manus vestras.

Εἴπωμεν πάντες, δεόμεθά σου, κύριε ἐλέησον. Στῶμεν καλῶς· στῶμεν μετὰ φόβου· στῶμεν εὐλαβῶς· στῶμεν μετὰ φόβου καὶ τρόμου καὶ ἡσυχίας, πάντες εὐξώμεθα.
Εἰρήνη πᾶσιν.
Ὁ λαός· Καὶ τῷ πνεύματί σου.
Ὁ Ἀρχιδιάκονος λέγει·
Συνάξασθε οὖν καὶ συνεύξασθε ἐπίσκοποι. Ἐκτείνατε τὰς χεῖρας.

---

[1] R deest: Populus. Kyrie eleison. — [2] R deest Kyrie eleison. — [3] R deest Ter. — [4] R deest Populus: . . . . tuo. — [5] R deest Populus: . . . . tuo. — [6] R deest: Archidiaconus dicit. — [7] R deest: et orate simul.

Episcopi omnes extendunt manus suas in altum[1]. *Princeps episcopus dicat hanc invocationem* (ἐπίκλησις) *ordinationis manus suas*[2] *imponens super caput ejus:*

Dominator Domine Deus omnipotens, Pater misericordiarum et Deus omnis consolationis, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri[3] Jesu Christi, qui creasti omnia per virtutem sapientiamque tuam et in consilio tuo firmasti fundamenta orbis terrarum (οἰκουμένη), qui nosti omnia antequam fiant, qui ornas coronas iis qui sunt a te, qui dedisti timorem tuum omnibus creaturis, ut sint subjectae potentiae virtutis[4] tuae, qui donasti nos cognitione veritatis tuae[5], ut sciremus spiritum benignitatis tuae, qui illuminasti ecclesias tuas spendore ineffabili unigeniti Filii tui[6], qui elegisti Abraham dilectum tuum ad haereditatem (κληρονόμια) fidei[7] et Enoch sanctum tuum transtulisti ad thesauros lucis, propterea, quod tibi placuit, qui donasti Moysi mansuetudinem et Aaron plenitudinem sacerdotii, qui unxisti reges ab initio et principes (ἄρχων), ut judicarent populum tuum in veritate, qui non reliquisti altare tuum[8] a constitutione (καταβολή) mundi, post constitutionem (καταβολή) mundi iterum (πάλιν) constituisti servitium tuum in ecclesiis, ut perficerentur per sacerdotes et levitas (λευίτης) habentes typum (τύπος) coelestium[9], ut (ἵνα) servitium coelestium (sc. ministrorum) consentiret in unum cum terrestribus, ut (ὥςδε) laudarent[10] nomen sanctum tuum Deus sole vere, et unigeniti tui Filii et Spiritus Sancti, per quem rogamus et precamur bonitatem (ἀγαθός) tuam super servum tuum N., quem tu segregasti et glorificasti, elegisti tibi pontificem et patrem[11] super[12] ecclesiam tuam, ut esset princeps (ἄρχων) et rector (ἡγούμενος) super populum tuum. Illumina eum, Domine, lumine vultus tui, ut (ἵνα) illuminetur cor ejus fonte[13] gloriae tuae, ut intelligat mysteria tua abscondita in veritate. Effunde super eum in spiritu tuo hegemonico (ἡγεμονικόν) scientiam (γνῶσις) tuam, in hoc, quem[14] accepit in Ecclesia sancta tua, ut renovaret in iis, in quibus complacuisti secundum generationes (κατὰ γενεά), (Arabs: omnibus generationibus) Spiritum Sanctum, spiritum veritatis, spiritum perfectum (τέλειον), Paracletum, quem dedisti sanctis (ἅγιος) Apostolis et sanctis prophetis tuis. Da ei virgam virtutis tuae, quae ascendit de radice Jesse hanc, super quam Spiritus Dei septiformis requievit, ferentem[15] fructum veritatis, spiritum[16] sapientiae (σοφία) et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae (γνῶσις) et pietatis (εὐσεβής). Imple eum timore tuo[17], ut judicet populum tuum in aequitate et teneat manifestationem fidei[18] sanctae irreprehensibiliter. Indue eum podere (ποτήριον = ποδήριον) stolae (στολή) sanctae gloriae tuae; impone capiti ejus mitram (μητρα = μίτρα) et unge eum oleo

---

[1] R addit: et aliquis eorum tangit humeros electi hinc et inde. — [2] R manum suam dexteram. — [3] R add. et regis nostrum omnium. — [4] R. adorarent gloriam potentiae. — [5] R deest veritatis tuae. — [6] R. qui constituit ecclesias Unigeniti sui, ut lucerent splendore inenarrabili. — [7] R. add. suae. — [8] R add. sanctum quod in coelis est absque ministris. — [9] R addit ministrorum. — [10] R add. et benedicerent. — [11] R deest: et patrem. — [12] R add. universam. — [13] R radiis. — [14] R spiritum principalem cognitionis tui, quem. — [15] R. scilicet septem spiritus tui, Deus, descendant super eum et producant. — [16] R spiritus, et ita porro. — [17] R add. Deus. — [18] R fidem; deest: manifestationem.

laetitiae, bonitatis (χρηστός) tuae prae omnibus participibus tuis[1], ut sit tibi Deus pontifex (ἀρχιερεύς) fidelis super domum tuam, quae est Ecclesia, serviens tibi irreprehensibiliter omnibus diebus vitae suae et pontificatus (ἀρχιεροσύνη) ejus[2], sit die ac nocte perpetuo in sacrificiis sanctis et in orationibus (προςευχή) in corde puro et anima illuminata, in jejunio (νηστεία) et operibus (πρᾶξις) sanctis in charitate (ἀγάπη) et mansuetudine, in fide non ficta, in prophetiis (προφητεία) et manifestationibus Spiritus, offerens (προςφορεῖν) tibi sacrificium (θυσία) sanctum omni tempore. Offeret thus pro ignorantiis populi tui, lugebit de immorigeris insipientium populi quae oves tuae sunt, eripiens[3] eos de laqueo peccati ad pietatem (θεοσεβής). Pacem (εἰρήνη) super pacem largire super populum tuum et super oves tuas in potentia tua[4], da ei potestatem Spiritus Sancti tui, ut solvat vincula omnia eorum, quos inimicus vinxit in peccato, et da ei, ut membra (μέλος) divisa Ecclesiae reconciliet unitati. Custodi sacerdotium ejus immaculatum semper, servientis tibi sacrificio spirituali (πνευματικόν) omni tempore secundum (κατά) ordinem (τάξις) summi sacerdotis (ἀρχιερεύς) qui est in coelis Jesu Christi[5], per quem gloria et honor et potestas te decet (πρέπει) cum ipso et Spiritu Sancto vivificante et consubstantiali (ὁμοούσιος) tecum, nunc etc.

Pax omnibus[6] (εἰρήνη πᾶσιν).

Princeps episcopus convertat se ad orientem et oret hoc modo:

Respice, Domine, super nos . . . . . gratiam pontificalem (ἀρχιερατικόν) etc., ut supra p. 25.

Pax omnibus[7] (εἰρήνη πᾶσιν).

Convertit faciem suam ad occidentem[8] et signet (σφραγίζειν) *caput ejus pollice suo dicens:*

Promotus est in sancta Ecclesia Dei N. archiepiscopus in sancta ecclesia Dei magnae civitatis Alexandriae.

Προεχειρήθη ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ ΔΔ ἀρχιεπίσκοπος ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας.

Iterum (πάλιν) *dicat denuo:*[9]

N. archiepiscopus et patriarcha in sancta catholica et apostolica Dei ecclesia supranominatae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

ΔΔ ἀρχιεπίσκοπος καὶ πατριάρχης ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τῆς προονομασθείσης[10] εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος ἁγίου, Ἀμήν.

Induit eum stichario (στοιχαριον = στιχάριον) *et orario* (ὠράριον) *in collo ejus, et philonio* (φιλονιον = φελόνιον), *et invocat super eum iterum nomen* (ὀνομασία) *sanctae Trinitatis*[11] *dicens:*

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Postea ascendunt ad synthronum. Princeps episcopus reverentia facta versus orientem sedeat super thronum. Et alii episcopi sedent cir-

---

[1] R suis. — [2] R. in pontificali dignitate. — [3] R Educ. — [4] R per gloriam tuam. — [5] R add. Domini nostri. — [6] R deest Pax omnibus. — [7] R deest hic: Pax omnibus. — [8] R add. dicit Pax omnibus. — [9] R deest: Iterum dicat denuo. — [10] R add. μεγαλοπόλεως τῶν ὀρθοδόξων Ἀλεξανδρίας. — [11] R deest: et invocat . . . . Trinitatis.

cum eum[1] *secundum eorum ordinem. Collocatur vocatus in gradu*[2] (ὑποπόδιον). *Dent systaticam (sc. epistolam: συστατική, i. s.) ejus diacono*[3], *ut legat in ambone. Dicitur haec laus*[4] (ἔπαινος).

Haec est forma (ὕκων = εἰκών) systaticae.*)

Systatica Abba N. archiepiscopi magnae civitatis Alexandriae.

Omnibus Dei amantissimis presbyteris et diaconis et subdiaconis, lectoribus, patribus monachis, hegumenis, semper virginibus et omnibus primoribus fidelibus, et orthodoxo populo hujus venerabilis et Christi amantis magnae civitatis Alexandrinorum et Phostati**) Babylonis, et universae terrae Aegypti, et omnibus provinciis ejus, et Nobadiae et Macuriae et Aroadiae et Dalmodiae et Aethiopum terris, nec non Exomedorum et provinciis eorum: spiritualibus filiis et fratribus simul praesentes episcopi in Domino salutem.

Ἡ συστατικὴ ἀββᾶ ΔΔ ἀρχιεπισκόπου μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας.

Τοῖς πᾶσι θεοφιλεστάτοις πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ ὑποδιακόνοις, ψάλταις, πατράσι μονάζουσι, ἡγουμένοις, ἀεὶ παρθένοις καὶ πᾶσι πρωτίστοις πιστοῖς καὶ ὀρθοδόξῳ λαῷ ταύτης αἰδεσίμου καὶ φιλοχρίστου μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρεῶν καὶ φωστάτου Βαβυλῶνος καὶ πάσης τῆς κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ πᾶσι τοῖς νομοῖς αὐτῆς καὶ νωβαδίας καὶ μακουρίας καὶ ἀρωαδίας καὶ δαλμωδίας καὶ αἰθίοπος χώραις ἅμα ἐξομήδων καὶ τοῖς νομοῖς αὐτῶν, πνευματικοῖς τέκνοις καὶ ἀδελφοῖς οἱ συμπαρόντες ἐπίσκοποι ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Haec sunt scripta magna superioris systaticae, quam e graeco in Aegyptium idioma traduximus:

Nos episcopi congregati in misericordia Dei scribimus ad Dei amantissimos (θεοφιλέστατος) presbyteros et diaconos, subdiaconos, lectores, psaltas, patres monachos, principes (ἄρχων), et semper virgines et fideles omnes orthodoxi populi, qui sunt in magna et Christi amante civitate Alexandria et Phostato Babylonis[5] et universa terra Aegyptiorum[6], et omnibus provinciis ejus[7]; deinde etiam (ἔτι δέ) (in) Nobadia***), Talmodia[8], Macuria, Aroadia[9] et universa terra Aethiopum, ad Exomedos[10] et

---

[1] R add. hinc et inde. — [2] R Electus sedebit super scabellum infra, facie ad orientem conversa. — [3] R add. qui legere probe sciat. — [4] R has orationes. — [5] R seu Cahira Aegypti. — [6] R deest: et universa terra Aegyptiorum. — [7] R add. ad austrum et mare, Axumitas. — [8] R Ab Almodia. — [9] R Ab deest: Aroadia. — [10] R Ab deest: ad Exomedos. —

*) Praeter impressam formam, quae apud Renaudotium in Liturg. Orient. consecrationi subjungitur, contulimus etiam eam, quae est apud Abulbircatum, quam in opere MS. de ordinationibus translatam tradidit. Partis prioris forma graeca deest apud Renaudotium. Incipit autem his verbis: Nos episcopi.

**) Φωστατον s. φωστατων alii putarunt esse corruptum verbum latinum: fossatum i. e. castra; alii interpretantur ex verbo arabico: „Phostat" de quo Freytag lex. arab. ita habet: „Phostat" est locus, ubi gens regionis convenit (Camus.); nomen metropolis Aegypti, quam condidit Ahmru-ben-Alahz. Renaud.: Kahira. S.

***) Hoc est: Nubia, uti vertit R.

omnes regiones eorum[1], dilectis nostris[2] fratribus spiritualibus[3], quos in Domino diligimus[4], salutem.

Canite (ψάλλειν) in Neomenia[5] in tuba („σαλπιγγος“ = σάλπιγξ) in insigni die sollemnitatum vestrarum, o dilectissimi. O altitudo[6] divitiarum sapientiae (σοφία) et scientiae Dei secundum[7] (κατά) consilia[8] incomprehensibilia!

Ipse Dominus nostrum omnium Jesus[9] Christus, verus (ἀληθινός) Deus noster, qui cognoscit omnia antequam fiant, qui scrutatur corda et renes hominum, qui permanet in consilio suo cum Patre et Spiritu Sancto, judicans veraciter in justitia (δίκαιον), apud quem reconditi sunt thesauri abundantes sapientia[10]: — ipse igitur — nunc[11] tanquam (ὡς) Dominus justus[12] suscepit divitem in omnibus bonis patrem nostrum, patriarcham Abba N.; qui accepit sortem (κλῆρος) sanctorum et partem eorum, qui bene egerunt[13].

Et visum est (δοκεῖν) nobis secundum (κατά) necessitatem (ἀνάγκη), quae imposita est super nos, convenire secundum (κατά) canones (κανών) apostolicos in consensu (ὁμόνοια) uno — nos episcopi terrae Aegypti, et clerus et populus magnae civitatis Alexandriae cum aliquibus ex principatu (ἄρχων) Aegypti, et deliberare. Rogantes (αἰτεῖν) Deum, ut ostenderet nobis, quae utilia essent, fecimus peregrinationem nostram in deserta remota[14] Schiet*) montis nitri[15]. Inquisivimus diligenter (ἀκριβῶς), quis esset dignus hoc magno pontificatu (ἀρχιερωσύνη), ut pasceret nos in via Domini, et dirigeret in portum (λυμην = λιμήν) Ecclesiae, ut qui (ὡς) perspectum habuimus amorem ergo patres Christi amantis civitatis Alexandriae affectumque cordis erga antistites (προεστώς) suos, et eos nolle in orbitate permanere ad tempus diuturnum. Ideo gloriati sumus, perfecisse[16] opus Dei rogantes providentiam (πρόνοια) Dei[17], deprecantes (αἰτεῖν) misericordiam et[18] benignitatem (ἀγαθός) ejus, orantes (προςεύχεσθαι) enixe sine intermissione noctu (Arabs: in vigiliis nocturnis) precantes, ut revelaret nobis, quis esset sufficiens (ἵκανος), ut esset mediator (μεσίτης), et promoveremus eum in gradum (βαθμός) ordinis (τάξις) episcopalis (ἀρχιερωσύνη).

Propterea gloriati sumus[19] in respiciendo in pium[20] presbyterum et religiosissimum (εὐλαβέστατος) monachum N. laurae speciosae patris nostri sancti Abba beati[21] („μακαρι“ = μακάριος; Arabs accipere videtur pro nomine proprio: Μακάριος) Schiet[22] (i. e. deserti Schiet) ascetae[23] („σκυθης“ = ἀσκητής?), qui educavit eum[24] a prima aetate (ὁληκια = ἡλικία) ad pedes

---

[1] Ab omnique regione superiori. — [2] Ab add. et. — [3] Ab nostris; deest: spiritualibus. — [4] Ab deest: quos diligimus. — [5] R deest: in Neomenia; add. in Sion. — [6] R Ab propter altitudinem. — [7] Ab et. — [8] R opera. — [9] R deest Jesus. — [10] R. sapientiae. — [11] R nuper. — [12] R Ab verus; Ab add. et absolutus. — [13] R deest: et partem . . . . . . egerunt. — [14] Ab sancta. — [15] R et ad Nitriae montem. — [16] R visum est nobis perficere; Ab laudantes Deum de omnibus operibus ejus. — [17] R deest: rogantes providentiam Dei. — [18] R deest: misericordiam et. — [19] R matura deliberatione habita convenit inter nos; Ab Tunc eo dirigentes convertimus oculos nostros. — [20] R servum Dei. — [21] R N. deest: beati; Ab Macarii. — [22] R deest: Schiet. — [23] R ascetam; Ab deest: ascetae. — [24] R Ab qui in eadem educatus est.

*) Schiet, Scitiaca regio, desertum ad montem Nitriae. Parthey, Lex. copt. S.

patrum[1] sanctorum. Qui accepit gratiam eorum, quemadmodum Elisaeus apud Eliam Thesbiten, per habitum (σχῆμα) angelicum (ἀγγελικόν): sicut in sermonibus apostolicis scriptum est: Scimus, quoniam cum diligentibus (ἀγαπᾶν) Deum operatur in omnibus bonis, cum iis, qui vocati sunt secundum propositum[2], scilicet, quos praescivit hos et praedestinavit, quos praedestinavit hos et vocavit, quos vocavit hos et justificavit, quos justificavit et glorificavit. Et iterum (καὶ πάλιν) dixit: Nemo sumit sibi honorem solus, sed (ἀλλά) vocat eum Deus quemadmodum Aaron sacerdotem[3]: ita etiam omnes, qui venerunt post eum secundum[4] generationes (κατὰ γενεά) usque nunc et usque ad consummationem saeculi (συντέλεια — αἰών). Et cum certi essemus de profectu (προκοπή) ejus secundum (κατά) votum[5] (ψήφισμα) senum omnium sanctorum[6], qui sunt in deserto, horum, qui eum duxerunt in medium ad nos[7] et testimonium reddiderunt de eo, eum dignum esse, qui in hunc gradum promoveretur, implorato pro nobis[8] adjutore (βοηθός) Deo, auctore (ἀρχηγός) omnium bonorum, qui elegit eum secundum vocationem coelestem[9], elevavimus eum ad gradum (βαθμός) illustrem pontificalem (ἀρχιερατικόν), ut esset nobis pater et pastor, ut pasceret nos in loco pingui scientiae veritatis. Ideo elevavimus eum in successionem (διαδοχή) evangelistae et divinitus locuti[10] (θεοῤῥημένος i. s.) sancti Marci, qui[11] plenus est charismatibus (χάρισμα) omnibus spiritualibus coelestibus, tribuentes ei[12] (δέ expl.) gratiam Paracliti cum vocibus apostolicis, quando (ὅταν) induimus eum (στολίζειν) habitu (στολή) pontificali (ἀρχιερατικόν) per (= ex dispositione) Deum et sanctos Apostolos ejus et electos[13] discipulos[14] (μαθητής): et factus est pontifex (ἀρχιερεύς) et pastor et doctor, ut qui (ὡς) accepit potestatem (ἐξουσία) hanc a Deo, rege coeli et terrae, ut ligaret et solveret, nec non (ἔτι δέ) manus imponeret (χειροτονεῖν) episcopis et constitueret clericos (κλῆρος = κληρικός) pro sacrario (ἱερατεῖον), et consecraret altaria (θυσιαστήριον) et dedicaret domus novas orationis[15] (εὐκτήριον), et ut exerceret potestatem (ἐξουσία), quam Dominus noster Jesus Christus dedit iis, quos assumpsit in discipulos et Apostolos, et ut congregaret[16] initiatos (μυσταγωγός) Ecclesiae suae[17], et ut consecraret unguentum (μύρον) mysticum (μυστικόν) in mysterium absconditum thalami venerandi nuptiarum sublimium et coelestium sponsae ornatae coeli, quae est[18] ea, quae vocatur sponsa Christi, et (ut perficeret) opus lavacri[19] regenerationis Spiritus Sancti secundum mandatum (κέλευσις) ejus, qui mandavit ipsi[20], Jesu Christi Domini[21] nostri. Qui factus ipsi successor[22] (διάδοχος) et mediator (μεσίτης) inter nos et ipsum, secundum

---

[1] R add. nostrorum. — [2] R add. voluntatis suae. — [3] R deest: sacerdotem. — [4] R add. tempora et; Ab add. et saeculis. — [5] R Ab testimonium. — [6] R deest: sanctorum. — [7] R add. veluti dignum; Ab deest: qui eum . . . ad nos. — [8] R deest: implorato pro nobis. — [9] Ab add. ordinavimus eum et. — [10] Ab videntis Deum. — [11] R Ab et. — [12] R ex quo accepit; Ab quando accepit. — [13] R et Apostolorum ejus: sanctorum electorumque. — [14] Ab deest: discipulos. — [15] R Ab ecclesiarum oratoriorumque; Ab add. cum martyrum reliquiis. — [16] R add. electos. — [17] Ab Ecclesiae filios eosque mysteriis initiandos. — [18] Ab per mysterium obsignatum sponsi coelestis erga sponsam Christo ornatam; R secundum mysterium venerandum excelsi et coelestis conjugii, quo ornata est. — [19] R Ab deest: lavacri. — [20] R deest: qui mandavit ipsi. Ab a quo instituta et imperata est; deest: ipsi. — [21] R. Ab Dei. — [22] R vicarius. Ab ordinator.

(κατά) ordinem (τάξις) Moysis, servi[1] (θεράπων) Dei, legislatoris (νόμος), et Aaron Levitae, cui creditum est ministerium tabernaculi (σκηνή) testimonii.

Et firmatus est in nomine[2] Jesu Christi et impletus est gratia Spiritus Sancti[3] et factus est homo novus per dignitatem (ἀξίωμα) magnam, quae commissa est ei per Deum, qui exaltat humiles quemadmodum erigit pauperem de stercore (κοπρία), faciens eum sedere cum principibus (ἄρχων) populi sui. Et repleti sumus gaudio incessabili et laetitia in Domino[4] (δεσποτικόν), quia vocatus est nobis[5] per Jesum Christum Verbum (λόγος) Patris, qui incarnatus (σάρξ) est ex Virgine (παρθένος) et homo factus est, et passus est, et mortuus est in carne (σάρξ), et resurrexit tertia die a mortuis, et ascendit ad coelos, et sedet ad dexteram Patris et misit Spiritum Sanctum[6] Paraclitum super Apostolos sanctos suos, ut perficeret eos sanctos in ordine (τάξις) coelestium. Et paraverunt Ecclesiam in omni loco in unitate fidei, et congregaverunt dispersos, et elegerunt eos, qui digni erant secundum praescientiam (πρόνοια) bonitatis (ἀγαθός) ejus[7].

Et confidimus ad Dominum nostrum Jesum Christum, quod dignos nos fecerit (= concesserit) patre[8] bono (ἀγαθός) et perfecto.

Deus autem (δέ), qui nobis eum elegit, donet ei verbum, ut aperiat os suum[9] ad utilitatem nostram, et reddat nos immunes a peccato propter votum (ψήφισμα), quod factum est de eo, et propter vocationem, quam accepit: ut sit pax (εἰρήνη) Ecclesiae[10] et salus (σωτηρία) populis omnibus orthodoxis, ut concedat nobis omnibus multitudinem miserationum suarum uberum per intercessiones (πρεσβεία) dominatricis[11] Dominae omnium nostrum, Dei genitricis (θεοτόκος) sanctae, semper Virginis, (παρθένος), beatae (ἁγία) Mariae, et orationes patris nostri sancti et benedicti in omnibus[12] Marci, Apostoli sancti[13] et evangelistae, et patris nostri deiferi (θεοφόρος) et in omnibus gloriosi Athanasii[14] apostolici (ἀποστολικός), et patris nostri Spiritum ferentis (πνευματοφόρος) Abba Cyrilli[15] patriarchae, et chori (χόρος) universi Sanctorum, qui accepti sunt in conspectu Domini nostri Jesu Christi.

Ideo credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, et unigenitum ejus Filium Jesum Christum Dominum nostrum in unitate indivisa confitentes[16] eum vere quemadmodum Patrem[17], scientes, quoniam Filius est — non duo Filii, sed (ἀλλά) unus Filius —, qui est unigenitus — non secundum (κατά) gratiam aut adoptionem[18]; et (sc. credimus) in Spiritum Sanctum simul (ἅμα), carnis (σάρξ) resurrectionem (ἀνάστασις) in sancta[19] catholica et apostolica[20] Ecclesia. —

---

[1] R viri. — [2] R add. Domini. — [3] R Spiritu Sancto, deest: gratia; Ab gratia et Spiritu Sancto. — [4] R aeterna. — [5] R elegimus eum; Ab qui vocavit nos ad se. — [6] R Ab deest: Sanctum. — [7] R providentia laudabili. — [8] R quod illum nobis fecerit dignum patrem. — [9] R Ab ejus. — [10] R deest: Ecclesiae. — [11] R Ab deest: dominatricis. — [12] R beatissimi. — [13] R deest: sancti. — [14] R Ab Severi. — [15] R Ab deest: apostolici . . . Cyrilli. — [16] R Ab deest: confitentes. — [17] R Illum vere, ut Patrem in propria persona notum, Filium esse agnoscimus: Ab qui per unionem indivisibilem vere subsistit et agnoscitur quod sit Filius, ut etiam Pater agnoscitur subsistens in persona sua. — [18] R conjunctionem; Ab adsumtionem. — [19] R Ab sanctam. — [20] R deest: apostolica.

Det nobis Dominus verbum scientiae in aperiendo ora nostra, ut (ἵνα) viventes in vita (βίος) quieta et tranquilla[1] inveniamur viventes[2] in omni pietate (εὐσεβής) et omni sanctitate[3] (σεμνός) coram ipso in[4] Christo Jesu Domino nostro, per quem est gloria et honor et virtus Patri cum ipso[5], et Spiritui Sancto vivificanti, consubstantiali[6] cum ipso, nunc . . . .

Haec*) est epistola (ἐπιστολή) systatica Abba N. sanctissimi (ὁσιώτατος) archiepiscopi magnae civitatis Alexandriae et Phostati Babylonis[7], et Maris[8] (μαρης) et Pentapoleos Africae, et terrae Aethiopum et Exomedorum et Nobatarum[9] et Macuriensium et terrae (χώρα) Bal-en-Hmou[10] (oculi salis).

Subscribimus (συμμενιν = σημαίνειν) eam nos episcopi congregati, qui fecimus ordinationem ejus benedictam et inthronizationem (θρονισμός) super sedem (καθέδρα) divinitus locuti[11] Marci in catholica apostolica Ecclesia Dei secundum consuetudinem (συνήθεια) canonicam (κανωνικόν), et confirmamus eam subscriptione manuum nostrarum quoad (κατά) id, quod continetur in ea. Ad gloriam Dei. Amen.[12]

Haec[13] sunt, quae subscribunt ex episcopis in fine systaticae:

Ego minimus (ἐλάχιστος) N., episcopus civitatis N., interfui ordinationi patris nostri gloriosi[14], sanctissimi (ὁσιώτατος) Abba N., archiepiscopi magnae civitatis Alexandriae et Babylonis et Aethiopum et quinque civitatum occidentalium[15] in congregatione patrum episcoporum, in ecclesia sancti (ἅγιος) Marci Apostoli, in civitate Alexandria, die dominica (κυριακή), qui est dies N., mensis N., secundum (κατά) tempus (χρόνος) Martyrum**) (μάρτυρος).[16]

Archidiaconus dicat has preces (δέησις):

Ἔτι ἐκτενῶς ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν ὑπὲρ τῆς εἰρήνης, ὁμονοίας, καὶ καταστάσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Iterum intente Dominum supplicemus pro pace, concordia, et stabilitate omnium sanctarum ecclesiarum Dei, Dominum deprecemur.

---

[1] R secundum vitam rectam; Ab rectam et humilem. — [2] R Ab deest: inveniamur viventes. — [3] Ab modestia R deest: et omni sanctitate. — [4] Ab deest: ipso in. — [5] R Ab deest: cum ipso. — [6] R deest: vivificanti, consubstantiali. — [7] R Ab add. regionumque Aegypti. — [8] Ab inferioris et superioris; R Maris seu Thebaidis (est autem Mares Aegyptus superior sive Thebais, unde est expositoria additio). — [9] R exponendo: Azumitarum et Nubiae; Ab Nubiae; deest Exomedorum. — [10] R provinciaeque superioris; Ab deest et Macuriensium . . . . Hmou. — [11] Ab Deum videntis. — [12] Ab deest: quoad id . . . . Amen. — [13] Haec et sequentia desunt apud R. Ab hic ponit: Scribuntur autem exempla duo, unum coptica lingua, alterum arabica: et ad utriusque margines subscribunt episcopi in hanc formam. — [14] Ab deest: patris nostri gloriosi. — [15] Ab Pentapoleos. — [16] Ab anni N; deest: secundum tempus Martyrum.

*) Haec non est forma brevior, vel altera epistola subjungenda, ut censebat Renaudotius, qui hic addit titulum: Epistola Systaticae adjungi solita, sed solemnior quaedam clausula.

**) Aera Martyrum 284 annis serius incipit quam aera vulgaris.

Ὑπὲρ τῆς συνελεύσεως ἡμῶν, τοῦ ἀπρόσκοπτον, καὶ εὐχάριστον, καὶ ἐκλέκτην γίνεσθαι, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro congregatione nostra, ut sit absque offendiculo, laudabilis, electa, Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῶν παρεστώτω νἁγίων ἐπισκόπων, παντὸς τοῦ κλήρου καὶ τοῦ φιλοχρίστου λαοῦ, παρακαλέσωμεν, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro praesentibus sanctis episcopis. omni clero, et Christum amante populo, oremus: Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ βεβαίας καὶ εὐσεβοῦς αὐτοῦ καταστάσεως τὸν ἅγιον ἱκετεύωμεν· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro firma ejus et pia in Spiritu Sancto constitutione, sanctum supplicemus; Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ἐκκλησίας· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro ecclesia ipsi commissa. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ κατὰ θεὸν εὐαρεστήσεως· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro eo, ut Deo placeat. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς εὐζωΐας αὐτοῦ καὶ πραότητος, καὶ ἐπιεικείας εἰς γνῶσιν εὐθύτητος· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Pro bona vita ejus, mansuetudine et modestia ad cognitionem rectitudinis. Dominum deprecemur.

Ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι ἡμᾶς τοῦ βραβείου τῆς ἄνω κλήσεως· τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ut digni efficiamur bravio supernae vocationis. Dominum deprecemur.

Πάντες ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ἀλλήλων ἐκτενέστερον τὸν κύριον ἱκετεύσωμεν.

Omnes pro nobis ipsis, et mutuo intentius Dominum deprecemur.

Populus: Kyrie eleison. *Ter.*

Ὁ λαός· Κύριε ἐλέησον. γ'.[1]

Princeps episcopus orat hoc modo dicens:[2]

Vocamus N., electum servum Dei archiepiscopum et patriarcham in una sola indissolubili[3] ecclesia sancta invisibilis Dei et vivi civitatis Christi amantis orthodoxorum Alexandriae et terrae (χώρα) Aegypti regionumque ejus, ad gloriam et honorem sanctissimae[4] (παναγία) Trinitatis Patris et Filii et Spiritus Sancti; ad pacem (εἰρήνη) et aedificationem Ecclesiae sanctae, quam creavit per incarnationem et dispensationem (οἰκονομία) suam universam, et crucem et mortem et resurrectionem suam, Deus ex Deo, unigenitus Filius Dei[5] Dominus noster Jesus Christus, ad justificationem judiciorum veritatis, revelationum sanctarum et donorum (δωρεά) sacrorum[6], ad resurrectionem e mortuis et pignus incorruptibile usque in saecula. Amen.

Populus dicit: Dignus, dignus dignus Abba N. archiepiscopus.

Ὁ λαὸς λέγει· ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος Ἀββα N. ἀρχιεπίσκοπος.

Imponuntur super eum[7] *(Arabs: caput ejus) quattuor* (τέττερα) *evangelia secundum* (κατά) *vices*[8]. *Deinde auferuntur ab eo quattuor* (τέττερα)

---

[1] R deest textus graecus. — [2] R Senior episcopus dexteram suam imponet super caput ejus. — [3] R defectus experte, deest: una sola. — [4] R addit: et consubstantialis. — [5] R Patris. — [6] R add. doctrinarumque illustrium fidelium et. — [7] R Tum elevant super caput ejus. — [8] R deest: secundum vices; add.: et dum clamatur, Dignus est, imponunt ea capiti ejus.

evangelia. Princeps episcopus imponit manum suam[1] *super eum*[2] *(Arabs: caput ejus); archidiaconus clamat:*

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ πρόνοιαν ἀεὶ ποιουμένη τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, προχειρίζεται τόνδε ἀπὸ πρεσβυτέρων εἰς ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρίας, καὶ κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς. Εὐξόμεθα οὖν πάντες οἱ συμπάροντες, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτὸν ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος.

Divina gratia, quae infirma sanat, et deficientia replet, semperque providentiam gerit sanctarum suarum ecclesiarum, promovet istum ex presbyterorum ordine in archiepiscopum magnae urbis Alexandriae et regionis Aegypti, Nomorumque ejus. Oremus igitur omnes simul praesentes, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti.

Populus: Kyrie eleison. *Ter.*
et: Concede, Domine. *Ter.*[3]
Archidiaconus.
Orate simul praesentes sancti episcopi.

Ὁ λαός· Κύριε ἐλέησον. γ'.
καὶ· πάρασχοῦ, γ'.
Ὁ Ἀρχιδιάκονος.
Συνεύξασθε πάροντες οἱ ὅσιοι ἐπίσκοποι.

Tunc (τότε) *episcôpi omnes congregati singuli secundum ordinem dicant hanc exclamationem*[4] (ἐκφώνησις) *manus*[5] *imponentes. Archidiaconus dicat secundum vices:*

Porro Domino supplicemus:
Episcopi dicunt.[6]

Ἔτι τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.
Οἱ ἐπίσκοποι λέγουσι.

Imponimus manus nostras super electum servum Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad confirmationem et constitutionem (κατάστασις) validam et piam[7] unius solius[8] indivisibilis Ecclesiae invisibilis Dei vivi, quam comparavit per incarnationem et dispensationem (οἰκονομία) universam et crucem et mortem et resurrectionem suam a mortuis, Deus ex Deo, unigenitus Filius Patris Jesus Christus Dominus noster, ad justificationem judiciorum veritatis, revelationum sanctarum, donorum (δωρεά) sacrorum et doctrinarum fidelium de Trinitate perfecta[9] et consubstantiali, de[10] cruce sancta, quae est armatura (ὅπλον) fidelium (πιστός) firmamentum Ecclesiae, securitas (ἀσφάλεια) sacerdotum, victoria regum, prosperitas (εὐστάθεια) populorum (δῆμος), resurrectio mortuorum, et pignus incorruptibile in saecula. Amen.

Et secundum (κατά) *omnes vices*[11] *(= quaqua vice), cum singuli finierint, clamat populus:*

Dignus, dignus, dignus Abba N. archiepiscopus.

Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος Ἀββα N. ἀρχιεπίσκοπος.

Et cum recesserint omnes, princeps episcopus induit eum Omophorio (ὠμοφόριον) *symboli* (σύμβολον) *doni* (δωρεά) *apostolici* (ἀποστολικόν), *quod*

---

[1] R add. dexteram. — [2] R super caput ejus. — [3] R deest: Domine. Ter. — [4] R orabunt super eum in hunc modum. — [5] R manum, add. dexteram suam super caput electi. — [6] R deest: Archidiaconus . . . . . . dicunt. — [7] R ad exaltationem, stabilimentum et confirmationem piae. — [8] R deest: solius. — [9] R sancta, immaculata. — [10] R per. — [11] R deest: secundum omnes vices.

est linteum (λέντιον) *a capite ejus dependens, et Epicheri**) (επιχερι) *super humerum ejus dicens:*[1]

Ad gloriam et honorem Trinitatis consubstantialis[2] Patris et Filii et Spiritus Sancti, pacem et aedificationem sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae Dei.

Benedictus Deus in saecula. Amen.

Episcopi, clerus et populus clament ter: Dignus, dignus, dignus (Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος) Abba N. archiepiscopatu.[3]

Et cum indutus est (φορεῖν) *omni habitu* (στολή) *archisacerdotali* (ἀρχιερατικόν): *Morphotacio* (μορφοτάκιον) *et Phelonio***) (φελόνιον) *et Phacialio* (φακιάλιον)***), *quod a capite ejus dependet, Omophorio* (ὠμοφόριον) *i. e. Morphorin* (μορφοριν) *habitus*****) (στολή), *et Epicheri* (επιχερι) *super humerum ejus†), archidiaconus:*[4]

Ἡ θεία χάρις ἡ τὰ ἀσθενῆ θεραπεύουσα, καὶ τὰ ἐλλείποντα ἀναπληροῦσα, καὶ τὰ διεστῶτα συνάπτουσα ἡ πᾶσαν ἀγαθὴν πρόνοιαν ποιοῦσα τῶν ἁγίων αὐτῆς ἐκκλησιῶν, ἐνθρονίζει Ἄββα Δ. τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς μεγάλης, φιλοχρίστου τῶν Ἀλεξανδρέων πόλεως, καὶ πάσης κατ' Αἰγύπτου χώρας καὶ τῶν νόμων αὐτῆς, ἀντὶ Ἄββα Δ. τοῦ ἐν ὁσιότητι πατρὸς τὴν μνήμην λήξαντος καὶ πρὸς Θεὸν ἐνδημήσαντος. Συνεύξασθε οὖν καὶ ἡμεῖς ἐκτενῶς, πρὸς κύριον πάντες, ὅπως τε καὶ ἐπ' αὐτὸν ἡ δωρεὰ τοῦ οὐρανίου κλήσεως, καὶ ἡ χάρις τοῦ παναγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσῃ. Εἴπωμεν πάντες κύριε ἐλέησον.

Divina gratia quae infirma sanat, et deficientia supplet, et disjuncta conjungit, omnemque bonam providentiam gerit sanctarum suarum ecclesiarum, inthronisat Abba N. sanctissimum archiepiscopum magnae et amantis Christum urbis Alexandrinorum, et universae regionis Aegypti et ejus Nomorum, in locum Abba N. qui in sanctitate patris memoriam reliquit et ad Deum migravit. Orate igitur nobiscum intente ad Dominum omnes, ut veniat quoque super illum donum coelestis vocationis, et descendat gratia Sanctissimi Spiritus. Dicamus omnes.[5]

---

[1] R post haec omnia senior episcopus imponet ei homophorium, quod est insigne dignitatis, super caput ejus, dependebitque ita ut descendat super pectus ejus, et dicit. — [2] R sanctae. — [3] R deest: Episcopi . . . . archiepiscopatu. — [4] R His peractis induetur omni ornatu archiepiscopali nempe cidari, homophorio et orario, populusque alta voce dicet: ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος ἄββα Δ. ἐπισταρχιεπίσκοπος. Tunc archidiaconus dicet alta voce. — [5] R add.: Populus. Kyrie eleison.

*) Haec vox obscura habet articulum feminini generis praefixum. Videtur quaedam species veli super manus pendentis. S.

**) Arabice: Burnus. S.

***) φασκιαλιον = φακελλος (?) τὸ τῆς κεφαλῆς φορέμα, ὃ καὶ φακιόλιον λέγεται. Suid. lex. ed. Bernhardy. Vox Arabica in lexico Freitagii exponitur: panniculus subditus calyptrae, quo eam ab unguento mundam servet mulier. S.

****) Est genitivus. Arabs: Quod est vestis. S.

†) Vanslebius haec etiam tradit, quae huc referenda videntur. Consecratus de altari sumit crucem magnam ferream, quae apud ipsos locum tenet baculi pastoralis, ut innuat se potestatem suam spiritualem non ab episcopis accipere ad pascendum Dei gregem, sicut praedixit David propheta dicens: Pasce eos in virga ferrea; sumit etiam crucem minorem. Post hunc ritum agnoscitur ut patriarcha, omnesque hujus dignitatis functiones peragit.

Princeps episcopus convertit se ad orientem et dicit hanc orationem:

Agimus tibi gratias, omnipotens Domine, per omnia et in omnibus, et benedicimus et glorificamus nomen sanctum tuum, quia fecisti nobiscum magna et effudisti donum (δωρεά) tuum abundanter super servum tuum N. Rogamus et obsecramus te, Domine, exaudi nos per multitudinem miserationum tuarum, et mysterium[1] in impositione manuum (χειροτονία) episcopatus (ἀρχιεροσύνη), quae facta est super servum tuum N., sanctissimum (ὁσιώτατος) archiepiscopum per adventum super eum Spiritus Sancti, et dirige[2] vocationem electionis in sanctitate[3], elige nos cum ipso ad bonum, ut operemur et accipiamus lucrum talenti, ut (ἵνα) accipiamus cum omnibus, qui fecerunt voluntatem tuam a saeculo, mercedem fidelis (πιστός) et prudentis oeconomi in adventu (παρουσία) Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, quem decet (πρέπει) honor et gloria et potestas cum ipso et Spiritu Sancto, nunc[4] . . .

Pax omnibus[5] (εἰρήνη πᾶσι).

Tunc (τότε) *princeps episcopus descendit de synthrono cum secundo (Arabs addit: ab eo), constituant eum super synthronum*[6] *et tenentibus ejus manus dicat princeps episcopus hanc exclamationem* (ἐκφώνησις) *hoc modo:*

Inthronizamus (θρονίζειν) principem pastorem[7] vocatum a Deo N. pro N. archiepiscopo[8] per electionem (ψήφισμα) supernam[9] et communicationem operum eximiorum (ἐξαίρετος) Spiritus Sancti, in hanc sedem (καθέδρα), hujusce catholicae ecclesiae sanctae.

Orate igitur (οὖν) omnes hic congregati, ut (ὅπως) Dominus gloriae custodiat eum per multitudinem annorum in pace (εἰρηνικόν), sine defectu, sine perturbatione[10], sine scandalo (σκάνδαλον). Salva eum illaesum (εβλαβη = βλάβη) ,imperturbatum (χιμων = χειμών), perfectum, placentem majestati[11], ut (ὡς) decet (πρέπει) nomen tuum omni tempore[12]. Ad salutem (σωτηρία) et consolationem[13] populi Christi amantis.

Archidiaconus dicit:	Ὁ ἀρχιδιάκονος λέγει·
Dicamus omnes enixe orantes:	Εἴπωμεν πάντες ἐκτενῶς δεόμενοι·
Kyrie eleison. *Ter.*[14]	Κύριε . . . γ΄.

Princeps episcopus alta voce dicit:

In nomine sanctissimae (παναγία) Trinitatis, consubstantialis, vivificantis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, loco beati (μακάριος) archiepiscopi **Abba[15] N., inthronizamus (θρονίζειν) huic magnae[16] civitati Christi amanti Alexandriae[17] N. qui vocatus est a Deo et per electionem (ψῆφος) sanctam primus sacerdos[18] et pontifex[19] (ἀρχιερεύς) et archiepiscopus ad gloriam et honorem Trinitatis indivisibilis, ad aedificationem, et immobilitatem et confirmationem fidei, ad pacem et firmamentum hujus sedis**

---

[1] R ut complaceas. — [2] R conserva. — [3] R add. et puritate. — [4] R deest: quem decet et reliqua. — [5] R deest: Pax omnibus. — [6] R electum in gradu synthroni. — [7] R caput gregis. — [8] R Abba N. archiepiscopum. — [9] R psephisma sublime. — [10] R absque turbatione, tumultu. — [11] R perficientem voluntatem tuam, secundum honoris amplitudinem. — [12] R add. sanctum; deest omni tempore. — [13] R gloriam. — [14] R deest: Ter. — [15] R deest: Abba. — [16] R deest: magnae. — [17] R add. Abba. — [18] R presbyterorum. — [19] R deest: et pontifex.

(καθέδρα) purae (καθαρός) et splendidae (λαμπρός), ad serenitatem (γαλληνη = γαλήνη) et tranquillitatem ordinis[1] Ecclesiae Dei.

Populus: Dignus, dignus, dignus.	Ὁ λαός· ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος.

Deinde (τότε) *faciunt eum sedere super thronum*[2] *trinis vicibus in similitudinem* (τύπος) *Trinitatis sanctae*[3].

Princeps episcopus alta voce[4] *dicit:*

Facimus sedere Abba N. archiepiscopum super thronum sanctum apostolicum et evangelicum patris nostri sancti et benedicti[5] divinitus locuti Marci, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti[6].

Populus: Dignus, dignus, dignus Abba N. archiepiscopus magnae civitatis Alexandriae et provinciae ejus[7].	Ὁ λαός· Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος Ἀββα Δ. Δ. ἀρχιεπίσκοπος μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ τοῦ νομοῦ αὐτῆς.

Constituunt eum in throno immobilem cum evangelio secundum Marcum *) ***in sinu suo. Episcopi omnes osculantur*** (ἀσπάζεσθαι) ***eum dicentes:*** Dignus (ἄξιος). *Ter*[8]. ***Deinde clerus et populus osculabuntur*** (ἀσπάζεσθαι) ***manum ejus***[9]. ***Deinde doctus diaconus***[10] ***alta voce dicit orationem*** (λόγος) ***inthronizationis*** (ἐπαβατήριον) ***in ambone*** (ἄμβων). ***Et canunt ei ex cantoribus*** („επακουστων?") ***et lectoribus***[11] („ἀναγορευων?") ***etiam laudes*** (ἔπαινος) ***in*** (εἰς) ***hierarchiam*** (τὴν ἱεραρχίαν) ***et hymnos*** (φωνή) ***convenientes*** (πρέπει) ***secundum*** (κατά) ***honorem pontificatus*** (ἀρχιερωσύνη). ***Et praeterea (sc. dicitur) prologus*** (πρόλογος) ***et propsalmus***[12] (προψαλμός). ***Datur ei evangelium secundum Joannem, ut legat caput*** (κεφάλαιον) ***23. (Vulg. 10.)***[13] ***Et quotiescunque dicit:*** **Ego sum pastor bonus,** ***omnis multitudo clamat:***

Dignus, dignus, dignus.	**Ἄξιος, ἄξιος, ἄξιος.**

Atque hic est prologus (πρόλογος):

Benedicite: Ex epistola sancti Pauli Apostoli ad Hebraeos prologus. Cap. 4. (Vulg. 4, 15—5, 6.)	**Εὐλογήσατε· ἐκ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς Παύλου τοῦ ἁγίου ἀποστόλου πρόλογος.**

(Sequitur textus graece: ἔχοντες ἀρχιερέα — κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ[14]**.**

Mox (εὐθύς) ***dicitur finis*** (τέλος)

Psalmi 109. Juravit D. . . . exaltabit caput.

Ὤμοσε κύριος . . . κεφαλήν.

---

[1] R venerabilis; vox est σεμνε, quae forte ita est interpretanda, quasi σεμνή. — [2] R addit: et surgere faciunt. — [3] R deest: in similitudinem . . . sanctae. — [4] R deest: alta voce. — [5] R deest: et benedicti. — [6] R add. Amen. Vanslebius: Amba N. princeps episcoporum, sedeat in cathedra pura, apostolica et evangelica Domini nostri et benedicti patris S. Marci, qui nunc videt Deum in gloria sua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. — [7] R deest: Abba . . . ejus. — [8] R deest: dicentes . . . Ter. — [9] R salutant. — [10] R diaconi; deest: doctus. — [11] R et postea: Audi, tono producto. Multos annos; deest: Et canunt . . . lectoribus. — [12] R psalmus. — [13] R add. cujus hoc est initium: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium. — [14] R deest: Atque hic est prologus . . . , Μελχισεδεκ.

*) Ex Vanslebio caput sancti Marci coram se sumit.

Aegyptiace autem hoc est: Juravit . . . caput*).

Evangelium secundum Joannem cap. 23. graece: Amen, amen, dico vobis . . . et unus pastor.

Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν . . . . μία ποίμνη καὶ εἷς ποιμήν.

Idem Aegyptiace: Evangelium secundum Joannem 23. Amen, amen dico vobis . . . Ego sum pastor bonus**).

Tunc (τότε) *princeps episcopus aperto interim* (μεταξύ) *evangelio super caput patriarchae dicit:*

Dignus, dignus, dignus (ἄξιος etc.) Abba[1] N. patriarchatu et archiepiscopatu super magnam civitatem Alexandriam, et universam terram Aegypti et omnes regiones ejus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Populus clamat dicens: Dignus (ἄξιος). *Ter*[2]. Abba N. archiepiscopatu.

Patriarcha continuat[3] *caput* (κεφάλαιον) *evangelii.* Bonus pastor animam . . . et cognoscunt me meae.

Hic princeps episcopus aperit evangelium super caput patriarchae ut (κατά) *ante. Deinde patriarcha perficit lectionem*[4]. Sicut cognoscit me Pater . . . unum ovile et unus pastor***).

Patriarcha dicit orationem veli (καταπέτασμα) *ex liturgia* (ἀναφορά) *sancti* (ἅγιος) *Basilii* (Βασίλειος), *quae incipit:* Deus, qui propter amorem tuum erga homines.

---

[1] R deest: Abba. — [2] R deest: Ter. — [3] R add. et perficit. — [4] R deest: Deinde . . . lectionem.

*) Haec ut intelligantur, nota, apud Coptitas post lectionem epistolae Paulinae tum catholicae et Actuum apostolorum dici ter Sanctus, tum orationem evangelii, tum psalmum. Ex Vanslebio: Patriarcha tria prima Sanctus solus inchoat, ut indicetur, eum factum esse principem angelorum hierarchiae terrestris, et post ipsum episcopi alia sex Sanctus dicunt. Senior inter eos diaconi officio fungitur ad hanc solemnitatem majori honore decorandam. Patriarcha orationem evangelii dicit erectus stans coram throno facie ad orientem versa. Junior episcopus anagnostae officio fungitur et intonat psalmum 109. Patriarcha legit priorem partem uniuscujusque versus et episcopi alteram partem usque ad versum: Tu es sacerdos in aeternum, quem patriarcha solus pronuntiat.

**) Haec Graece et Aegyptiace legi, non notatur apud R. Nota etiam, textum Graecum integre legi, Copticum dividi secundum rubricas. Vanslebius ulterius ritum describit ita. Cum legendum est evangelium, senior episcopus apertum defert ad patriarcham, ut legat, caeterique cereos accensos deferentes sequuntur. Patriarcha legit caput 10. Johannis: Amen, amen dico vobis, qui non intraverit in ovile ovium etc.

***) Quoties verba illa dicuntur: Ego sum pastor bonus, episcopi evangelium capiti ejus imponunt et eum osculantur et plebs alta voce ter clamat: ἄξιος. Post evangelium pronuntiatur elogium novi patriarchae, tono quodam peculiari. Ita Vanslebius.

Deinde offert (ἀναφορεῖν) *oblationem* (ἀναφορά) *sanctam secundum ordinem*[1] (ἀκολουθία)*), *det omni populo*[2] *de sanctis sacramentis* (μυστήριον), *et det eis pacem*[3] (εἰρήνη). *Clerus psallat*[4] (ψάλλειν) *pertransiens*[5] *ab altari ad sacristiam* (συγκρατον). *Exuitur habitu liturgico* (λειτουργικόν) *et princeps episcopus induat eum habitu* (στολή) *nigro. Clerus psallat coram eo et sedere eum faciunt super thronum*[6], *et archidiaconus dicat super eum hymnos* (φωνή). *Induitur (Arabs: dum induitur) ut det benedictionem.*[7]

Et exiens e catholica ecclesia ad patriarcheum (πατριαρχεῖον) *sancti Marci vehitur jumento suo*[8]. *Omnis multitudo sequitur eum. Fertur lectica* (λεκτοι? *Arabs: vectarium*[9]) *coram eo. Sunt tres cruces ante eos. Deinde imago* (ὑκων = εἰκών) *sancti Marci et vexillum*[10] (πηχον). *Clerus universus incedit ante ipsum psallentes*[11] *cum magna pompa* (τίμη), *progredientes in*[12] *mediam civitatem***) *Cum autem pervenerint in medium ejus, sive*[13] *tetrapylonem* (τετραπυλών), *consistunt et diaconus*[14] *dicit has orationes* (ἐδεησις = δέησις).

---

1 R prosequitur liturgiam secundum consuetudinem. — 2 R deest: omni populo. — 3 R populo benedicet. — 4 R add. Tum post orationem pacis ultmam canent; deest: clerus. — 5 R coram eo. — 6 R post illa: induat eum habitu nigro: collocabitque eum super thronum, canentque coram eo clerus et omnis populus laudes convenientes. — 7 R deest: Induitur, ut det benedictionem. — 8 R add. similiterque omnes episcopi. — 9 R ferentur vexilla, quibus cimelia ornantur diebus festis. — 10 R deest: et vexillum. — 11 R eum comitabuntur, prosequentes. — 12 R circuitumque facient per. — 13 R deest: in medium ejus sive. — 14 R Episcopusque senior.

*) Patriarcha offertorium peragit, dicens orationem pro pace, pro prosperitate patriarchae et pro plebe illius ecclesiae: cum autem alteram orationem pro patriarcha dicit, non enuntiat nomen suum, sed praedecessoris defuncti, animam ejus divinae misericordiae commendans, et senior episcopus eam pro novo patriarcha dicit. Postea patriarcha dicit Credo et Aspasmos sive osculum pacis, tuncque ordines conferre potest, si qui sint, qui postulent. Ita Vanslebius. Mos antiquus erat, quem pariter varii de ordinationibus canones librique pontificales stabiliunt, ut patriarchae inter ordinationis suae solennia ad primam liturgiam episcopi, qui manus ipsi imposuerant, suggererent verbatim ipsam confessionem de Eucharistia, quae habetur in liturgia. Quae confirmantur exemplo Gabrielis, filii Tarich, patriarchae, qui 70. numeratur et ordinatus est anno Martyrum 847, Christi 1131. Cum enim ex historia patriarcharum Alexandrinorum quaestiones inter ipsum et monachos S. Macarii de additamentis ab ipso ad confessionem factis exortae essent, ad episcopos provocavit, qui eum ordinaverant et ita confessionem suggesserant. Ita Renaudot (Comm. in liturg. copt. S. Basilii p. 255).

**) Ex Vanslebio haec fiebant, cum solemnitas quae modo in Cairo peragitur, adhuc Alexandriae celebraretur, Patriarcha mulo vehebatur, primores Coptitarum eum equis insidentes praecedebant, comitantibus presbyteris, qui pedites procedebant, ante quos tres cruces ferebantur, episcopi item pedites eum sequebantur.

Εἴπωμεν πάντες ἐκτενῶς· δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Κύριε παντόκρατορ ἐπουράνιε, ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τῆς εἰρήνης καὶ ὁμονοίας καὶ καταστάσεως τοῦ σύμπαντος κόσμου, καὶ ἑνώσεως πασῶν τῶν ἁγίων τοῦ Θεοῦ ἐκκλησιῶν, δεόμεθά σου κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τοῦ διαφυλαχθῆναι ἡμᾶς, ὑπὸ τὴν ἁγίαν καὶ κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, καὶ σκεπασθῆναι ἀπὸ παντὸς πονηροῦ, καὶ κατευοδωθῆναι περὶ δὲ πάντων τῶν προκεκοιμημένων ἡμῶν, κατὰ τὸ ἔλεός σου, καὶ κατὰ τὸ θέλημα Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ δεόμεθά σου, καὶ κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν ἡμῶν καὶ συγχωρήσεως, παντοίων πλημμελημάτων ἡμῶν· καὶ τοῦ ῥυσθῆναι, καὶ σωθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως, ὀργῆς, κινδύνου, ἀνάγκης παντὸς πειρασμοῦ, καὶ ἐπαναστάσεως ἐχθρῶν, τε καὶ ἐθνῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Ὑπὲρ τῆς ἁγίας Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν πόλεως ταύτης, καὶ πάσης πόλεως, καὶ χώρας, καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἐν πίστει καὶ εὐσεβείᾳ οἰκούντων ἐν αὐταῖς, εἰρήνης καὶ ἀσφαλείας αὐτῶν, δεόμεθά σου, κύριε ἐπάκουσον, κύριε ἐλέησον.

Καὶ ὑπὲρ τοῦ συγχωρηθῆναι ἡμῖν πᾶν πλημμέλημα, ἑκούσιόν τε καὶ ἀκούσιον· καὶ τοῦ προσδεχθῆναι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ καταπεμφθῆναι τὰ ἐλέη τοῦ Θεοῦ, καὶ τοὺς οἰκτιρμοὺς αὐτοῦ ἐπὶ πάντας ἡμᾶς, κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν ἱκετεύσωμεν.

Dicamus omnes intente, deprecamur te: Domine exaudi. Kyrie eleison.

Domine omnipotens, coelestis, Deus patrum nostrorum, deprecamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.

Pro pace, concordia et stabilitate totius mundi, et unione omnium sanctarum Dei ecclesiarum: deprecamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.

Ut conservemur omnes sub sancta et potente manu Dei et protegamur ab omni malo, deducamurque in viam rectam: et pro omnibus qui ex nobis obierunt, secundum misericordiam tuam, et secundum voluntatem Christi Dei: deprecamur te, Domine exaudi nos: Kyrie eleison.

Pro remissione peccatorum nostrorum, et pro venia omnium criminum nostrorum, utque salvemur ab omni oppressione, ira, periculo, necessitate, omni tentatione et insurrectione hostium et gentium: deprecamur te, Domine exaudi: Kyrie eleison.

Pro sancta hac urbe Christi Dei nostri et pro omni urbe et regione, et pro orthodoxis fide et pietate conspicuis, qui in illis habitant: ut etiam pro pace et securitate illorum: deprecamur te, Domine exaudi. Kyrie eleison.

Et ut condonetur nobis quodcumque delictum voluntarium aut involuntarium: utque suscipiantur deprecationes nostrae, et mittantur misericordiae et miserationes Dei super nos omnes, Dominum Deum nostrum suppliciter deprecemur[1].

Princeps episcopus[2] *extendit manus suas et dicat hanc orationem*: Dominator[3] Domine Deus omnipotens, Pater Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, rogamus et obsecramus te, amator hominum bone[4]

---

[1] R add. Populus. Kyrie eleison. — [2] R Patriarcha. — [3] R deest: dominator. — [4] R deest: bone.

(ἀγαθός). Domine, protege (σκεπάζειν) hunc civitatem et eos, qui in ea sunt, in fide orthodoxa. Libera eos a fame, morte [1], terrae motu, submersione in mari (καταποντισμός), insurrectione (ἐπανάστασις) hostium, gladio alienigenarum (ἀλλόφυλος). Visita eos per benignitatem (χρηστός) tuam. Schismata [2] et insurrectiones haereticorum atheorum dissolve. Exhibe eos filios lucis, fac eos dignos regno coelorum per gratiam, misericordias et charitatem unigeniti tui Filii Domini nostri Jesu Christi. Sit tibi gloria cum ipso et Spiritu Sancto nunc . . .

Pax omnibus. Εἰρήνη πᾶσι.

Deinde alta voce dicit [3]: Cito anticipent nos misericordiae tuae Domine [4].

Populus dicit: Kyrie eleison.

Patriarcha: Gloria et honor nomini sancto tuo, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Pax omnibus [5]. Εἰρήνη πᾶσι *).

Deinde patriarcha et episcopi conscendunt jumenta (ἄλογον) *sua* [6]. *Psallitur ante eos usque ad patriarchium. Ducitur ad sedem* (καθηστήριον) *suam et sedeat. Canitur ei carmen* (ενιρωτημα Arabs vertit: carmina alternando recitata) *sice ençomia* (ἐπιρρθμοι) *et hymni* [7] (φωνή). *Praestent ei homagium* [8] (προσκύνησις) **). *Celebratur festum per tres dies in repraesentationem* (τύπος) *mysterii ejus, qui surrexit tertia die. Prima die* [9] *in ecclesia Angelii* (ἀγγελλιον *cf. supra*), *secunda die in ecclesia Archangeli Michaelis* [10], *tertia in ecclesia sancti Marci* [11]. *Peracta* (τελεῖν) *oblatione* [12] (ἀναφορά) *accipit caput apostolicum* [13] *divinitus* [14] *locuti Marci* [15] *in sinum suum* ***) *ut* (ὡς) *qui ejus successor* (διάδοχος) *factus est et paratus ambulare in vestigiis ejus* [16].

Ad gloriam Domini [17]. Amen.

Benedictio psaltae.

(Ex Vanslebio Histoire de l'église d'Alexandrie. Part. 4. sect. 2. c. 7.)

Cum ordinatur cantor, quem psalmodistam vocant, ordinandus prosternitur coram episcopo, et episcopus tres orationes super eum recitat.

---

[1] R add. exilio. — [2] R discidia. — [3] R add. Praeveniant et. — [4] R add. quia pauperes facti sumus nimis: adjuva nos Deus salvator noster. — [5] R deest: Pax omnibus. — [6] R deest: patriarcha . . . sua. — [7] R add. laudis gratia; deest: et hymni. — [8] R illumque prostrati venerabuntur. — [9] R add. inthronizabunt eum. — [10] R add. Axumitarum. — [11] R add. in coemeterio. — [12] R add. die tertia sedebit et. — [13] R sanctum. — [14] R Divi. — [15] R add. Evangelistae. — [16] R deest: et paratus . . . ejus. — [17] R Et Deo gloria in aeternum.

*) Ex Vanslebio patriarcha benedictionem impertitur.

**) Episcopi os ejus, presbyteri manum, diaconi cum reliqua plebe pedes deosculantur. Patriarcha omnibus dat benedictionem. Ita Vanslebius, qui haec, quae in domo patriarchae fiunt, adhuc in Cairo locum habere testatur.

***) Ex Vanslebio id recenti velo tegebat, cum haec adhuc fierent. De S. Marci capite quod apud familiam Elsokari asservatur, vide Renaudotium in Diss. de patriarcha Alexandrino Lit. T. I. p. 399. n. 82.

Tunc ordinatus osculatur altare, episcopum et omnes assistentes. Episcopus signum crucis super ipsum facit, dicens: Honor et gloria, gloria et honor sit adorandae Trinitati, pax et prosperitas Ecclesiae Dei, Amen.

Cum ordinatur primus cantor, episcopus hanc tantum orationem super eum legit: O Domine omnipotens, qui es in coelis et animas puras in omnes creaturas tuas infundis, fac modo miraculum in famulo tuo NN., ut fiat unus ex magnis psaltis tuis, sicut erat David; serva ipsi vitam absque macula usque in finem, comple ipsius promotionem; da ipsi diligentiam sine acedia, ut non taedeat ipsum laudes tuas cantare, et puritatem in cunctis operibus suis bonis, quae nunquam vincatur ab inimico, Nutri animam ejus doctrina et laudibus coelestibus et delectabilibus, conforta eum, ut omni tempore tuam sanctam voluntatem peragere valeat; fac ipsum gratiam invenire coram Filio tuo Domino nostro, per quem tribuatur tibi omnis honor, et Sancto Spiritui, qui tibi est aequalis, ex hac hora et per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ritus translationis antiquior.

(Ex Vanslebio Hist. Part. 4. sect. 2. c. 7.)

Antiquitus mos erat ecclesiae Copticae, eum, qui munus in altera quam propria ecclesia assumebat, novo ritu ad hoc instituere. Patriarcha primo legebat orationem absolutionis super ipsum, manum capiti ejus imponebat, tunc alteram orationem recitabat, ter in vultum ejus insufflabat, sicque peragebatur ritus. Verum iste mos modo non amplius viget.

Ordinationes ecclesiae Antiochenae et hierosolymitanae Syrorum.

Ordinationes Jacobitarum Syrorum.

(Primus Jacobitarum ordinationes edidit Joannes Morinus in operis sui de Sacris ordinationibus Parte II. syriace et latine. Usus est brevi quodam compendio ritus integri, quod olim ad Congregationem de Propaganda Fide ex Oriente missum fuerat; tum duplici codice Syriaco, ex Goa Indiarum metropoli per Ulyssiponem in Galliam delato. Tres illi codices in omnibus, quae communia habebant, quoad verba prope omnia plane consonabant, ita ut unum ex altero supplere licuerit. Jacobitarum autem ritus repraesentare, licet, cum ex Goa advenerint, Malabarum Nestorianorum potius esse videantur, facile fuit Morino demonstrare. Nam ecclesiae illae, ad quas pertinebant, Antiochenae subjectae dicuntur et in ordinatione presbyteri Tagarit sive Takrit, quae est sedes Maphriani sive Catholici Orientis Jacobitici, unde facilius etiam intelligitur, quomodo codex in partes illas devenire potuerit. Beata Virgo Dei Genitricis titulo insignitur. In exhortatione quadam de Incarnatione Verbi dicitur: „Ex utero unitus est ei personaliter et naturaliter et ex eo tempore Deus incarnatus est, et una natura est in eo, ut etiam una persona, non autem duae naturae aut in duabus naturis.“ Porro doctrinam apostolicam et orthodoxam esse praedicant, quam docuerunt: „Dioscorus ipse confessor et Severus os omnium doctorum.“ Qui loci etiam in altera exhortatione codicis Florentini, absque dubio Jacobitici, sunt. Verum dolendum est, ordinationes Jacobiticas a Morino nonnisi quoad ordines diaconatus, presbyteratus et episcopatus, (quam pro metropolitis et patriarchis etiam valere testatur) fuisse editas, neque hos integros, sed mutilos ita, ut orationes ipsae, quae formam ordinum continent, desint, cum et ipsius codices neque ipsi integri fuerint, et ipse orationes, hymnos et lectiones se omisisse fateatur. Porro Renaudotius ex codice Florentino bibliothecae Magni Ducis antiquissimo, figuris rudibus ornato, ordinationes Syrorum Jacobitarum transtulerat, in opere suo de ordinationibus edendas, quarum aliqua in libro Perpétuité de la foi etc. l. 5. c. 7. sqq. tradidit. Qui utinam laborem istum totum perfecisset. Assemanus senior in notis ad ordinationes Nestorianorum, quae in Bibliothecae Orientalis T. III. P. II. habentur, integram collationem illas inter et Jacobitarum Maro-

nitarumque, quas probe distinguit, instituit. Nos igitur textum Morinianum primo edimus iis additis, quae Assemanus aliique fontes suppeditant, deinde translationem Renaudotii ex ejus manuscripto opere de ordinationibus subjungimus.)

1. Ordinationes Jacobitarum Syrorum ex Morino, Assemano et Barhebraeo.

Ordinatio cantoris.

Tonsura, quae apud Maronitas praemittitur cantoratus collationi, non fit apud Syros Jacobitas, uti testatur Assemanus *). In compendio a Morino edito in diaconum ordinandi caput in crucis modum tonderi praecipitur. Verum id in aliis exemplaribus abesse testantur Assemanus, uti supra, et Renaudotius **). Forsan igitur id in compendio illo ad initium ordinationis diaconi, omissis inferioribus ordinibus, recidit. Ordinatur cantor apud Jacobitas sicut apud Maronitas extra cancellos, cum in Pontificali Syriaco de cantore dicatur: Stet ad portam altaris ***). Apud Syros, tum Maronitas, tum Jacobitas, cum nisi peracta liturgia ordines non conferantur, in eorum Pontificali initio ordinationis cantoris, lectoris, hypodiaconi, diaconi, presbyteri praescribitur, ut electus stet ad portam altaris sive sub gradu coram altari, juxta uniuscujusque ordinem, usque dum perficiatur oblatio. Admittitur tamen cantor ad osculum altaris et post ordinationem sacramenta ex altari percipit. Traditur ei liber psalmorum gestandus.

Cum Jacobitae ad munus oeconomi etiam laicos assumant, in eorum Pontificali praescribitur, ut ejusmodi iisdem, quibus cantores, ritibus assumantur, paucis exceptis: „Quando necessitas postulat, et vir saecularis eligitur, ut oeconomus ecclesiae fiat: hoc idem officium convenit, ut super eum episcopus faciat, tradendo ei potestatem ingrediendi ad altare. Et omnes quidem super eum orationes recitabit, praeterquam quod nec ei liber psalmorum gestandus traditur, neque is ad osculum altaris admittitur, aut sacramenta ex altari percipit ****)“.

Ordinatio lectoris.

Lector ordinatur intra cancellos: in Pontificali enim Syriaco de lectore dicitur: ingreditur portam altaris †). Forma lectoratus continetur eadem oratione, teste Assemano, qua apud Maronitas, quam episcopus manu utraque tempora ordinandi apprehendens recitat: „Deus magne, hominumque amator, cujus manu creaturae omnes continentur . . . Re-

*) Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 795.

**) Perpétuité l. 5. c. 6. col. 939. sqq. c. 7. col. 946.

***) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 796.

****) Ibid. p. 846. et Tom. II. Diss. de Monophysitis n. X., ex Cod. Ecchellensi 4. p. 113, qui continet Pontificale Michaelis patriarchae.

†) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 796.

spice hunc famulum tuum, qui a nobis praesentatur, ut sit praeco sanctorum verborum tuorum Veteris et Novi Testamenti.*) In Pontificali Jacobitarum orarii usus nequaquam lectoribus conceditur, uti a Maronitis fit, qui praeter phaenolaum seu tunicam etiam oraria sive stolas lectoribus tradunt, ex humero pendulas gestandas**).

Ordinatio subdiaconi.

(Habetur apud J. S. Assemanum Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 803., distincta ab ordine Maronitico.)

Primum ordinandus legit ex Isaia propheta: Haec dicit Dominus, qui fecit te etc. *Episcopus orat secreto:* Domine Deus virtutum etc. *et attollit vocem:* Et suscipe hunc famulum tuum etc. *Populus:* Amen. *Episcopus:* Pax vobis omnibus. *Populus:* Et cum spiritu tuo. *Archidiaconus:* Gratia Domini nostri Jesu Christi etc. *Episcopus:* Ita, Domine, dignum fac eum etc. *Populus:* Amen. *Episcopus manum utramque temporibus ejus imponit dicens:* Deus aeterne, qui reges unxisti etc.***) *Dat pacem populo et orat:* Respice in nos et ministerium nostrum, Domine etc. *Pollice signat eum in fronte tribus vicibus dicens:* Ordinatus est in sancta Dei ecclesia N. hypodiaconus etc. *Deinde orat pro gratiarum actione:* Agimus tibi gratias etc. *Imponit humero ejus sinistro orarium, dicens:* Ad gloriam et honorem sanctae Trinitatis etc. *Dat ei cereum accensum dicens una cum ipso:* Ego sicut oliva etc. *Ordinatus osculatur altare manumque episcopi, et ab adstantibus salutatur, demum sacra communione reficitur.*

Ordinatio diaconi.

(Gregorius Barhebraeus, cap. 7. sect. 6. p. 50.)

Chirotonia diaconorum eadem est ac illa presbyterorum, excepto quod diaconus non presbyter proclamatur et super unum genu procumbit, et orarium ac thuribulum circumferuntur atque traduntur ei.

Textus Morini.

Cum virtute Trinitatis sanctae et consubstantialis incipimus scribere ordinem chirotoniae diaconorum.

Diaconus cum ordinatur, stat ante altare subter gradus, caput habens apertum et inclinatus, donec perficiatur oblatio. Tunc episcopus tondet caput ejus in formam crucis traditque eum ipsius institutori et magistro; illique dat praeceptum de perfectione doctrinae, in qua est instituendus, atque etiam eum admonet de obedientia, quam institutori ut domino suo praestare debet. Statim postea apprehendit eum episcopus per manum dexteram et dicit: Spiritus Sanctus te vocat. *Introducitque*

---

*) Ibid. p. 800.

**) Ibid. p. 796.

***) Haec oratio forma est et eadem, teste Assemano, (Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 804.) ac apud Maronitas.

eum ad altare et procidit super unum genu, quod est dexterum. Procidit autem super solum genu dexterum, quia diaconi, ut notum est, purificant tantum. Oratio principii: Dignare nos Christe et reliqua *). *Primus diaconorum hoc praeconium praedicat:* Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore supplet defectus nostros secundum Dei Patris voluntatem, in virtute Spiritus Sancti, iis, qui hic offeruntur, et cum timore et tremore veraque fide colla sua coram altari sancto incurvant, et rogant, ut mentes suae et cogitationes aspiciant ad te, qui habitas in excelsis, et expectant donum tuum coeleste: ipsa est, quae vocat et offert ex ordine fratrum ad ordinem diaconorum N. diaconum ad altare sanctum et divinum domus Dei genitricis Mariae, et duodecim Apostolorum sanctorum, et quadraginta martyrum victoriosorum, et Patris nostri Domini Matthaei, et Domini Zachaei, et Domini Abrahae, qui est in monte Alphap, victoriosi quoque et martyrum coronae Domini Bohenam, necnon sancti Domini N. loci N. qui est sub potestate throni apostolici Antiochiae Christum amantis et a Christo amatae. Cum periculo suo eum offerunt. Precemur igitur omnes, ut veniat descendatque super eos gratia et illapsus Spiritus Sancti ex nunc, et usque in saeculum. Ter ideo clamemus: Kyrie eleison.

Episcopus ponit manus suas super mysteria et extendit brachium suum, et colligit contrahitque tribus vicibus super corpus et sanguinem, accipiens de calice in pugillum suum **), *cum mysteria colligunt et co-*

---

*) Huc referenda est pars illa, quam refert Assemanus in Cod. liturg. eccl. universae Tom. X. p. XXXII. ut responsorium, quod dicatur apud Jacobitas ad psalmum Miserere in ordinatione diaconorum, sacerdotum et episcoporum: „Spiritus, qui Apostolos linguis igneis erudivit. . . . Stupent ignei, dum findit coelum Spiritus Deus . . . . . et descendit ut concedat donum per manus sacerdotum . . . . . et concedat donum capiti sacerdotum in specie chrismatis." Huc pertinet etiam locus, quem Morinus refert in adnotatione 35. ex codice suo Goano altero, et est pars versus, quae iisdem verbis in eodem codice iterum legitur in ordinatione presbyteri: „Inclinavit se Excelsus super montem Sinai et descendit manus ejus super Moysem, et Moyses posuit eam super Aaron, deducta est usque ad Joannem. Laudate eum in voce tubae, laudate eum in citharis et lyris. Spiritus, qui locutus est per prophetas, venit, qui et illapsus est in Apostolos, ille veniat, habitet et illabatur in servos tuos, eosque sanctificet. Laudate eum in tympanis ac sistris. Laudate eum in chordis suavibus. Spiritus, qui volavit in similitudinem columbae et super caput Filii incubuit, ipse veniat, inhabitet et permaneat super servos tuos eosque sanctificet."

**) Nota, quae de hac Morini versione animadvertit Renaudotius (Perpétuité l. 5. c. 7. col. 945 sq., 962): verba, quae apud Morinum habentur in versione ordinationum apud Jacobitas: „Episcopus ponit manus suas super mysteria et extendit brachia sua contrahitque tribus vicibus accipiens de calice in pugillum suum, cum mysteria colligunt et cooperiunt peplo seu linteo sacro" haec verba intelligi vix queunt, sensumque prae se ferre videntur, qui contrarius est disciplinae Orientis. Observantiae enim, quae erga sacra mysteria apud ipsos obtinet, repugnat, ut admittatur, eos aliquid de calice in manus episcopi fundere. Quod igitur clarius in codice

operiunt peplo, seu linteo sacro. Postea revertitur ad eum, qui ordinandus est, imponitque manus suas super illius caput, easque illi admetitur, iterumque attollit manus suas, extendens brachia sua desuper, et ea deprimit tremula super caput ejus, hocque tribus vicibus facit episcopus, oculis ipsius in altum cum timore aspicientibus. Postea imponit dexteram suam super ejus caput et tegit phaina manus et caput illius, qui ordinatur. Dextera illius posita erit super hujus caput et sinistra hinc et hinc commovebitur, circumducetque episcopus sinistram suam tribus vicibus super cervicem suam et faciem. Sic faciet super unumquemque eorum.

[Orationem, quam ad hanc manus impositionem episcopus secreto recitat, quaeque pro forma diaconatus habenda est, ex Pontificali Jacobitarum tradidit J. S. Assemanus in Bibliotheca Orientali*), quam ex ejus versione integram hic inserimus, licet a Maronitica non differat. Est autem haec. Deus, qui Ecclesiam tuam aedificas eamque fundas, qui illam auges, quaeque ei deficiunt per sanctos tuos supples, qui in omnibus generationibus ad ejus regimem ordinati sunt. Tu, Domine, nunc respice in famulum tuum et mitte super eum gratiam Sancti tui Spiritus, et reple eum fide, charitate, virtute et sanctitate, et quemadmodum dedisti gratiam Stephano, quem primum vocasti ad opus ministerii hujus, ita et concede, ut super hunc servum tuum adveniat auxilium de coelo: non enim in impositione manuum nostrarum peccatricum, sed in visitatione copiosae misericordiae tuae datur gratia iis, qui ea digni sunt. Quamobrem rogamus et precamur te, libera nos a participatione peccatorum alienorum, quoniam tu es, qui retribuis unicuique secundum opera ejus: concede nobis, Domine, ne quid ex affectu aut inclinatione faciamus, sed tribue nobis scientiam, ut dignos eligamus et ad altare tuum sanctum admoveamus, ut sine reprehensione ministerio tuo fungantur in profectum et incrementum populi tui, neve sint in offendiculum Ecclesiae tuae: ita ut et illi ab aeterna damnatione liberentur, et nos tremendam eorum retributionem effugiamus, qui in altaria tua peccant. *Et conversus ad altare vocem attollit:* ut cum puritate cordis, coram sancto altari tuo stantes, misericordiam consequamur una cum hoc famulo tuo in die justae retributionis tuae, quoniam Deus misericors et propitius es, tibique convenit gloria, honor et potestas, et Filio et Spiritui Sancto, nunc etc.

Aliae autem orationes quinque, quae ab episcopis Maroniticis adduntur, manu itidem super caput ordinati imposita, apud reliquos Syros

---

Florentino exprimitur, estque praxis in ordinationibus id est, ut episcopus manus super discum sive patenam et super calicem, magno velo coopertos, extendat, quod tunc manus claudat, quasi pugillum alicujus rei sumeret, ut indicet, sanctificari hoc modo sacris mysteriis appositas. In ordinationibus Maronitarum haec rubrica ita sonat: „Et complanat manus suas easque ponit super mysteria, tum expandit brachia sua et conjungit tribus vicibus super corpus et sanguinem et volas suas extensas super calicem tollit.“ Nos supra ostendimus, non tam aperte repugnare antiquitati, si verba de contactu intelligantur.

*) Bibl. Orient. T. III. P. II. 810 sq.

non exstant*), nimirum: 1. Sanctus, Domine Deus, es. 2. Sanctus et gloriosus es. 3. Domine Deus omnipotens. 4. Domine Deus universorum. 5. Christe Deus Verbum.]

Cum autem movet ordinans, flabella cum eo commoveant diaconi. Dum autem repetit orationem inflexionis, dicant quod est dicendum. Veniat Spiritus Sanctus et habitet super unumquemque eorum secundum promissionem tuam, Redemptor noster. Ne prives eos, Domine, dono Spiritus Sancti. Hoc a te petimus acceptator precum, videlicet Spiritum illum Paraclitum: et propterea clamamus: Sanctus es, Spiritus ille Paraclitus; Sanctus es, Spiritus ille, qui vitam fecit; Sanctus es, Spiritus ille, qui datus est nobis. O donum Spiritus Sancti! o mysterium magnum et ineffabile! o mirabilia tua, Domine, erga genus nostrum! Domine omnium, Laus tibi! Et reliqua. *Postea revertitur episcopus ad occidentem, ad eum, qui ordinatur, dexteramque suam imponit super caput ejus, et eum signat inter oculos sic dicens:* Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Archidiaconus vero dicit:* N. diaconus ad altare sanctum domus Genitricis Dei et sanctorum Apostolorum et quadraginta victoriosorum martyrum et sancti Domini N. loci N. *Episcopus addit, cum dicit N.:* diacoconus ad altare sanctum loci orthodoxi, qui prius nominatus est. *Diaconus:* Benedic, Domine. *Episcopus:* In nomine Patris, Amen, et in nomine Filii, Amen, et in nomine Spiritus Sancti in vitam saeculi saeculorum. Amen. *Tunc revertitur episcopus ad eum, qui ordinatur, et eum apprehendit per manum dexteram et erigit, accipitque orarium et circumfert super caput dicens:* In laudem, et honorem, et decorem, et celsitudinem sanctae Trinitatis et consubstantialis, atque ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. *Et respondent ei clerici eadem sententia. Postea deprimit orarium, illudque ponit super humerum ejus sinistrum, eique tradit flabellum et unusquisque recitat responsum:* In laudem et reliqua. *Iterum accipit episcopus thuribulum, et adoramenta in eo ponit, eique tradit, et circumit populum* **) *et unusquisque idem responsum recitat. Si autem multi fuerint, omnes ita consecrat. Tunc incipiunt canticum et ei pacem tradunt, ipse vero mysteriorum communionem.*

Ordinatio archidiaconi.

De hac tradit Assemanus senior***): Syri Jacobitae in ordinatione archidiaconi eodem ritu ac Maronitae utuntur, excepta traditione evangelii et oratione illa, cujus initium: „Deus sanctissime“ et veli ad pectus

---

*) Cf. Jacobum Edessenum de antiqua Syrorum liturgia ap. Asseman. Bibl. Orient. T. I. p. 479—486: „Etiam in consecratione chrismatis tres olim duntaxat orationes recitabantur, sed et orationes chirotoniae pro singulis ordinibus una tantum, et dicebantur super ordinandum in impositione manus, et in silentio hoc est in inclinatione. Quas postea ampliarunt doctores.“

**) Teste etiam Assemano juniore in notis ad ordinationem diaconi Nestorianam Jacobitae diacono flabellum tantum et thuribulum tradunt.

***) Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 844.

electi impositione. Barhebraeus autem *) haec de eadem animadvertit: „Archidiaconus vero non promovetur per impositionem manus, sed solummodo per systaticon."

Ordinatio diaconissae.

Michael Jacobitarum patriarcha, qui anno Christi 1199 obiit, in Pontificali a se edito, in quo diaconissas in ecclesia desiisse testatur, episcopis tamen potestatem facit, eas propter urgentem necessitatem ordinandi **). Quoad ritum ordinationis notandum est, eum a ritu benedictionis abbatissae non differre ***). Etenim uti testatur Severus in canone a Barhebraeo ****) relato: „Mos in Oriente, seu ditione Antiochena, obtinet, ut abbatissae monialium diaconissae sint, ac subjectis monialibus sacramenta distribuant, idque presbytero casto aut diacono absentibus duntaxat, minime vero iis praesentibus." Recitatur autem in hac benedictione eadem oratio, quae dicitur in oratione chorepiscopi et periodeutae. Deus, largitor bonorum, paucis immutatis, quae abatissae non conveniunt †). Altera incipit: Da ei, Domine. Neutra aliquid continet, quod ad officium diaconissae adhuc referatur. Quibus ea addimus, quae ut canon Severi a Barhebraeo ††) traduntur: „Chirotonia diaconissae fiat secundum regionis consuetudinem. Porro in Oriente notum est, quod humero ejus orarium imponitur instar diaconi. Ad cujus titulum ordinata est, in eo sanctuario duntaxat ministrat." Ex eodem †††) autem ordinantur in porta, non intra altare, ut subdiaconi.

Ordinatio presbyteri.

Gregorius Barhebraeus in Nomocanone.

(Cap. 7. sect. 5. Directio. p. 48.)

„Diaconus primum ordinetur ille, qui offertur, et deinde presbyter. Hic autem post circumgestationem mysteriorum coram altari procumbit in genua sua, habens supra se orarium. Et post psalmum et lectiones oret episcopus inclinationem; et extollat vocem suam — Et suscipe presbyterum. Et cum dat pacem, praedicet archidiaconus praeconium — Gratia. Deinde inclinatio, et alia: postea manus suas circum mysteria ter ferat, et super caput ejus rursus ter, et ponat dexteram suam et oret invocationem Spiritus Sancti. Deinde ponat dexteram suam rursus super caput ejus, ac dicat: Promotus est in ecclesia sancta. Et respondeat archidiaconus: Talis presbyter ecclesiae tali. Deinde signet eum in fronte pollice suo in nomine Trinitatis: et oret inclinationem, et aliam

*) Cap. 7. sect. 4. p. 50.

**) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 851., Tom. II. p. 369.

***) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 790.

****) Cap. 7. sect. 7. p. 51.

†) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 832 sq. p. 917.

††) L. c.

†††) Cap. 7. sect. 8. p. 53.

susceptionis gratiae. Deinde circumferat orarium et demittat in collum ejus ceu torquem, similiter et casulam, ac phainam, et det ei pacem, atque illum communicet.

Textus Morini.

Iterum cum Deo, omnium Domino, incipimus scribere ordinem chirotoniae presbyterorum.

Presbyter quando ordinatur, stat coram altari subter gradus ipsius, caput habens apertum et inclinatum, donec perficiatur oblatio. Tunc episcopus tondet in formam crucis capillos ejus, qui ordinatur) traditque eum institutori suo et praeceptum dat illi de perfectione doctrinae suae et ordinis sui, atque etiam eum admonet, ut institutori obediat ut domino suo. Statim postea apprehendit episcopus manum ejus dexteram dicitque:* Spiritus Sanctus vocat te, *eumque introducit ad altare et procumbere facit super duo illius genua coram altari, manus habentem junctas ante se et orarium diaconatus super se. Procumbit autem super ambo genua sua, eo quod presbyteri sunt veluti purificantes et illuminantes.* Oratio principii et reliqua. *Archidiaconus hoc praeconium proclamat:* Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore perficit defectus nostros secundum voluntatem Dei Patris, in virtute Spiritus Sancti, adsit iis, qui hic offeruntur, et cum timore et tremore fideque vera colla sua coram altari sancto incurvant, rogantque, ut mens sua et cogitationes ad te intente aspiciant, qui habitas in excelsis, et expectant donum tuum coeleste. Ipsa est, quae vocat et offert ex ordine diaconorum ad ordinem presbyteratus N. presbyterum ad altare sanctum et divinum domus Genitricis Dei Mariae et duodecim sanctorum Apostolorum, et quadraginta martyrum victoria inclytorum, et Patris nostri Domini Matthaei, et Domini Zachaei, et Domini Abraham, qui est in monte Alphap, et victoriosi martyrumque coronae Domini Bohenam, necnon Sancti Domini N. loci N., qui est sub potestate throni apostolici Thagarith**), amantis Christum et a Christo amatae. Cum periculo suo eos offerunt. Precemur igitur omnes, ut descendat super eos gratia et illapsus Spiritus Sancti ex nunc et usque in saeculum. Ter ideo clamamus: Kyrie eleison. Et reliqua.

Episcopus ponit manus suas super mysteria, et extendit brachia sua colligitque et contrahit ex tribus vicibus super corpus et sanguinem, accipiens ex calice in pugillum suum, dum colligunt ea et cooperiunt peplo seu linteo sacro. Postea revertitur ad eum, qui est ordinandus, et imponit manus suas super caput ejus easque illi admetitur; iterumque attollit manus, porrigens brachia sua in altum, easque deprimit tremulas super caput ejus, hocque tribus vicibus facit episcopus ipse, oculis ipsius

---

*) De hac tonsura vide, quae in dissertatione nostra et ad ordinationem diaconi dicta sunt. Scinditur tonsura presbyterandis apud Graecos et Maronitas (Bibl. Or. T. III. P. II. p. 816).

**) Haec non est Antiochia, ut putabat Morinus, sed sedes Maphriani sive Catholici Orientis, ut jam notavit Renaudotius in opere MS. de ordinationibus p. 42. cf. Lit. T. II. p. 271. n. 266.

desuper cum timore aspicientibus. Post haec ponit dexteram suam super illius caput, et tegit manus et caput illius, qui ordinatur, cum phaina. Dextera illius ponetur super ejus caput et sinistra hinc et hinc movebitur, circumferetque sinistram suam tribus vicibus super cervicem ipsius et faciem: sicque faciet super unumquemque eorum *).

Cum autem commovet, flabella cum eo commovent diaconi. Dum vero repetit orationem inflexionis seu secretam, dicunt quod dici solet, Invocatio Spiritus Sancti et reliqua. Postea revertitur episcopus ad occidentem, ad eum, qui ordinatur, imponitque dexteram suam super caput ejus et eum signat inter oculos, sic dicens: Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Archidiaconus dicit:* N. presbyter ad altare sanctum domus Genitricis Dei et duodecim Apostolorum sanctorum, et quadraginta martyrum victoriosorum, et sancti Domini N. loci N. *Episcopus addit, cum dicitur:* N. presbyter ad altare sanctum loci orthodoxi, qui prius nominatus est. *Diaconus:* Benedic, Domine. *Episcopus:* In nomine Patris, Amen. In nomine Filii, Amen. In nomine Spiritus vivi et Sancti, in vitam saeculi saeculorum, Amen. *Cum autem confecerit tria crucis signa, tunc, qui consecratur sacerdos, sive unicus fuerit, sive plures, redit ad altare, hanc mystice dicens orationem.* Suscepimus gratiam tuam, Domine noster omnipotens, et reliqua.

Post haec redit episcopus ad eum, qui ordinatur, eumque apprehendit per manum suam dexteram et erigit. Archidiaconus autem dicit: Benedic, Domine. *Episcopus accipit orarium, quod super ipsum positum est, et traducit illud super humerum ejus dexterum a parte anteriori dicens:* Ad laudem, et honorem, et decorem, et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis, et ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. *Respondent clerici eodem modo:* Ad laudem et reliqua. *Et cum pompa defert casulam et tunicam et zanadas et cingulum dicitque:* Ad laudem et reliqua **). *Deinde tradit ei thuribulum et praecipit, ut imponat odoramenta* ***) *diciturque ordo communis et ei adjungitur:* Ad laudem. *Respondent consimiliter. Apprehendit autem episcopus manu eum, qui ordinatus est et adducit, ut osculetur mensam vitae, eaque salutata manum episcopi deosculatur, qui ipse pacem illi donat jubetque, ut caeteri omnes illi quoque pacem donent. Et statim obsignat episcopus consummationem corporis sancti cum populo, eumque communicat et*

*) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 818. testatur Assemanus, orationem, quae ad hanc manus impositionem dicitur et forma est, eandem esse ac apud Maronitas: Deus magne et admirabilis. Quatuor autem alias quae sequuntur apud Maronitas, apud Jacobitas non usuvenire.

**) In Pontificali descripto ex autographo Michaelis patriarchae, postquam orarium ex posteriore ad anteriorem partem reductum est, induitur ordinatus presbyter primum pallio seu casula, loco tunicae sive sticharii Graecorum, deinde Phaino h. e. penula, quae est Phenolium, apertum tamen ex parte anteriori ad instar pluvialis Latinorum. (Bibl. Or. T. III. P. II. p. 819.)

***) Quod apud Nestorianos ordinato presbytero liber evangelii traditur, apud Maronitas circumferendus datur, id non occurrere apud Jacobitas Syros, ait Assemanus Bibl. Or. T. III. P. II. p. 820.

praecipit, ut ipse congregationem communicet. Cruce autem signabit et finiet episcopus, legens super eos admonitionem consuetam dum sese salutant.

Ordinatio chorepiscopi et periodeutae.

Licet apud Jacobitas distinguantur chorepiscopi et periodeutae, una tamen eorum est ordinatio*). Orationes autem duae, quae a Jacobitis dicuntur in ordinatione chorepiscopi et periodeutae, ex Assemano sunt eaedem cum exigua differentia, quae habentur apud Maronitas in ordinatione chorepiscopi, qui cum episcopo est. Sunt autem hujusmodi**): Deus largitor bonorum munerum, qui omnia hominum opera intelligis, cunctasque eorum vias respicis, qui providentia tua eos, qui tui indigent comprehendis: adjuva, quaesumus, hunc famulum tuum et da ei gratiam, diligentiam, vigilantiam, prudentiam, virtutem, viresque, ut tibi in hoc sibi commisso ministerio placeat: dignumque effice, ut pure et sine labe in illo se gerat, ut dirigat in via recta, justum judicium proferat, et ab iis, qui sibi subjecti sunt, amputet omnem rationi prudentiaeque et orthodoxae fidei adversantem impetum, ita, ut haec omnia faciens ad gloriam tuam Deus Pater, et ad aedificationem Ecclesiae tuae, et ad incrementum populi tui, inveniat gratiam et misericordiam coram te et haeres fiat sortis oeconomorum fidelium et prudentium, per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi convenit gloria et honor ac potestas cum Spiritu Sancto nunc etc.

Det tibi Dominus, ut sis in bonam aedificationem et incrementum profectumque fratrum, et largiatur tibi intellectum, ut errantes reprehendas, arguas et increpes cum fiducia et suavitate, hominesque cum charitate excipias***), sintque opera tua cum modestia et castimonia, ut haec omnia ad gloriam Dei fratrumque in timore Dei profectum faciens invenias gratiam et misericordiam haeresque fias sortis oeconomorum fidelium et prudentium, qui in justitia et sanctitate ministrant, per miserationes ejusdem Domini Dei etc.

Ordinatio episcopi.

(Textus Morini.)

Ordo chirotoniae episcoporum, metropolitarum et patriarchae.

Postquam circumtulerunt mysteria divina, dat patriarcha cidarim uni ex episcopis, et ponit eam super caput ordinandi, eumque assumunt duo episcopi, unus per dexteram, alter per sinistram, et adducunt eum coram patriarcha. Jubet autem patriarcha eum, qui ordinandus est, genua ponere; deinde dicit orationem. Postea sedent patriarcha, episcopi et omnis clerus. Tunc dat patriarcha confessionem ordinando, qui surgens de meridie tendensque versus aquilonem eam legit et testimonium

---

***) Bibl. Or. Tom. II. Diss. de Monophysitis n. X. Tom. III. P. II. p. 790, 829 sqq.**

****) Bibl. Orient. Tomo III. P. II. p. 832 sq.**

*****) Addunt Maronitae: et signes eos cruce et puro chrismate.**

perhibet de illo. Et postquam legit, tradit eam patriarchae coram universa congregatione et ambo genua flectit coram altari sancto, existente tunc super ipsum vestis et ornatus sacerdotalis ordine. Surgit tum patriarcha et incipit orationem. Et dicit patriarcha: Pax vobis. *Populus:* Et cum spiritu tuo. Pater noster. *Et unus ex episcopis alta voce pronuntiat praeconium hoc:* Gratia divina, quae infirma sanat et deficientia complet et ecclesiarum curam gerit, vocat et promovet hunc N. amantem Dei presbyterum, qui est hic proximus, ad episcopatum aut metropolitatum urbis N., quae est sub potestate apostolica et divina Antiochiae urbis benedictae, amantis Christum et a Christo amatae, et metropolis Orientis totius orthodoxi. Precemur igitur omnes, ut veniat super eum gratia et habitatio Spiritus Sancti. *Et clamat ter populus:* Kyrie eleison.

Deinde sumit patriarcha dona ex corpore et sanguine, cum sunt utraque in invicem conjuncta).*

*Postea revertitur ad eum, qui ordinatur. Tum evangelium super caput ejus apertum tenent episcopi quotquot sunt. Patriarcha autem ponit manus suas super caput ejus subter evangelium, eas autem movet, dum episcopi attollunt evangelium desuper manus patriarchae et deprimunt illud, quoties movet; oculi ejus interim cum timore suspiciunt in altum. Ter sic facit. Post tertiam autem motionem imponit patriarcha dexteram suam super caput illius, qui ordinatur, sinistram mutans in modum orbis seu circuli super caput illius, qui ordinatur. Interea cum quiete et silentio tenent episcopi evangelium super caput illius et precatur**).*

Tunc apprehendit patriarcha eum, qui ordinatur, per manum dexteram eumque erigit, et vestit tunica et phaino albo, ponitque cidarim seu mitram super caput ejus. Insuper patriarcha illum in throno collocat, et circumferunt eum tribus vicibus, et unaquaque vice patriarcha exclamat: Dignus. *Tunc revertitur patriarcha ad eum, qui ordinatur, et apprehensa ejus dextera deducit e throno. Deinde ipse patriarcha pastorale pedum dextera in ejus summitate apprehendit, et unusquisque ex episcopis illud assumit juxta ordinem suum. Et ille, qui ordinatus est, illud apprehendit subter manus episcoporum, et precatur. Post orationem exclamat patriarcha, suavi cantu sic dicens:* Virgam fortitudinis misit***) tibi Dominus ex Sion, et dominabitur inimicis tuis****). *Et hoc similiter dicitur ab episcopis et a clero et a patriarcha tribus vicibus. Postea dat patriarcha baculum ei, qui est ordinatus, et egreditur ad portam altaris*

*) Hic dicitur oratio: Etiam, Domine Deus, dignum hunc servum tuum effice, quam communem Maronitis et Jacobitis testatur Assemanus Bibl. Or. T. III. P. II. p. 695.

**) Bibl. Or. T. III. P. II. p. 695. testatur Assemanus, in formam easdem duas adhiberi orationes, quae apud Maronitas sunt, nempe: Deus, qui universam Ecclesiam tuam etc., et: Deus deorum et Dominus dominantium, etc.

***) In ordinatione Maronitica: emittet.

****) Dominaberis.

et signat populum cum isto baculo tribus vicibus in figuram crucis: quo facto reddit baculum patriarchae.

Finis cum auxilio Domini nostri.

Ordinatio metropolitae et patriarchae.

Eandem esse apud Syros Jacobitas episcopi, metropolitae, Maphriani sive catholici, et patriarchae ordinationem, testantur titulus ordinationis episcopalis apud Morinum: Ordo chirotoniae episcoporum, metropolitarum et patriarchae, Gregorius Barhebraeus in descriptione ordinationis metropolitae, catholici et patriarchae mox afferenda, Renaudotius*) et Assemanus in Bibliotheca Orientali**). Ponitur tantum in ordinatione metropolitae et catholici titulus ejusmodi loco episcopi. In patriarchae ordinatione pauca immutantur vel adjunguntur.

Sunt autem haec ex Assemano***), ad quem remittimus quoad ea, quae ad electionem patriarchae Jacobitici pertinent. Olim ad seniorem episcopum patriarchae ordinatio pertinebat, in synodo vero Caphartutae 869. a Johanne patriarcha statutum est, ut Maphrianus electo patriarchae manus imponeret, postquam jam a saeculo VII. mediante Maphriani ordinationem sibi arrogaverant patriarchae eo pacto, ut Maphrianus patriarcham, patriarcha Maphrianum ordinaret. Duodenarius episcoporum numerus ad ordinationem patriarchae commendatur in Pontificali Syrorum Maronitarum Jacobitarumque****). Funguntur autem episcopi presbyterorum assistentium et diaconorum officio, quin tamen vestem diaconalem induant, uti fit apud Nestorianos†). Quae autem in ipso ordinationis patriarchalis ritu propria habentur, ex codice Vaticano Ecchellensi 4., qui Pontificale Michaelis patriarchae continet, ad verbum allegavit Assemanus††): „Consecrationis patriarchae tria sunt propria: primum, quod suffragio, hoc est consensu omnium episcoporum eligitur, et hoc demonstrat, eum esse patrem communem totius ecclesiae et patrem patrum. Secundum invocatio Sancti Spiritus, quae tribuitur Clementi, quam inferius describemus et quae super patriarcham tantummodo ab episcopis consecrantibus recitatur. Tertium hasta, hoc est, baculus, quae tenenda est ab omnibus episcopis simul et a singulis ex ordine juxta antiquitatem suam, et deinde assumitur manus ejus, qui in patriarcham eligitur, et super manus omnium collocatur, et hoc demonstrat, quod ex voluntate et consensu totius ecclesiae, in qua bene complacuit Spiritui S., tradita illi sit potestas singularis supra omnes ordines sanctae ecclesiae Dei“ †††). Porro de professione fidei a patriarcha emittenda: „Post lectionem evangelii sedet praeses synodi in sede sua et episcopi, unusquisque juxta gradum suum. Tunc episcopi adducunt ordinandum ad cornu altaris au-

*) Perpétuité l. 5. c. 10. col. 963.

**) T. II. Diss. de Monophysitis n. X., T. III. P. II. p. 790.

***) Bibl. Orientalis T. II. Diss. de Monophysitis n. VIII.

****) T. III. P. II. p. 679.

†) Ibid. p. 682.

††) Diss. de Monophysitis n. VIII.

†††) Cod. Ecchellen. 4. p. 149.

strale et jubente praeside synodi legit tomum homologiae, quem sua conscripsit manu. Tum tradit scriptum a se tomum praesidi synodi, ut custodiatur" *). Ritus enthronismi in eodem codice**) ita describitur: „Tunc admovent sedem seu thronum, cui eum imponunt versa facie ad occidentem, et apprehendunt thronum episcopi et presbyteri, et elevant illum tribus vicibus, et, praeside synodi unaquaque vice inchoante, excipiunt alii dicentes: ἄξιος, dignus, dignus, et clamat populus totus: dignus, dignus". Denique***) de traditione baculi, quae fit ad patriarcham. „Quum ei baculum pastoralem tradunt, qui potestatis spiritualis signum est, omnes (episcopi) illum tenent unusquisque secundum suam antiquitatem: deinde manum ejus dexteram, qui in patriarcham ordinatur, apprehendunt et elevant illam super omnium manus; ita ut summum baculi verticem is teneat, atque ita perficitur."

Ex codice Florentino testante Renaudotio****) peracta ordinatione omnes episcopi praesentes manus imponunt ei dicentes: „Imponimus manus nostras huic famulo Dei a Spiritu Sancto electo etc." Haec si electus sit presbyter. Sin autem jam sit episcopus, apud Jacobitas non est abusus ille, qui occurrit apud Nestorianos, ut integrum ordinationis episcopalis ritum repetant. Ex Barhebraeo in vita Ignatii Davidis patriarchae recitatur tantum super episcopum in patriarcham evehendum invocatio Sancti Spiritus, quae S. Clementi tribuitur et patriarcharum propria est; traditur baculus pastoralis, ponitur manus ejus super manus omnium, fit enthronismus et processio per ecclesiam ritu patriarchis proprio†).

Gregorius Barhebraeus in Nomocanone.

(Cap. 7. sect. 3. Directio. p. 44.)

Si presbyter fuerit, qui vocatur ad metropolitae, aut catholici, aut patriarchae gradum, tota synodus genuflectat ei, ac dicat: Spiritus Sanctus vocat te ad ministerium sic, et sic. Et ubi processit, ac dixit: consentio, et munus excipio, in genua procumbit, et totum ministerium episcopatus super ipsum perficitur: et in loco episcopi metropolita, aut catholicus, proclamatur. Super patriarcham, praecipue dum attollitur evangelium supra caput ejus, oratio illa, quae in libro quinto Clementis est, dicitur: qui ostendisti Abraham, et illos reliquos patriarchas, fideles tui placatores, Moysen, et Aaron, et Eleazarum et Phinees. Et si episcopus est ille, qui ad honorem metropolitae offertur, per scripta systatica synodi perficitur dumtaxat, et non per secundam impositionem manus.

Et si episcopus ad catholicatum, aut patriarchatum praesentatur, aut catholicus ad patriarchatum, ne procumbat, sed stet coram altari indutus ordine suo postquam per positionem genu a synodo vocatus fuit: et

---

*) Cod. Ecchellen. 4. p. 164.

**) p. 175.

***) p. 150.

****) Perpétuité l. 5. c. 10. col. 963.

†) Bibl. Or. T. II. Diss. de Monophysitis n. VIII. et p. 371.

oret praeses synodi inclinationem τό: Emundationem a pollutione. Et attollat vocem suam. Et suscipe catholicum, aut patriarcham. Deinde praedicet unus episcoporum: Gratia divina. Deinde circumgestent eum super sedem, tribus vicibus dicendo. Axios. Deinde legatur evangelium pastoris boni. Postea oret praeses synodi inclinationem susceptionis gratiae, et convertatur ad occidentem, et apprehendat ipse ac episcopi cum vocato hastam, quisque in suo ordine; et deinde elevent manum ejus supra omnes. Exclamet praeses synodi: Virgam fortitudinis.

2. Ordinationes Syrorum Jacobitarum ex Renaudotii versione codicis Florentini.

Ordinatio lectoris,

qui etiam vocatur anagnostes.

Quando lector ordinatur, stat ille coram altari discoopertus, et inclinato capite. Archidiaconus dat incensum episcopo quater, qui interea dicit orationem incensi secreto; et ea completa dicit.

Rogamus et precamur te Domine Deus, suscipe servum tuum istum in lectorem in Ecclesia tua sancta: instrue illum sapientia mandatorum tuorum: da illi intellectum justificationum tuarum, ut cum timore exhibeat tibi servitutem; praestans illi, ut vas electionis, lectorque honorabilis coram te sit: ut inveniat quoque misericordiam in conspectu tuo, cum omnibus, qui a saeculo placuerunt tibi. *Elevans vocem:* quia tu Deus es misericordiam volens, et benignitate erga homines plenus: teque decet gloria, honor et adoratio ab omnibus, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus. *Populus.* Et cum spiritu tuo.

Episcopus secreto. Deus magne, et donorum dives, qui ordines Ecclesiae tuae concessisti, et gradus ministerii in ea constituisti, effudistique dona tua super servos tuos, sanctifica quoque servum tuum istum, et elige illum in lectorem, et praesta illi ut cum omni sapientia et intelligentia, meditationem et lectionem faciat sermonum divinorum. Imple illum donis tuis, conservatum in moribus inculpatis. *Elevans vocem:* Per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono et vivificante tibique consubstantiali.

Et conversus ad eum episcopus, utraque manu tenens illius tempora, dicit secreto. Deus magne et amator hominum, in cujus manibus omnia comprehenduntur, et cujus nutu omnia continentur: qui omnibus proximus es, quique assistis omnibus, aspice hunc servum tuum, qui a nobis offertur, ut sit praedicator sermonum tuorum sanctorum, Testamenti Veteris et Novi, ut annuntiet populo tuo verba tua sancta et praecepta tua recta, et magna voce proclamet doctrinas tuas divinas et salutares, quas instituisti ad auxilium et salutem animarum nostrarum. *Elevans vocem.* O Deus fac illum sapientem in mandatis tuis, et intelligentem in justificationibus tuis. Illumina oculos mentis ejus, ad illustrationem scientiae mandatorum tuorum; et da illi, ut cum puritate cordis et fide non ficta meditationes et lectiones eorum

faciat, ad aedificationem eorum qui narrant gloriam et laudem regni tui, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc et semper et in saeculum.

Imponit deinde librum super pectus ejus, quem gestat. Et postea dat pacem altari tum episcopo et circumstantibus; daturque ordinato Eucharistia.

Officium ordinationis subdiaconi.

Quando ordinatur subdiaconus, stat infra gradus altaris, capite intecto, et inclinato donec absolvatur liturgia. Ea finita episcopus dexteram ejus tenens jubet illum ad altare ascendere, statuitque illum coram mensa vitae, eo ordine quo prius: tum dicit orationem sequentem.

Confirma Domine Ecclesiam tuam sanctam, super petram immobilem fidei orthodoxae: a te confortetur, et a te suscipiat auxilia perficiendi efficacia, et dona divina, quibus illuminentur filii ejus ad ministerium pure et sancte exercendum in templo tuo sancto: et glorificent te cum ordinibus supernis materiae expertibus, Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum, in saecula. Amen.

Prooemium. Gloria et laus et adoratio etc. illi misericordi, multaeque bonitatis, qui genus humanum ex nihilo ad illud quod est produxit, creavit et ornavit: cumque peccando cecidisset, salvavit et erexit, et ad gradum sublimem et magnum donorum suorum divinorum attollere dignatus est. Te Domine plene misericordia et clementia obsecramus, et deprecamur, hoc tempore cum hoc incenso aromatum, ut per easdem miserationes tuas aeternas digneris suscipere et adjungere ad ministerium templi tui, puri et sancti, servum tuum hunc, coram throno qui in ecclesia sancta tua est, inclinatum, et expectantem donum a te obtinendum, quia te decet gloria, et a te expectat gratiam omnem magnam et perfectionem, teque adoramus et laudamus nunc etc.

Sedra. Glorificat te coelum, in coetibus spiritualibus, qui trinis sanctificationum vocibus benedicunt majestatem tuam ineffabilem. Benedicit te terra per homines qui ex pulvere per praeceptum tuum creati sunt, quosque ad ministerium tuum pure et sancte fungendum assumere dignatus es. Domine, qui perspicis omnia, et potes omnia: qui per Filium tuum dilectum, Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, et per illapsum Spiritus tui Sancti, commendasti dona haec spiritualia ministerii hujus naturae nostrae circumscriptae hominum terrenorum, quando Apostolos sanctos replevisti sanctitate tua incomprehensibili; et per eos claves sacerdotii spirituales, et auctoritatem judicandi nobis commendasti et concessisti: gratias agimus miserationibus tuis, et glorificamus bonitatem tuam, confirmati spe in te magna, et fiduciam in te retinentes, effundimus deprecationem et obsecrationis infirmitatis nostrae, coram majestate tua: precamurque clementiam tuam. Dele peccata nostra per miserationes tuas, et aufer insipientias nostras per gratiam tuam: praesta nobis ut adimpleamus et perficiamus praecepta tua, simulque perfecti in adimplendo justificationes tuas: et sufficientes simus ad ministrandum coram te, non declinando ad passiones nostras, et ad communicanda populo tuo dona tua excelsa et sublimia; tum ad offerendum ad altare tuum sanctum, eos, quos nutus cognitionis divinae tuae designavit et offert, ut ipsa misericordia tua illos roboret atque perficiat mediante infirmitate nostra. Neque quasi digni simus accedimus, sed in clementia

tua munificentissima confortamur. Ea propter servum tuum hunc, qui ad ministerium subdiaconatus vocatus est, dignare suscipere et perficere per illapsum Spiritus tui divini, corpus et animam ejus mundans ab omni macula et sordibus iniquitatis et peccati: sit in templo tuo sancto agnus purus, in quo acquiescat voluntas tua bona et accepta: confortetur per virtutem divinam tuam; et ad dona, quae secundum cognitionem tuam divinam omnibus superiorem conferuntur, perveniat. Nos quoque et ille mereamur ad finem illum, qui sanctis tuis promissus est pervenire, referemusque gloriam et laudem tibi Pater abscondite et incomprehensibilis, et Filio et Spiritui Sancto nunc et semper.

Laudate Dominum in sanctis ejus; laudate eum in fortitudine virtutis ejus. Gloria Patri etc.

Versus. Sancte, qui gloriam majestatis tuae habitare fecisti super montem Sinai, et illum sanctificasti, demitte pacem tuam super servum tuum et sanctificetur. Excelsus descendit super montem Sinai et dimisit manum suam super Moysem, constituitque illum supra Aaron et deducta est usque ad Joannem. Gloria Patri sancto, qui misit Filium suum sanctum, et per Spiritum suum Sanctum largitur sanctitatem sanctis.

Oratio incensi. Petimus a te, Domine plene miserationum, per easdem miserationes tuas paternas. Suscipe benigne incensum istud aromatum, quod offerimus divinitati supremae tuae, in repraesentatione filiorum spiritualium istorum, quos ad ministerium hoc subdiaconatus praeparavit benignitas tua. Praesta illis, ut ministrent in templo sancto tuo servitute casta, laudantes et exultantes te, Christe pontifex vere, Patremque tuum, fontem bonorum omnium, et Spiritum tuum Sanctum, nunc etc.

Tunc episcopus dicit hanc orationem secreto.

Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sorte ministerii hujus: qui cognoscis cogitationes hominum scrutarisque corda et renes: exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et emunda nos ab omni inquinamento carnis: aufer peccata nostra, tanquam nubem et tanquam caliginem iniquitates nostras: reple nos virtute tua, et gratia unigeniti Filii tui: et operatione Spiritus tui Sanctissimi. Da nobis quae necessaria sunt, ut simus ministri Testamenti tui Novi, et possimus, sicut dignum est nomine sancto tuo, stare coram te, administrare, et celebrare mysteria tua divina: neque derelinquas nos, ita ut participes simus peccatorum alienorum, sed propria nostra dele. Da etiam nobis Domine, ut nihil quidquam per errorem committamus, sed concede nobis intelligentiam, ut eos qui digni sunt eligamus, tibique offeramus.

Elevans vocem. Et suscipe subdiaconum istum, et perfice illum servum tuum, qui prope est et expectat donum tuum coeleste: quia tu benignus es, et multae misericordiae, erga omnes qui invocant te, fortisque est potentia tua, et Filii tui unigeniti et Spiritus tui Sanctissimi, nunc et semper etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Archidiaconus alta voce pronuntiat hanc denuntiationem.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae semper supplet defectus nostros, offert ex ordine fratrum ad gradum subdiaconorum N. subdiaconum

(futurum) in ecclesia sancta loci N. sub periculo eorum qui obtulerunt. Oremus nunc omnes, ut veniat super illum gratia Spiritus Sancti, clamemusque et dicamus ter: Kyrie eleison.

Episcopus dicit sequentem orationem secreto. O Domine, qui servum tuum dignatus es vocatione ad subdiaconatum, praesta ut mereatur per benignitatem tuam, sicut dignum est nomine sancto tuo, servire et ministrare in templo gloriae tuae, et inveniat misericordiam coram te. *Elevans vocem.* Quia tu es Deus miserator, et misericors, teque decet honor, gloria et imperium: et Filio et Spiritui Sancto nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus digitos duos pollicibus proximos utriusque manus suae leviter applicat ad oram disci et calicis simul positorum, conversusque ad eum, qui subdiaconus factus est, imponit digitos suos super illius tempora, dicitque hanc orationem invocationis.

Deus, qui es ab aeterno: qui unxisti reges, et sanctificasti prophetas et vocasti justos: tu Domine voca servum tuum hunc vocatione sancta: consigna eum signaculo subdiaconatus: et elige eum in servum bonum Ecclesiae tuae sanctae, largiendo ipsi donum Spiritus tui Sancti. Da ei Domine, ut diligat communionem, et decorem domus tuae: stetque ad ostia templi tui sancti; accendatque lucernam domus orationis tuae; et cum timore, sedulitate et conscientia bona adimpleat ministerium, ad quod vocavisti illum. *Et ad orientem conversus elevansque vocem.* Et planta illum velut olivam fructiferam, quae affert fructus justitiae, per Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo te decet gloria, honor et imperium, et cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, adorando et vivificante, tibique consubstantiali, nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Episcopus dicit orationem sequentem secreto. Aspice nos, Domine, et ministerium nostrum, mundaque nos ab omni macula, dans coelitus gratiam huic servo tuo, ut dignus fiat per benignitatem tuam, inculpate fungatur ministerio, ad quod eum vocasti: inveniatque misericordiam tuam cum omnibus, qui a saeculo tibi placuerunt. *Elevans vocem.* Quia Deus volens misericordiam et benignitatem tu es: tibique debetur ab omnibus gloria, honor et adoratio; Filioque et Spiritui Sancto: nunc etc.

Conversus episcopus signat illum in fronte, pollice formans ter signum crucis gloriosae, et dicit: Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Tum archidiaconus alta voce dicit:* N. subdiaconus in ecclesia sancta loci N.*) orthodoxi supra nominati, in nomine Patris, Amen, et Filii Amen, et Spiritus Sancti in vitam aeternam.

Conversus episcopus ad orientem dicit secreto orationem sequentem. Gratias agimus tibi, Domine omnipotens, in omnibus et propter omnia, laudamusque et glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum, et misisti benedictionem tuam super hunc servum tuum. Rogamus et deprecamur te Domine, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum, et acceptam habe per benignitatem tuam bene-

---

*) In manuscripto Renaudotii ad marginem positum est: *Episcopus:* N. subdiaconus in ecclesia sancta loci. Confer ordinationem diaconi.

dictionem subdiaconatus, quae facta est a nobis super hunc servum tuum: et da illi, ut pure et religiose adimpleat omne illius ministerium: et apud te placationem inveniat per misericordiam unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium: cum Spiritu tuo Sanctissimo bono, vivificante, tibique consubstantiali, nunc etc.

Populus. Amen.

Et episcopus conversus ad ordinatum, circumdat orarium collo ejus demittitque super humerum ejus sinistrum dicens. Ad laudem et gloriam Trinitatis sanctae et consubstantialis: atque ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Osculatur subdiaconus altare, episcopum et circumstantes: daturque illi communio sanctorum mysteriorum, et locum accipit in ordine suo.

Officium ordinationis diaconi.

Quando sacerdos incipit liturgiam, qui paratus est ad suscipiendam ordinationem diaconi, stat coram altari infra gradus nudo capite et inclinatus, donec sacerdos liturgiam absolverit, statimque episcopus tenens manum dexteram ordinandi, ducit illum et statuit coram mensa sancta: ubi ordinandus flectit genu dextrum. Si est subdiaconus, fert orarium juxta ordinem suum.

Observatio ex Michaele patriarcha, (ut videtur Antiocheno). Consuetudo obtinet in Ecclesia, ut quando ordinatur diaconus flectat genu dextrum, junctasque manus habeat post tergum suum, inclinatus interea. De ea vero consuetudine nihil reperimus, unde illam mysterii quidquam continere appareat, nec in libris antiquitus scriptis. Verum cum illa traditione quadam solum pervenerit, necessaria non est, cum mysterium nullum contineat, neque scripta sit: ideoque coeteris ut eam observent non permittimus. *)

Episcopus primo dicit hanc orationem. Orna, Domine, servum tuum istum, qui expectat dona tua divina, ut cum gaudio et exultatione, et cum puritate animae et corporis ministret coram te omnibus diebus vitae suae: referemusque tibi gloriam et laudem, Pater, Fili et Spiritus Sancte in saecula.

Responsorium. Miserere mei.

Versus. Propitius esto mihi, tu, qui solus multae misericordiae es, Deus: suscipe me sicut filium illum prodigum et miserere mei. Pater sancte et largitor sanctitatis, Deus, sanctifica per gratiam tuam servum tuum, qui expectat donum tuum, et per illud sanctificetur. Fili, qui per donum tuum Apostolos tuos sapientes fecisti, Deus, inspira sapientiam servo tuo per donum tuum, qui expectat spiritum tuum, a quo sapiens efficiatur. Spiritus, qui Apostolos per linguas igneas instruxisti, Deus, sanctifica per gratiam tuam servum tuum expectantem spiritum tuum, ut per illum sanctificetur. Januas coelorum aperiat gratia tua coram nobis Deus, et dimitte dexteram tuam super servum tuum, qui illam expectat, ut per eam benedicatur. Stola tua Deus ornetur collum ejus, qui coram te inclinatus est, et ad donum tuum respicit, ut per illud ornetur ornamentis Spiritus Sancti. Coetus coelestes exultant, Deus, propter consecrationem servi tui. Canunt inferiores hymnum ad laudem illius, qui in

---

*) Est haec observatio nota ad marginem codicis Florentini.

domos congregationis illorum simul collegit: obstupescuntque ignei spiritus, cum coelos dirumpit Spiritus Deus, et descendit, ut largiatur donum per sacerdotum manus illis qui illud postulant. Deus infinitus puris manibus unitur descenditque, et largitur donum episcopo in similitudinem chrismatis*) purificantis delicta, per illapsum Spiritus Dei. Purifica per illapsum tuum, qui expectat consecrationem a te, ut per eam purus efficiatur. Gloria ter repetita: uni illi, qui in tribus est unus Deus, Pater, Filius et Spiritus Sanctus: unus verus Deus quem adoramus.

Et post responsorium dicit hanc orationem. Praesta nobis, Christe Deus noster, ut perficiamus ministerium hoc praeclarum et mysticum, simusque tibi templa sancta, et habitet in nobis majestas tua divina: et servum tuum istum perfice et conserva ad ministerium hoc spirituale; nosque et ille glorificabimus te et Patrem tuum et Spiritum Sanctum nunc etc.

Archidiaconus offert incensum episcopo. Prooemium ante Sedram. Gloriam, laudem et exaltationem debemus ei referre, qui per gratiam suam ultroneam constituit sibi in coelis coelorum ecclesias excelsas; ministrosque ignis et spiritus: eosque dignitate et gloria praecipua decoravit et ornavit: per amorem suum erga homines stabilivit et consecravit in Ecclesia sua sancta ministros, qui cum puritate ministerium eidem exhiberent, in typum eorum, qui intelligibiliter ministrant dominationi ejus infinitae, ad laudem majestatis ejus. Obsecramus et deprecamur bonitatem tuam, ut adveniat super nos et super servum tuum istum gloria Spiritus tui Sancti, ut sicut te Domino dignum est, ministremus coram majestate tua: Pater, Fili et Spiritus Sancte: nunc.

Sedra. Christe Deus noster glorificator ministerii spiritualis ornator, et exaltator ordinum ecclesiasticorum, qui illos, qui honorant altare tuum sanctum per puritatem et sanctitatem, vocatos ad regnum praeparas, cum dixeris, ubi sum ego illic et minister meus erit. Qui Stephanum primum diaconorum et primum martyrum sanctorum, perfectorem mandatorum tuorum fecisti: per orationes ejus sanctas, simulque omnium sanctorum amicorum majestatis tuae, obsecramus bonitatem tuam, Domine, pro servo tuo isto, qui oblatus est ad ordinem diaconatus. Fac illum ministrum secundum voluntatem majestatis tuae: tenentem viam mandatorum tuorum rectorum: in lege majestatis

---

*) Vide, quae de hoc loco, ex quo unctionem factam quondam fuisse in ordinationibus Syrorum concludebant quidam, dicta sunt T. I. p. 137. sq. Figuratam esse hanc unctionem, jam inde sequitur, quod hic ponatur in ordinatione diaconi, qui nullibi ungitur. Ita sane etiam intelligendus erit locus, forsan difficilior adhuc, in Copticae chrismatis consecrationis epiclesi Tom. I. p. 256, qui non solum apud Tukium, sed et in codice Vaticano est: „Ex hoc (myro) iterum unguntur episcopi et presbyteri usque ad hodiernam diem." Imo cum certissime apud Coptitas unctio nequaquam occurrat, argumento est probe, ejusmodi figurate intelligenda esse. Nisi dicas, ea sensu proprio exponenda esse de unctione confirmatoria, quae ea unctio esse dicatur, (ex illarum ecclesiarum disciplina) quae in Novo Testamento sacerdotibus tribuatur, quae ex statu infantiae spiritualis elevans et jus ad dona Spiritus Sancti tribuens, ad vocationem sacerdotalem praeparat, jamque ordinatos juvat.

tuae meditantem die ac nocte: ministrum, qui fortitudinem spiritualem semper exhibeat: diaconum, qui puritatem animae et corporis cum lucro augeat: diaconum, qui convenienter perficiat observantiam evangelicam: diaconum honestate et sanctitate conspicuum: diaconum confirmatum, in quo caritas vera et perfecta agnoscatur: diaconum, qui gratiam Domini in saeculum canat: diaconum, qui sollicitudinem habeat doctrinarum evangelicarum: diaconum, qui talentum spirituale sibi concreditum duplicet decenter et evangelice: diaconum, qui altare sanctum ornet mansuetudine et sanctitate pura et excellenti: diaconum, qui praeclarum in se exemplum praebeat juxta praeceptum apostolicum: diaconum dexterae, qui custodiat linguam suam et labia sua a malo, et ab omni dolo: diaconum, qui perfectum odium habeat adversus haereses omnes perniciosas; diaconum dexterae fidelem et servum bonum, qui utrumque se exhibeat, servum bonum et fidelem: diaconum dextrae, qui incensum acceptum adoleat ad altaria sacerdotalia; diaconum dextrae, qui jejunia et orationes observet: diaconum dextrae, et citharoedum divinum ad suaves modos faciendos: diaconum dextrae, in quo amor Dei, peregrinorum et fratrum cognoscatur; diaconum dextrae, qui laudes Domini perpetuo eloquatur; diaconum dextrae, qui faciat ea quae Deum decent illique placita sunt: et nos quoque qui secundum ea quae voluntati tuae placita sunt, vitam instituimus, et ille pariter ad dextram tuam collocemur; referemusque tibi gloriam et laudem Patrique tuo benedicto et beato, qui misit te ad redemptionem nostram, et Spiritui Sancto tuo, bono et vivificanti nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Finita Sedra dicuntur versus; tono Ego sum lux vera. Incensum. Psalmus. Lectio ex epistolis Pauli Apostoli. Evangelium, et post evangelium episcopus dicit.

Sancte, qui habitare fecit majestatem tuam super montem Sinai et illum sanctificasti, eamdem quoque demitte super servum tuum, et sanctificetur. Excelsus descendit super montem Sinai et imposuit manum suam super Moysem, Moyses imposuit suam super Aaron: et traducta est usque ad Joannem (haec manus impositio). Spiritus qui locutus est per prophetas, venitque et illapsus est super Apostolos, ipse veniat, requiescat et illabatur super servum tuum et sanctificetur, Spiritus Sanctus, qui illapsus est super Apostolos in medio coenaculi, ipse veniat, requiescat et illabatur super servum tuum et sanctificetur.

Deinde dicit episcopus orationem incensi. Magnae misericordiae tuae, Domine, offerimus incensum istud aromatum, pro servis tuis, qui parati sunt ad sacrum ordinem suscipiendum, ut per te sanctificentur ad domesticam administrationem mysteriorum tuorum divinorum, et cum oeconomis fidelibus et prudentibus suscipiant dona vocationis supernae; referantque tibi gloriam et laudem, nunc etc.

Dicit hanc orationem pro se ipso, secreto. Domine Deus virtutum, p. 80. Et suscipe in diaconum.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Proclamatio diaconorum. . . . . [Archidiaconus]. Gratia Domini

nostri Jesu Christi, qui semper supplet defectus nostros per voluntatem Dei Patris, cum virtute Spiritus Sancti, istum prope adstantem, qui cum timore, tremore et fide vera coram altari sancto inclinatus est et mentis oculo sursum respicit ad te, qui habitas in coelis, et expectat donum tuum coeleste, promovet ex ordine lectorum ad gradum diaconorum. *Archidiaconus.* N. diaconus ad altare sanctum et divinum ecclesiae sanctae loci N. sub periculo eorum, qui illum obtulerunt. Oremus igitur omnes, ut veniat super illum gratia et illapsus Spiritus Sancti; clamemusque et dicamus ter: Kyrie eleison.

Populus ter. Kyrie eleison.

Episcopus dicit secreto sequentem orationem. Domine, qui dignatus es servum tuum vocatione diaconorum, praesta per clementiam tuam, ut mereatur servitutem exhibere nomini tuo, sicut oportet, et ministrare altari tuo sancto. *Elevans vocem,* quia tu es Deus miserator, et clemens: teque decet gloria, honor, et imperium, et Filio et Spiritui tuo Sancto nunc etc.

Imponit episcopus manus duas suas super mysteria sancta super altare posita et extendit eas, colligitque gratiam demittens eas super calicem, idque facit ter, quam cum accepit ex calice convertitur ad eum qui ordinatur, elevatque ter manus suas super caput ejus: et imponit dexteram capiti ejus qui ordinatur, sinistramque leniter motitat super dextram suam. Postea dicit lente hanc orationem invocationis.

Deus qui aedificasti Ecclesiam tuam, quique illius fundator es, qui abunde supples quae illi deficiunt, per sanctos tuos, qui in omnibus generationibus ad illius gubernationem ordinati fuerunt: tu Domine etiam hac hora aspice servum tuum, et confirma super eum gratiam Spiritus tui Sancti. Et reple illum caritate, fide, virtute et sanctitate. Et sicut dedisti gratiam Stephano, quem primum vocasti ad opus ministerii hujus, similiter da, ut super servum tuum istum veniat auxilium de coelo. Neque enim per impositionem manuum nostrarum, qui peccatores sumus, sed per operationem miserationum tuarum abundantium datur gratia illis, qui te digni sunt. Idcirco rogamus et deprecamur te, libera nos a participatione peccatorum, quia tu es qui reddis unicuique secundum opera sua. Da nobis autem Domine, ut nihil quidquam per errorem committamus; sed concede nobis cognitionem ad eligendum et offerendum ad altare tuum sanctum, ut inculpate fungantur ministerio tuo, ad propagationem et multiplicationem populi tui, neque sint in scandalum Ecclesiae tuae: ut ipsi liberentur a damnatione aeterna: nos quoque effugiamus poenam terribilem eorum qui peccant in altaria tua. *Elevans vocem:* ut cum puritate cordis stantes coram altari sancto consequamur misericordiam cum servo tuo isto in die retributionis justae: quia tu es Deus miserator et clemens, teque decet gloria, honor, imperium, et Filio et Spiritui Sancto nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Archidiaconus. Coram Domino etc.

Populus. Coram te Domine.

Episcopus secreto. Respice in nos Domine, et in ministerium nostrum, mundans nos ab omni macula, dans gratiam de coelis huic

servo tuo, ut per donum tuum mereatur inculpate servire tibi, inveniatque misericordiam cum omnibus sanctis tuis, qui a saeculo tibi placuerunt. *Elevans vocem*, quia tu es Deus misericordiam et benignitatem volens, tibique debetur ab omnibus honor et adoratio, et Filio et Spiritui Sancto nunc etc.

Populus. Amen.

Postea episcopus conversus ad eum qui ordinatur, signat illum in fronte et dicit. Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Archidiaconus clamat.* N. diaconus ad altare sanctum ecclesiae sanctae loci N. *Episcopus eodem modo clamat.* N. diaconus ad altare sanctum loci orthodoxi supra nominati; in nomine Patris. Amen. Et Filii. Amen. Et Spiritus vivi et Sancti ad vitam aeternam.

Populus. Amen. *Ter signum crucis facit super ejus frontem.*

Episcopus ad orientem conversus dicit hanc orationem secreto. Gratias agimus tibi Domine omnipotens, in omnibus et de omnibus laudantes et glorificantes nomen tuum sanctum; quia magnificasti facere nobiscum, effudistique donum tuum super hunc servum tuum. Rogamus obsecramusque te Domine: exaudi nos propter multitudinem misericordiae tuae, et placitam habe ordinationem istam diaconatus, factam super istum servum tuum, per adventum Spiritus tui Sanctissimi. Adjice quoque ad vocationem, electionem, sanctitatem et gratiam bonitatis tuae. Elige nos et illum ad bonum, et da illi, ut operetur tibi in talento quod accepit. *Elevans vocem.* Ut cum omnibus qui fecerunt voluntatem tuam accipiat mercedem diaconorum fidelium et prudentum, in secundo adventu de coelis Domini, Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo te decet gloria, honor, et imperium, cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, vivificante, tibique consubstantiali nunc etc.

Tunc episcopus manum dexteram ordinati tenens erigit illum, imponitque orarium humero ejus sinistro dicens. Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et consubstantialis: et ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Diaconus osculatur mensam sanctam, manumque episcopi; et dat illi osculum pacis, omnibusque qui stant ad altare. Post pacis osculum dat illi episcopus incensum, circuitque altare, et signat calicem et dat illi Eucharistiam.

Officium ordinationis archidiaconi.

Finita liturgia stat coram altari, qui electus est ut sit archidiaconus, capite inclinato, amictusque stola diaconatus. Episcopus dicit. Gloria etc. *Dicunt responsorium.* Miserere mei. Propitius esto mihi. *Tum episcopus incipit Sedram.* Coram etc.

Prooemium. Gloriam, laudem et exaltationem referre debemus illi bono per naturam, et largitori donorum coelestium filiis gratiae: qui trinus est in personis, et unicus in natura, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus verus, cui laudes, benedictiones et adorationes sint hoc tempore etc.

Sedra. Deus, qui stabilivisti Ecclesiam sanctam tuam per munera tua divina, et pastores ejus donis divinis a te concessis nobilitasti, ut ipsi ea multiplicent et conferant unicuique filiorum spiritualium, juxta convenientiam et electionem gratiae divinae: tu Domine misericors, con-

firma gratiam tuam divinam super hunc servum tuum: et elige illum, ut sit archidiaconus juxta ordinem magni Stephani, primi diaconorum et primi martyrum. Dita illum sapientia tua vera: fac illum dignum gubernatione recta, absque personarum acceptione: intelligentiam ejus illustra radiis splendorum tuorum: concede illi fiduciam perfectam: et da illi, ut in mandatis tuis divinis perseveret die ac nocte: per gratiam tuam, et unigeniti Filii tui et Spiritus Sancti: nunc etc.

Dicitur deinde responsorium ex officio Sancti Stephani. Oratio ad incensum, ex officio Apostolorum aut martyrum. Tum subjungit episcopus hanc orationem, quam dicit secreto.

Domine Deus omnipotens, largitor donorum divinorum, concede gratiam tuam magnam et ineffabilem huic servo tuo, et praesta illi, ut sicut princeps ordinis Stephanici splendeat moribus tibi placitis. Fac illum sapientia, cogitatione et intelligentia conspicuum: orna illum mansuetudine, quae ministerio illo decoro et spirituali digna sit: per gratiam tuam, et unigeniti Filii tui, et Spiritus Sancti, nunc etc. *Elevans vocem.* Et suscipe per clementiam tuam hunc servum tuum, quem vocavit gratia tua ad ordinem Stephanicum, quia tu benignus es multaeque misericordiae, tibique laudes offerimus, et unigenito Filio tuo et Spiritui Sancto: nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus conversus signat ordinandum in fronte signo crucis dicens. Perficitur N. archidiaconus ad ecclesiam sanctam loci N. in nomine Patris. Amen. Et Filii. Amen. Et Spiritus Sancti ad vitam aeternam. Amen. *Mox dat illi baculum pastoralem, ut illum gerat. Accendunt cereos; sacerdotesque et diaconi induti ornamentis ordinum suorum, procedunt circumeuntes atrium, canentes responsorium Sancti Stephani, adscenduntque ad* βῆμα *seu altaris solium. Si celebretur festum Sancti Stephani, archidiaconus legit evangelium. Si aliud festum fuerit, aut die Dominica, legit illud episcopus. (Archidiacono) interea baculum ejus pastoralem gestante. Post lectionem evangelii diaconi dicunt ter:* Ἄξιος, *dignus es.*

Ita perficitur ordinatio archidiaconi. Eligitur autem propter ingenium, praeclaram vitae rationem et doctrinam. Oportet quoque moneri illum ab episcopo, ne per errorem personas accipiat, ne alteri durum et gravem alteri nimium facilem se praebeat: sed unicuique secundum ordinem, justitiam et aequitatem cum eadem severitate praecipiat: neque sibi attribuat lectionem aut aliquam aliam partem ministerii, unde clerus turbetur.

Officium ordinationis presbyterorum.

Primum dicitur oratio principii. Confirma Domine per dexteram tuam potentem et per brachium tuum sublime et omnipotens Ecclesiam tuam sanctam, quam acquisivisti sanguine tuo pretioso; depelleque et ejice ab illa omnes, quicunque observant superstitiones vanas et diabolicas. Da illi ut in te confidat et speret, exultetque et laetetur in salute tua, offeratque tibi agnos christianos nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus incipit responsorium. Miserere mei Deus. Spiritus Sanctus, qui illapsus est super Apostolos in coenaculo, ipse veniat, habitet

et illabatur super servum tuum, ut per illum sanctificetur. Redde mihi laetitiam salutaris tui etc. Per Spiritum Sanctum perfecit Deus Apostolos dilectos suos, juxta promissionem suam: demitte manum tuam super servum tuum et sanctificetur. Libera me de sanguinibus etc. Munda et sanctifica nos per Spiritum tuum Sanctum et vivificantem Salvator noster; sanctifica servum tuum qui expectat donum tuum, ut per illud sanctificetur. Quoniam noluisti sacrificia etc. Christe Deus, qui descendisti in terram voluntate tua, dedistique sacerdotium Apostolis tuis, demitte dexteram tuam super servum tuum, qui expectat donum tuum, ut per illud sanctificetur. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto: uni et trino: unus est enim Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus: unus Deus verus, quem adoramus.

Cochlion. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, Alleluia, Alleluia: et quis requiescet in monte tuo sancto? Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam. Alleluia. Alleluia. Qui loquitur veritatem in corde suo: quique dolosus non est in lingua sua: nec fecit socio suo malum. Alleluia. Alleluia. Et munus non accipit adversus proximum suum. Contemptibilis est in oculis ejus malignus. Alleluia. Alleluia. Et timentes Deum honorat. *Gloria, finis tono graeco.* Obumbrationem suscepit puella seminata a Deo, ipsa enim sola absque doloribus concepit assumtionem: ut esset generi terreno nostro radix antidoti vitae novae: per Filium, qui ad dexteram Patris stans, nunc mittit nobis gratiam Spiritus Paracliti.

Episcopus. Propitius esto mihi, Deus, qui solus es multae misericordiae: suscipe me velut filium prodigum, et miserere mei.

Archidiaconus dat incensum episcopo, qui dicit Sedram et antea sequens prooemium. Laudem, honorem, adorationem, et magnificentiam referre nos oportet illi regi regum et domino dominantium, largitori donorum coelestium, et distributori munerum ineffabilium; qui perfecit Apostolos suos per Spiritum suum, et imbuit discipulos suos sapientia sua convenienti, gloriam et honorem hoc tempore ministerii hujus divini offerimus illi, simulque misericordiam et gratiam postulamus, omnibus temporibus et horis.

Sedra. Domine Dominus noster, qui plenus es misericordia et amore erga homines: ad cujus laudem celebrandam, adeo sublimis est, omnia saecula non sufficerent: qui ab angelis adoraris, et ab archangelis glorificaris: qui a Seraphim sanctificaris, atque ab omnibus ordinibus spiritualibus et incorporeis cum timore exaltaris; quique per miserationes tuas multas, tibi naturaliter ingenitas, dignatus es recreare humanam naturam, laudibus spiritualibus et coelestibus: et idcirco per Apostolos tuos sanctos ordines coelestes commendasti illis, qui in terra sunt: quorum similitudines per Moysem principem prophetarum praesignatae fuerant: qui per Filium tuum dilectum tradidit veritatem Simoni principi Apostolorum, et per illos universae Ecclesiae sanctae, usque ad consummationem saeculi. Tu Domine per gratiam tuam et miserationes tuas multas suscipe primitias istas, quae hodie offeruntur magnitudini tuae, per mediationem tenuitatis nostrae, ex natura infirma et imbelli humana nostra, scilicet servum tuum istum, quem nunc per vocationem sanctam majestatis tuae vocavisti ut esset minister, et dispensator mysteriorium tuorum

divinorum: administrator spiritualis, et doctor peritus cujuscumque virtutis erga gregem tuum rationabilem. Evelle et depelle ab eo Domine, omnia desideria immunda et impura, quae inducunt ad peccatum, carnalesque voluptates: confirma illum in caritate tua divina, et in spe tua beata. Orna illum sanctitate et puritate animae et corporis, et spirituali splendore moribusque praeclaris; et confirma illum in fide orthodoxa pura ab omni commistione haeretica, nullisque culpis aut pravis moribus inquinata. Praesta etiam illi per clementiam tuam, ut cum fiducia operum bonorum et laudabilium, omnique genere morum ad virtutem compositorum et cum mentis humilitate accedat ad ministerium hoc angelicum et administrationem mysteriorum tuorum divinorum: in quae desiderant etiam angeli tui prospicere, et in illis inveniat salvationem perfectam, et salutem plenam vitae suae, veniam delictorum, et remissionem peccatorum, universo gregi tuo spirituali, et sacerdotali, qui illi commendatus erit: per gratiam et misericordiam unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sanctissimo bono et adorando.

Versus. Laudate Dominum in sanctis ejus. *Episcopus.* Sancte qui habitare fecisti majestatem tuam in monte Sinai, et illum sanctificasti, fac ut descendat eadem super servum tuum et sanctificetur.

Oratio incensi. Suscipe Domine suaviter incensum istud aromatum, quod nunc offerimus coram te; et mitte Spiritum tuum Sanctum super nos, et super servum tuum istum hic genuflexum expectantemque a te donum et munus, per orationes tenuitatis nostrae; et propterea in hunc modum referemus gloriam tibi Domine Jesu Christe pontifex vere; et Patri tuo fonti omnium benedictionum, et Spiritui tuo Sancto, perfectori donorum omnium et sanctificatori omnium sanctorum.

Episcopus inclinatus, secreto dicit orationem sequentem. Domine Deus virtutum, pag. 80. Et suscipe in sacerdotem.

Populus. Amen.

Ante hanc orationem legitur ex epistola catholica Petri prima c. 5. Seniores qui in vobis sunt obsecro etc. *usque ad v. 12. Prima lectio fit Syriace: secunda Arabice. Deinde sequitur lectio ex epistola ad Titum a cap. 1. usque ad v. 8. cap. 3.*

Lectio ex evangelio Joannis. Cap. 16, v. 31. Modo creditis. Ecce venit hora et jam venit etc. *usque ad v. 12. cap. 17.* Nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur.

Archidiaconus alta voce proclamationem facit. Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae semper supplet defectus nostros, per voluntatem Dei Patris cum virtute Spiritus Sancti, hunc proxime adstantem, qui cum timore et tremore, et fide vera, cervicem animae suae inclinat coram altari sancto, et oculis mentis adspicit ad te qui habitas in coelis, expectatque donum tuum coeleste, vocat et promovet ex ordine diaconorum ad gradum presbyterorum N. ut sit presbyter ad altare sanctum ecclesiae sanctae loci N. sub periculo eorum qui illum obtulerunt. Oremus igitur omnes, ut veniat super illum gratia Spiritus Sancti, respondeamusque et dicamus ter: Kyrie eleison.

Populus. Kyrie eleison.

Episcopus dicit hanc orationem secreto. O Domine dignum illum facias vocatione sacerdotis, ut mereatur secundum amorem erga homines

tuum, et sicut convenit nomini tuo sancto, exhibere tibi servitutem et sacerdotium exercere ad altare tuum sanctum, consequaturque misericordiam coram te. *Elevans vocem.* Quia tu es Deus misericors tibique debetur gloria, honor et imperium, et Filio, et Spiritui Sancto nunc et semper etc.

Imponit episcopus manus suas ambas super mysteria, quae sunt supra altare: accipitque dona ex corpore ter, et ter ex calice): conversusque ad occidentem ad eum qui ordinatur, ter elevat manus super caput ejus, eas commovens placide. Mox imponit dexteram suam super caput ejus: sinistramque movet huc et illuc, dicitque lente orationem sequentem invocationis Spiritus Sancti.*

Deus magne et admirande, qui facis gloriosa et mirabilia, quorum non est numerus: magnus potestate, et intellectus inscrutabilis admirandus supra mentis humanae captum. Tu es Deus noster, qui nosti secreta cordium, qui cogitationes perspicis, et scrutaris renes; quia nihil quidquam absconditum est a rectitudine et oculo judiciorum tuorum. Tu nosti vitam servi tui hujus, qui cognita habes ea quae sunt operum tuorum, et ea quae sunt, ut etiam quae futura sunt praevides. Tu es qui in omnibus generationibus eligis ad ministerium sanctum eos qui tibi placent: elige igitur et hunc servum tuum in sacerdotem, et da illi ut cum moribus immaculatis, et cum fide non errante suscipiat donum magnum Spiritus Sancti, sitque dignus sacerdotio fungendi secundum evangelium regni tui, standi coram altari tuo sancto, offerendi munera et sacrificia spiritualia, renovandique populum tuum per lavacrum regenerationis. Omnibus ostendat lampadem lucidam scientiae illius qui tibi coaeternus est, unigeniti Filii tui, ad ordinandam et ornandam Ecclesiam tuam sanctam; ad operandum bona per impositionem manuum suarum: ut currat verbum evangelii tui; glorificeturque nomen tuum in omni creatura sicut in ecclesia, quae credita est huic servo tuo.

Et conversus ad altare sanctum atque elevans vocem dicit. Ut ipse occurrens in adventu secundo coelis Domini nostri, Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, in ordine sacerdotum recipiat mercedem administrationis bonae per multitudinem gratiae unigeniti Filii tui; per quem et cum quo te decet gloria, honor et potestas, cum Spiritu tuo Sancto et bono, nunc etc.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Cum spiritu tuo.

Episcopus secreto. Respice nos Domine et ministerium nostrum;

---

*) Est hic in margine Scholion paris cum toto antiquitatis: „Quid accipit episcopus ex corpore et sanguine, cum celebrat ordinationem? Dicimus, quod ipsum Christum et gratiam Spiritus accipit; et tanquam ipse Christus esset, eo loco ἐπιφοιτᾷ (sive supervenit et illabitur). Ipse quippe est pontifex verus et largitor sacerdotii; episcopus vero eo praecipue tempore minister illius est, et ideo manus agitando illas imponit." Ait Renaudotius vocem Syriacam, quam per ἐπιφοιτᾷν reddidit, respondere hebraicae, qua Gen. 1, 3. Spiritus Sanctus dicitur super aquas ferri. Christum igitur dicitur sacerdos repraesentare, qui Spiritus de coelis illapsum eliciat, dum mystico motu manus motitat.

et munda nos ab omni macula; dans de coelo gratiam huic servo tuo, et mereatur per donum tuum inculpate sacerdotale ministerium praestare tibi, inveniatque misericordiam a te, cum omnibus qui a saeculo placuerunt tibi. *Elevans vocem*, quia tu Deus es volens misericordiam et benignitatem, tibique debetur ab omnibus honor et adoratio, et Filio et Spiritui Sancto: nunc etc.

Tunc conversus ad occidentem, signans in fronte ordinandum, dicit. Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei. *Archidiaconus exclamat.* N. sacerdos ad altare sanctum ecclesiae N. *Episcopus simili modo prosequitur.* N. sacerdos ad altare sanctum ecclesiae sanctae loci orthodoxorum supra nominati: in nomine Patris. Amen. Et Filii. Amen. Et Spiritus Sancti ad vitam aeternam. Amen. *Et ad singulas invocationes formal signum crucis venerandae super illius frontem.*

Mox conversus ad orientem, dicit orationem sequentem secreto. Gratias agimus p. 86. his mutatis: Et placitam habe ordinationem hanc in sacerdotium — ut cum omnibus, qui a saeculo placuerunt voluntati tuae, accipiat mercedem oeconomorum fidelium et prudentum.

Conversusque episcopus ad ordinatum manu sua illum tenens erigit. Archidiaconus dicit. Benedic Domine. *Episcopus vel aliquis alius praesul orarium quod a tergo pendet reducit et ante pectus ejus stringit, dicitque ter signum crucis faciens ad unamquamque vicem.* Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et consubstantialis: ad tranquillitatem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. *Respondentque omnes qui in sanctuario sunt eadem quae episcopus. Deinde ascendere illum jubet episcopus ad mensam sanctam, quam osculatur, deinde manum episcopi: omnesque qui in sanctuario sunt dant illi osculum pacis: cantantque interea responsorium:* In atriis domus Dei nostri. *Postea episcopus dat illi incensum, praecipitque ut incipiat Sedram generalem: consignat calicem et dat illi communionem.*

*Si ordinandi plures sunt, orationes quae singulari numero conceptae sunt, dicuntur in plurali. Invocatio Spiritus Sancti cum recitatur, episcopus singulis manum imponit, et legitur ipsis si quid superest ex fidei confessione.**)

---

*) In alio exemplari ordinationis ejusdem, addit Renaudotius, haec ultima pars ita legitur. Quinam hic codex fuerit, non dixit, sed est absque dubio Jacobiticus. Archidiaconus dicit. Benedic Domine. Tunc episcopus transfert orarium quod est super humerum ordinati sinistrum, et circumdat collo ejus humeroque dextero: induitque illum ornamentis sacerdotalibus: quae prius elevat super sacra mysteria in formam crucis, iterum et tertio dicens, clero prosequente: Ad laudem, gloriam, honorem, et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis; simulque tranquillitatem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. Eadem ornamenta elevat et agitat ter in formam crucis super caput ordinati: dicens idem quod supra respondentibus clericis. Induitque illum χιτῶνα sive tunica: imponitque orarium collo ejus in formam crucis, ita ut demittatur ante pectus ejus: cingit lumbos ejus zona: ἐπιμανίκια induit ejus manibus: cidarim capiti ejus imponit et casulam. Eadem quae supra dicit; et eodem modo clerici respondent. Similiter quoque incensum elevat

Ordo consecrationis archipresbyteri visitatoris, periodeutae, archimandritae, qui etiam appellatur chorepiscopus: ut etiam abbatissae.

Episcopus eum, quem ad talem ordinem promovet, adducit coram altari: episcopusque stans super gradum altaris laudationem incipit ab oratione principii conveniente; dicunt responsorium: Miserere mei, *generale; aut illud poenitentiae.* Peccavi tibi. Parce peccatoribus. *Postea dicunt Coclion.* Domine dilexi ministerium domus tuae: *aut antea aliud modi alterius.* Lavi manus meas in puritate. *Tum dicitur Sedra.* Domine bone et in muneribus magnificus. *Deinde versus generalis, aut poenitentiae, statimque episcopus subjungit orationem sequentem, tono simplici, facie ad orientem conversa.*

Deus largitor munerum omnium bonorum, qui intelligis opera omnia hominum, et perspicis omnes vias illorum; qui per providentiam tuam eos complecteris qui te indigentes, deprecantur te: adjuva servum tuum, et da illi gratiam, sollicitudinem, vigilantiam, discretionem, robur, viresque sufficientes: ut placeat tibi in hoc ministerio quod illi commendatur: praesta quoque illi, ut caste et absque macula in eo versetur ad dirigendum in vias rectas, ad judicandum secundum aequitatem; et ad depellendum ab illis, qui sub ejus manu erunt, omnem impetum irrationabilem et imprudentem contra fidem orthodoxam. Da etiam illi regimen nulli vitio obnoxium, et conversationem inculpatam: ita ut omnia faciens ad laudem tuam Deus Pater, ad aedificationem Ecclesiae tuae et ad augmentum populi tui inveniat gratiam et misericordiam coram te, et haeres fiat partis oeconomorum fidelium et prudentum, per misericordiam unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium cum Spiritu Sancto: nunc etc.

Si sit archimandrita adjicitur. Ad stabilimentum et aedificationem congregationis suae, et ad augmentum, ordinationemque rectam fratrum. Tribue etiam illi intelligentiam, ut possit sedulo corripere, instruere, et dirigere errantes, eosque cum fiducia compescere: ut etiam suscipiat peregrinos, praeparet quae necessaria sunt servis tuis, et cum honestate et modestia familiaritatem illis exhibeat omniaque faciat ad laudem tuam Deus Pater, ad aedificationem, cultum et stabilimentum monasterii: ad augmentum fratrum, et ad conservationem eorum in timore Dei: ut ita

---

super mysteria et super caput ordinati, ter illud movens in formam crucis: eademque verba dicunt et respondent. Dat quoque illi episcopus, ut adoleat incensum per ecclesiae circuitum juxta consuetudinem. Si plures fuerint ordinati, idem erga quemque observabit: in orationibus tamen, quae singulari numero descripta sunt, in plurali efferet. Orationem vero invocationis Spiritus Sancti cum elevatione manus motitando factae, consignationem cum signo crucis super singulos faciet, dum imponit illis manus. Dant quoque ordinatis crucem, evangelium, imaginem et arculam ferendam. Praecipit quoque episcopus ordinatis, ut osculentur mensam vitae. Osculantur etiam manum dexteram episcopi, qui ut omnis clerus dant illis pacem in osculo sancto. Dicunt responsorium: In atriis domus Dei nostri. Tandem datur illi Eucharistia, et praelegitur admonitio quae alibi refertur.

inveniat gratiam et misericordiam coram te; consequaturque partem archimandritarum fidelium et prudentum, qui ministerium exhibent populo tuo in pietate et sanctitate: per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sancto nunc etc.

Ritus ordinationis episcoporum.

Post orationem horae tertiae ascendit patriarcha ad altare appellatque electum duosque episcopos, qui soli cum illo ascendant, clauduntur que ostia. Mox patriarcha imponit electi capiti pileolum novum: induitque illum χιτωνίῳ: imponit illi cidarim seu mitram) alligatque illi epomidem, et cum eo episcopi duo ornamenta tenent et porrigunt patriarchae. Tum ille electum constituit coram se, is vero genua flectit coram eo usque ad terram. Patriarcha dicit:* Spiritus Sanctus vocat te, ut sis metropolita vel episcopus loci N. *Electus genua flectit coram patriarcha et dicit.* Consentio et suscipio. *Episcopi etiam genua flectunt ad honorem patriarchae deferendum. Tum electus abit ad australem sanctuarii partem, usque dum finiatur liturgia. Postea adducunt illum episcopi constituuntque illum pone patriarcham, manibus coram pectus conjunctis, ornatusque est ut prius erat χιτωνίῳ et cidari. Patriarcha lavat manus suas, incipitque doxologiam: mox uni ex episcopis praecipit, ut incipiat Cochlium, quod initio officii dicendum praescribitur. Dum Cochlia dicuntur, orant episcopi, ut inferius ordinatur.*

Oratio principii ministerii. Gloria Patri et Filio etc. Praesta nobis Domine Deus, ut pure et sancte stemus coram altari sancto tuo, postulantes a clementia tua, ut sis nobiscum et inter nos hoc tempore, et concedas nobis divitias munerum tuorum divinorum, ut cum angelis tuis sanctis laudemus te semper, Pater, Fili et Spiritus Sancte: nunc etc.

Cochlion tono tertio. Domine in virtute tua laetabitur rex, *qui psalmus versiculatim decantatur a choro mutatis aliquando tonis et interjectis aliis responsoriis.*

Posuisti in capite ejus coronam. *Mutatur tonus, et canitur juxta illum responsorii quod incipit: In fornace ardenti.* Tu qui super montem Sinai, Verbum Dei cum Patre, in mysterio Mosi Levitae manifestatus es, legemque illi dedisti, cultus ministerii temporalis: tu etiam implevisti Apostolos tuos Spiritu Sancto quem misisti; perfecistique illos et consecrasti, ut praedicarent cum stupore omnium: fecistique in illis ut amplius clamarent, et dicerent sacerdotes omnes benedicite, glorificate et laudate pontificem verum Christum in saecula saeculorum

Prosequuntur. Vitam petiit a te et tribuisti ei etc. A te defluit sanctitas quia sanctus tu es, tibique datus est pontificatus. Tu es qui suscipis sacrificia ex manibus sacerdotum servorum tuorum: et propitius es delictis eorum qui convertuntur ad te: tuque peccatum mundi delevisti per immolationem tui ipsius, Agne Dei.

---

*) Vide, quae de hac Renaudotii et Morini versione in dissertatione praevia de sacris ordinibus diximus. Ornamentum, de quo agitur, est Maznaphtho, amictus phrygio opere ornatus.

Ita post singulos versus hujus psalmi interseruntur responsoria, stichose seu στίχοι, et alia quae ad solam psalmodiam pertinent.

Eodem psalmo finito dicitur sequens oratio.

Deus qui perfecisti Apostolos tuos per Spiritum tuum, et athletas tuos per veritatem tuam, perfice et arma nos caritate tua: robora infirmitatem nostram veritate tua; reple etiam mentes et cogitationes nostras lumine tuo sancto et coelesti, Pater, Fili et Spiritus Sancte nunc etc.

Psalmus 20. Domine in virtute tua laetabitur rex etc. *Interjiciuntur quoque versus, responsoria, Sedra, prooemia quae alibi referentur.*

Unus episcoporum legit ad portam sanctuarii ad populum hanc lectionem ex Actis apostolorum. Dilecti mei. Postquam Jesus praecepit Apostolis quos elegit per Spiritum Sanctum, etc.. Act. 1, 1—8; 1, 24—26.*)

Et cum essent congregati, factus est repente de coelo sonus, tanquam Spiritus vehementis, quo repleta est tota domus in qua erant sedentes, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. (2, 1—4). Exsurgens Simeon Cephas dixit: Viri fratres et omnes qui habitatis Hierusalem, notum sit vobis, et audite verba mea. Jesum Nazarenum virum qui a Deo denominatus est vobis virtutibus, et prodigiis et signis, quae Deus fecit per illum in medio vestri: hic, definito consilio Dei, et praescientia traditus, elevatus est per dexteram Patris, et accepit ab eo promissionem Spiritus Sancti, effuditque hunc quem videtis et auditis. Vobis enim facta est promissio et filiis vestris, et accipietis donum Spiritus Sancti. (2, 14. 22—24. 33. 38. 39.). Tum convocantes duodecim Apostoli omnem multitudinem discipulorum dixerunt illis: Considerate ergo, fratres etc., 6, 2—6; 8, 14. 15. 18—21., usque ad: non est tibi pars, neque sors in fide ista. 12, 25; 13, 2—4. Fratres. Propter quod succincti lumbos etc. I. Petr. 1, 13. 15. 16. Vobis igitur honor credentibus, (2, 7) dixit quoque illis Petrus. Obsecro vos sacerdotes etc. 5, 1—4.

Alius episcopus legit ad populum lectionem sequentem. „Ex epistola Pauli Apostoli ad Timotheum. Hoc praeceptum commendo tibi fili Timothee secundum praecedentes in te prophetias, ut milites illis in bonam militiam in fide et conscientia bona. (I. Tim. 1, 18. 19.) Fidelis sermo, si quis sacerdotium desiderat etc. 3, 1., usque ad v. 14., omissis 11. et 12. Tum ex cap. 4, v. 9, 11, 12. Ex cap. 5, v. 1, 2, 3, 5, 19, 20, 21, 22. Ex cap. 6, v. 12. usque ad 17.

Deinde canunt hymnos aliquot, et patriarcha legit evangelium quod imponitur pectori electi. Is autem stat super gradus altaris coram mensa

---

*) Liberrime Syri in excerpendis ex sacris Scripturis lectionibus procedunt, uti hic videre est, versus dimidios assumunt, integros omittunt, capita integra fere transiliunt, ut ea colligant, quae fini et occasioni conveniunt. Quid mirum, quod eodem modo epistolas S. Ignatii martyris Syriace versas tractaverint. Unde quidam, qui in ejusmodi excerpta inciderunt, textum genuinum breviorem adhuc Mediceo non interpolato detexisse putarunt. Vide quae ad haec diximus ap. Migne Patrol. graec. T. V. col. 601.

vitae facie ad occidentem, ubi episcopi sunt, conversa: qui ordinatur ad orientem conversus est capite inclinato, imponiturque liber evangelii super humeros et pectus ejus, donec patriarcha lectionem perfecerit.

Lectio evangelii secundum Mathaeum, cap. 16, v. 13. Exivit Jesus in partes Caesareae Philippi etc., usque ad v. 20. ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus.

Postea stat electus ad partem australem mensae sanctae legitque confessionem fidei, quam dat illi patriarcha, cujus exemplar cum illi reddiderit, jubetur genua flectere, ornamentis sacerdotalibus indutus, et epomide, manibus ad pectus conjunctis: auferuntque illi χιτώνιον. *Incipit deinde patriarcha responsorium* Miserere mei: *et* Propitus esto mihi: *ut scriptum est in officio ordinationis diaconi. Unus episcoporum accipit incensum dicens:* Στῶμεν καλῶς. *Patriarcha incipit Sedram, et eam usque ad finem prosequitur, ut in ordine Sedrarum praescriptum est. Tum surgens ex solio suo dicit orationem principii.*

Deus Spiritus Paraclite, qui per dona tua divina terrestres homines facis coelestes, oeconomosque fideles et prudentes, exaudi nos etiam nunc qui invocamus te: et illabere super servos tuos, qui expectant donum tuum coeleste; referemusque tibi gloriam et laudem nunc etc.

Patriarcha incipit responsorium. Miserere mei. Propitius esto mihi.

Prooemium. Gloria uni et tribus splendoribus: laus unico et tribus radiis: exaltatio uni et tribus luminibus. Uni luci ex luce, fonte luminis, a quo illuminantur potestates omnes supernae et intellectuales, illuminantes et illuminatae: quae sunt imago et typus Ecclesiae nostrae super terram, quae per lumen scientiae ab eo inspiratae, et per dona Spiritus tui Sancti illuminavit Apostolos suos sanctos et divinos, perfecitque illos per cognitionem mysteriorum suorum secretorum contulitque illis potestatem donorum spiritualium, ut per illa ornarent, et illustrarent illos, qui a Spiritu coelesti perficiuntur (seu consecrantur) per illorum mediationem ultimamque perfectionem consequuntur, per donum descendens a patre luminum, quod per illapsus Spiritus Sancti confertur. Ad illum igitur adspicimus, cum deprecatione ex intimo corde profecta, ut aperiat januam miserationum suarum supplicationi nostrae; huncque electum per manus nostras perficiat et consecret; vasque gloriae illum constituat in Ecclesia sua sancta gratum habens ministerium ejus castum; et tanquam sacrificium gratiosum suscipiatur apud eum e manibus nostris qui illum offerimus: et qui ad obtinenda ejusdem (Christi) dona erga nos sanctificamus, adoramus et glorificamus ipsum, et Patrem ejus, et Spiritum ejus Sanctum.

Sedra. Tu qui plenus es miserationibus, creator, factor et ordinator omnium; tu es Dominus Deus noster: qui ab angelis adoraris et laudaris perpetuo: qui ab archangelis tibi ministrantibus cum timore coleris mirabiliter, a Seraphim glorificaris: qui ab ordinibus omnibus spiritualibus et incorporeis cum timore exaltaris: quique propter miserationes multas tibique naturales vis, ut laudis spiritualis coelestium laetitia ad naturam humanam perveniat: et eapropter Apostolis suis sanctis commendasti ordines coelestes eorum qui super terram sunt, quorum similitudines per Moysem datae fuerant, ipse per Filium suum dilectum eorundem veritatem complevit Petro principi Apostolorum, et per illum universae Ecclesiae sanctae, usque ad consummationem saeculi. Tu

Domine per gratiam tuam et miserationes tuas multas suscipe primitias istas, quae hodie offeruntur majestati tuae, per ministerium tenuitatis nostrae, ex imbecilli natura humani generis nostri, servum tuum istum, qui per vocationem Spiritus Sancti supernam a majestate tua fieri debet minister mysteriorum tuorum divinorum, rector bonus, praeses spiritualis doctorque solers virtutum omnium, gregi tuo spirituali . . . . . ab omni inquinamento animae et corporis, sed moribus praeclaris et animi puritate commendetur. Conserva illum et confirma in fide orthodoxa et apostolica, nullius haereticae labis admistione corrupta, cum moribus perversis (deturpata). Praesta etiam illi per clementiam tuam, ut cum fiducia operum bonorum et praeclarorum, moribusque omni virtutum genere conspicuis, cum animi humilitate accedat ad ministerium istud evangelicum, et ad celebrationem mysteriorum divinorum, in quae etiam angeli sancti desiderant prospicere: et per ea consequatur salvationem perfectam: remissionem integram vitae, veniam delictorum et remissionem peccatorum universo tuo gregi spirituali et sacerdotali, qui ipsi commendatur: per gratiam et misericordiam unigeniti Filii tui Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi: cum quo te decet gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, vivificante, tibique consubstantiali, nunc etc.

Patriarcha incipit orationem. Sancte qui majestatem tuam in Sinai repraesentasti etc.

Oratio incensi. Ad honorem majestatis tuae excelsae super omnia per naturam suam offerimus odoramenta ista; ut cum fumo incensi hujus ascendat: et ex profundo terrae libaniticae, ex intimo mentis affectu, offeruntur ad placandam majestatem tuam. Tu igitur, benigne et amator hominum, per largitionem donorum tuorum divinorum animas nostras peccatis inquinatas munda et sanctifica, et istum qui per nos vocatus est perfice et conserva per gratiam tuam, et cum talenti a majestate tua illi commendati conservatione ejusque augmento et duplicatione conspicua, alia addantur illi et nobis, praesentibusque et absentibus; gloriamque honorem et adorationem referemus tibi et Patri tuo, et Spiritui tuo vivificanti nunc etc.

Sacerdos inclinatus. Domine Deus virtutum, p. 80. Et suscipe in pontificem.

Populus. Amen.

Episcopus. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Unus episcoporum proclamationem sequentem facit. **Gratia divina, quae infirmitates sanat, et defectus supplet, cuique cura est ecclesiarum, vocat et ordinat N. Dei amantem sacerdotem prope astantem ad episcopatum N. urbis benedictae. Oremus igitur omnes, ut veniat super illum gratia et illapsus Spiritus Sancti, clamemusque et dicamus ter: Kyrie eleison.**

Patriarcha secreto. **O Domine dignum illum fac vocatione episcopali, ut mereatur per clementiam erga homines tuam, sicut convenit nomini tuo, servire tibi et altari tuo sancto: pascatque pabulum tuum: cum pietate, sanctitate et justitia.** ***Elevans vocem.*** **Et consequatur haereditatem sanctorum tuorum: per miserationes unigeniti Filii tui; per quem et cum quo te decet**

gloria, honor et imperium, cum Spiritu tuo Sancto tibique consubstantiali: nunc etc.

Populus. Amen.

Patriarcha ter manus demittit super corpus, ter quoque super calicem, ex quibus accipit dona ambabus manibus simul conjunctis: convertiturque ad eum qui ordinatur. Interea duo episcopi tenent evangelium apertum super caput electi. Apertum est autem eo loco ubi scriptum est: Spiritus Dei super me: et misit me ad praedicandum; *aut ad finem evangelii secundum Lucam, ubi est lectio Ascensionis. Patriarcha elevat manus eisque benedicit. Evangelium elevatur ita ut tegat manus patriarchae, qui movet illas: et episcopi attollunt evangelium super manus ejus, quoties eas deprimit. Et post tertiam motionem imponit patriarcha dexteram super caput ejus qui ordinatur; sinistram motans in modum circuli super ejusdem caput. Interea cum quiete et silentio tenent episcopi evangelium super caput ejus. Patriarcha dicit hanc orationem invocationis Spiritus Sancti secreto. Interea clerici dicunt unum ex responsoriis Pentecostes.* Misit Deus gratiam suam et veritatem suam.

Deus qui omnia fecisti per potentiam tuam, et fundasti orbem per voluntatem Unigeniti tui, qui largitus es nobis intelligentiam veritatis, quique manifestasti nobis Spiritum tuum benignum, Spiritum Sanctum principalem: qui dilectum Filium tuum Deum Verbum Jesum Christum Dominum gloriae dedisti pastorem et sanatorem animarum nostrarum: quique per sanguinem ejus pretiosum constituisti Ecclesiam tuam, omnemque ordinem sacerdotalem in ea instituisti; dedistique nobis qui nos dirigerent, ad placendum tibi per cognitionem nominis Christi tui: illa vero multiplicata est, et glorificata per orbem universum. Tu mitte super servum tuum istum Spiritum tuum Sanctum et principalem, eo fine ut pascat et administret Ecclesiam tuam, quae ejus fidei commendata est: sacerdotes constituat, diaconos ungat: consecret altaria et ecclesias: domibus benedicat: vocationes ad opus (ecclesiasticum) faciat: sanet et judicet; salvet et liberet: solvat, liget, exuat et segreget; omnem denique potestatem sanctorum tuorum da illi, eam scilicet quam dedisti Apostolis unigeniti Filii tui, ut sit pontifex gloriosus cum honore Moysis, in gradu Aaron, in virtute discipulorum tuorum; in operibus Jacobi sancti tui, in solio patriarcharum: ut stabiliatur et confirmetur populus tuus, oves haereditatis tuae, per istum servum tuum. Da illi sapientiam et intelligentiam, ut doceat voluntatem majestatis tuae: ut agnoscat peccata, sciatque regulam justitiae, et judicia: res difficiles solvendi modum inveniat, et dissolvat omnia vincula iniquitatis.

Et conversus ad occidentem, elevansque vocem. Quia tu es dator bonorum, largitor scientiarum maximarum, donorumque divinorum, tibique gloriam referimus Patri, Filio et Spiritui Sancto; nunc etc.

Patriarcha. Pax vobis omnibus.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Tunc episcopi tollunt evangelium, quod tenebant super caput ordinati.

Patriarcha dicit secreto. Aspice in nos Domine et in ministerium nostrum, et munda nos ab omni macula, dans de coelo gratiam pontificalem servo tuo isti: ut munere tuo mereatur inculpate regere populum tuum, et stare pro Ecclesia tua. *Elevans vocem:* quia Deus volens

misericordiam tu es, et ab omnibus tibi debetur honor et adoratio, et Filio et Spiritui Sancto; nunc etc.

Patriarcha conversus ad occidentem signat eum qui ordinatur dicens. Ordinatur in Ecclesia sancta Dei. *Unusque episcoporum prosequitur dicens,* N. episcopus ecclesiae sanctae urbis aut loci benedicti N. *Patriarcha clamat.* N. episcopus ecclesiae sanctae loci orthodoxi prius nominati, in nomine Patris. Amen. Et Filii, Amen. Et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen. *Ad unamquamque invocationem signat eum in fronte signo crucis.*

Ordinatus surgit tenente eum manu dextera patriarcha. Unus episcoporum dicit: Κύριε εὐλόγησον. *Patriarcha induit ordinatum χιτωνίῳ, et alba: tum imponit illi cidarim, et orarium dicens.* Ad laudem et honorem Trinitatis sanctae et consubstantialis: ad tranquillitatem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Postea collocat illum super thronum facie ad occidentem conversa: jubetque patriarcha illum ter ascendere et ter descendere simulque cum eo episcopos; clamans ad singulas vices Ἄξιος.

Cum vero sedet super thronum, unus episcoporum legit evangelium Joannis. Amen Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile, *usque ad illa verba:* et fiet unum ovile.

Unus episcoporum incipit orationem generalem seu Catholicam. Stemus decenter in oratione etc. Pro Ecclesia sancta, unica, catholica et apostolica, quae est a finibus usque ad fines orbis, Domino supplicemus. Pro congregatione ista: Domino supplicemus: ut absque offensione, sed cum ejus gratia sit haec electio: Dominum deprecemur. Pro episcopo isto astante: Dominum deprecemur. Pro firma illius perseverantia in timore Dei per Spiritum Sanctum: Dominum deprecemur. Ut placeat Deo Sancto: Dominum deprecemur. Pro ecclesia illa a Deo commendata: Dominum deprecemur. Ut vitam suam praeclare agat, cum mansuetudine, humilitate, doctrina orthodoxa: Deum obsecremus. Ut mereamur omnes digni fieri superna vocatione: Domino supplicemus.

Patriarcha dicit secreto orationem sequentem gratiarum actionis. Gratias agimus tibi Domine omnipotens, in omnibus et de omnibus; laudamusque et glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum, et effudisti gratiam tuam super servum istum tuum: rogamus te et obsecramus te Domine: exaudi nos, propter multitudinem miserationum tuarum, et placitam habe ordinationem istam pontificalem factam super servum tuum venerabilem N. per adventum Spiritus tui Sanctissimi. Adjunge vocationi electionem, sanctitatem et gratiam bonitatis tuae: elige nos et illum in bonum, et da illi supra talentum quod accepit. *Elevans vocem:* ut cum omnibus, qui a saeculo perfecerunt voluntatem tuam, accipiat mercedem oeconomorum fidelium et prudentum gregis tui spiritualis illi commendati: ornans illum instrumentis pastoris electi et solertis regiminis; et complanans coram eo sentes omnes et offendicula; per orationes Genitricis Dei Mariae, Apostolorum divinorum, Patrum sanctorum, mystarumque orthodoxorum, in saecula. Amen.

Statim episcoporum unus alta voce pronuntiat litaniam sequentem: clerus omnis suo quisque ordine in silentio dispositus est coram mensa vitae.

Stemus decenter et in oratione ad eum, qui in personis quidem et

proprietatibus εἰκονικαῖς, distincte seu indivise, trine agnoscitur; in aequalitate vero substantiae, natura, honore, potestate una divinitas, unice intelligitur et creditur. Pater aeternus a saeculo; Filius genitus sine initio et Spiritus Sanctus, quantitate non tolerabilis: unitas unica quae in trinitate adoratur, et trinitas quae in unitate ab omnibus naturis intelligentibus et sensu praeditis celebratur. Rogamus te Christe Deus noster, cui in excelsis sublimibus sedes fixae et throni firmi serviunt cum timore et tremore nec audent tamen aspicere in adytum essentiae ejus: qui super terram pontifices nostros ad sui consortium assumere dignatus, ut sacerdotale officium omnibus sublimius decenter fungendo gaudeant, et in manibus suis illum ferant, cujus nutu coelum et terra subsistunt. Petimus a te Christe Deus noster, qui cum Patre permanes et cum Spiritu Sancto substantialiter divinitas es, et principium lucis efficax quae divinos facit: qui propter amorem erga homines tuum cum hominibus conversatus, et pontifex noster appellatus es: ministeriumque istud pontificale hominibus terrenis commisisti, et eos, qui sacerdotio funguntur, quique pontificatum coelestem suscipiunt, divinitus consecrantes eos qui super terram sunt effecisti: tibi supplicamus. Tu qui piscatores sapientes fecisti, et illiteratos praeclaro decursu apostolico illustres et magnos fecisti, episcopum hunc quem elegisti ad pascendum gregem tuum, dirige et sapientem effice donis tuis divinis ut flumina spiritualia secundum promissionem veracem tuam, et gregi tuo spirituali per fluenta aquarum potum spiritualem praebeat. Supplicamus. Tu qui Apostolos tuos sanctos in similitudinem solis orbi universo exhibuisti, totamque terram reti doctrinae suae piscati sunt, et ad lumen verum theologiae adduxerunt. Tu episcopum istum splendore sublimi doctrinae illorum instrue, ut eos, qui in tenebris ignorantiae sedent, illuminet et ad lucem scientiae adducat. Supplicamus. Pro tranquillitate et pace. Praesta nobis Christe Deus noster etc. Pro sacerdotio isto mystico, quo nos dignatus es per adventum Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; cum quo te decet gloria, honor et imperium; cum Spiritu tuo Sanctissimo et bono, adorando, vivificante tibique consubstantiali nunc etc.

Patriarcha hoc loco tenens manu eum qui ordinatus est, constituit eum ad dexteram throni, coramque altari ascendere jubet, apprehenditque baculum pastoralem dextera sua in parte superiori, idemque singuli episcopi faciunt ordine suo: ultimus vero, qui ordinatus est: clamatque patriarcha, subsequentibus episcopis ter. Virgam roboris mittat tibi Dominus ex Sion, et dominetur inimicis tuis.

Postea aurem suam inclinat patriarchae, qui secreto ita eum alloquitur.

Ecce coram Deo stas, et coram ejus altari propitiatorio, et coram coetu angelorum sanctorum, hominumque circumstantium, coram quibus verbis conceptis (pollicitus es?), quod vere firmum esse debet testimonium morum sanctorum, quos exigit a te vocatio evangelica ista, ad quam vocatus es per manus tenuitatis nostrae. Idcirco testor ego de te Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, coetumque angelorum, ut serves te ipsum pure et sancte, sisque attentus gregi huic qui tibi commissus est, dans operam, ut quantum poteris pascas illum juxta legem apostolicam, absque personarum acceptione, neque per munera Deum vendens; neque accipiens quidquam pro chrismate, aut pro altaris tabula, aut pro ordinatione, atque ex tali mercimonio reus fias male gesti ministerii tui: et ne

quidquam horum tibi contingat, Deum oramus. Quod si ausus fueris comprimere animi tui conscientiam, fidemque a te datam pervertere, aut deturpare ordinem apostolicum, reddes rationem Deo in die judicii, et nos criminis tui immunes erimus. Det igitur tibi Dominus, ut exhibeas teipsum hostiam puram et sanctam: gregique, ut per te floreat et crescat moribus puris et sanctis, Deumque et tenuitatem nostram laetifices per conservationem sanctam gratiae apostolicae quam suscepisti.

Alia oratio super ordinatum.

Deus qui elegit Moysem servum suum, et per virgam, quam habebat in manibus, fecit signa et prodigia in terra Aegypti, qui etiam Davidem elegit de post oves foetantes, ut pasceret Jacob populum suum et Israel haereditatem suam; qui Apostolos divinos elegit et fecit eos praecones annuntiationis evangelicae, perque illos operatus est signa praeclara et omnis generis miracula, ipse apprehendat dexteram tuam et pascat tecum. Et quamvis indigni simus, mereamur fungi sacerdotio, quod est perfectio summarum perfectionum effectrix: et in Ecclesia primogenitorum coelesti et splendida sacerdotio fungamur: laudationemque aeternam cum exultationibus angelicis offeramus: cumque omnibus sanctis spirituales choreas agendo clamemus et dicamus ter: Kyrie eleison.

Oratio, quam ante ordinationem episcopus praelegere ordinandis circumstantibus debet.

(Ex codice Florentino vertit Renaudotius in opere MS. de ordinationibus p. 37. sqq.)

Omnes qui vocantur a Deo, per vocationem Spiritus Sancti, ut suscipiant donum istud magnum et coeleste ministerii hujus angelici et sacerdotalis, quod desursum descendit a patre luminum, juxta verbum divinum Jacobi Apostoli, oportet illos, fratres carissimi, bona et divina mutatione transformari: mutatos et recedentes ab operibus dissolutis, et actionibus carnalibus, ut exuant, abstergant et rejiciant a se vetustatem omnem et rubiginem, sordesque operum malorum: purgatique per poenitentiam et renovationem vitae purae, cum moribus praeclaris, nihil secum afferant materiale aut corrumpens ex carnalibus rebus saeculi hujus: scilicet desideria voluptatis et nequitiae plena, illecebrasque sensuum, quae qer visum, auditum, odoratum, gustum et tactum superant et dissolvunt firmitatem animae. Vere purgati et abstersi perfecte, cum omni cura et amore operum (bonorum) studio etiam profectus animarum, corporumque vestrorum, ab omni macula carnis et spiritus: perfecti quoque singulis horis evadentes per continentiam, sanctitatem, vitae honestatem et timorem Dei, ex tota anima vestra, totaque mente vestra studeatis similes fieri Deo, quantum hominibus infimis et terrenis possibile est Deo esse similem, ad cujus tamen imaginem et similitudinem creati et formati sunt. Praecipue vero vobis convenit, ut honeste, et in observatione disciplinae perseveretis secundum formam angelorum sanctorum; ut qui circumdatis pretiosum corpus cum timore, tanquam ministri Dei, et oeconomi prudentes; tenentes verbum vitae et induti Deo Verbo, pontifice illo magno, qui fecit coelum et terram: ornati vestimentis divinis et sacerdotalibus, ornamentisque spiritualibus et gloriosis in similitudinem Aaron. Ezechiel autem propheta dixit, sacerdotem id-

circo constitutum esse tanquam speculatorem, ut tuba insonet praemoneatque de calamitatibus futuris. Idcirco judicium effugere non potest, si vel unica anima pereat per illius negligentiam. Quare oculos multos et cognitionem exactam habere oportet sacerdotem, ut non solos defectus suos investiget et coerceat, et multa alia similia quae reprehensioni subjecta inveniuntur, sed etiam aliorum errata scrutari et emendare lumine scientiae suae: ut dimittat negotia saecularia neque illis gerendis se implicet, plus quam illi qui in mundo versantur: sed ab illis procul sit in opere, sicut qui in verticibus montium habitant: ut habeat sermonis facultatem copiosam, ad doctrinam cujuscunque, qui ab eo doceri postulabit, ejusque defensionem: ne ex illius inscitia fidei detrimentum creetur: sit etiam verbo et moribus praestans prae omnibus, qui sub illo sunt, tanquam lux micans e tenebris. Necesse etiam est ut misericordiam quam maximam habeat, quae est imitatio Dei, utque in se suscipiat dolores et afflictiones eorum qui subjecti sunt, tanquam sibi ipsi proprias. Potestatem magnam sibi collocatam accipiens ad puritatem magnam tenetur. Quodcunque ligaveritis super terram erit ligatum in coelis: virtutibus coelestibus tale ministerium commissum non est, quia sunt administratorii Spiritus, missi ad ministerium eorum qui haeredes vitae futuri sunt. Sacerdotium mandatum est; quod licet in terra administretur, gradus ejus et potestas in coelis est. Neque enim aurum vel argentum sacerdotis fidei commissum est, aut dispensatio negotiorum transeuntium et materialium; sed super corpus Christi, et animas christianorum. Ecclesia quippe corpus est Christi, sicut dicit Paulus, et nos omnes alter alterius membra; et caput omnium nostrum Christus, tanquam Sapientia. Itaque exigitur a sacerdote, ut per illam regat corpus Christi et per illam sana praestet in Spiritu membra Christi, ne magnum ipse periculum incurrat, membra Christi abscindens et perdens ob negligentiam administrationis sibi commissae. Nam quibus principatus et custodia urbium committuntur, nisi diligentes et prudentes sint, perdunt seipsos et civitates suas: quanto magis quibus principatus sacerdotii commissus est, necesse est sapientiam habere et mores recte compositos. Potestatem quidem habent judices mundi hujus, ut ligent; sed corpus tantummodo ligant: vinculum autem sacerdotum ligat animas, et ad coelum usque pertingit, et quodcumque ligant hic inferius, Deus supra confirmat: dixit enim: Cui dimiseritis peccata sua, remittentur ei: et cui retinebitis retinebuntur*). Oportet praeterea sacerdotem esse vigilantem, et tanquam luminare quacunque convertere aspectum suum intellectualem, quasi multos oculos habeat: neque ad se ipsum solum, sed ad plures alios. Oportet etiam ut undequaque sit armatus, quasi lapide adamantino, sedulitate, vigilantia, cautaque prudentia, ne locus inveniatur, quo vulnerari possit et letale vulnus accipere. Anima sacerdotis radiis solis splendidior esse debet, ne derelinquat illum Spiritus Sanctus, remaneatque auxilio destitutus. Talis porro sit, ut possit dicere: Vivo ego, non ego, sed vivit in me Christus. Eum autem qui invocat Spiritum Sanctum, qui celebrat sacrificium istud terribile, offertque manibus suis Dominum omnium creaturarum, dic mihi quomodo illum cuiquam

*) Cf. Chrysostomum de sacerdotio l. 3. n. 5.

comparabimus, et quantam puritatem et sanctitatem hoc exigit. Reputa quales esse oporteat manus quae illud ministerium operantur: et qualem linguam illis qui haec verba pronuntiant: et quam puram oporteat esse animam, quae tanta illa gratia digna facta est. Eo enim tempore angeli stant ad latus sacerdotis: et coelestibus (spiritibus) totum repletur altare, qui descendunt ad honorem exhibendum Domino suo mactato et sacrificato. Mihi quoque vir quidam narravit, vidisse se eo ipso tempore subito turmas multas angelorum vestitorum stolis splendidis, circumdantium mensam sanctam inclinato ad terram usque capite *). Ea propter vos estis lux mundi: vos estis sal terrae, dixit Dominus sacerdotibus; quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet, nisi ut projiciatur foras, et conculcetur ab hominibus. Si ergo sal, quod est condimentum, ea, quae saliuntur ipso, conservat, si corruptum fuerit, quid supererit illis quae eodem purganda erant. Idcirco praecepit Apostolus Paulus hunc in modum et dixit: oportet sacerdotem purum esse et irreprehensibilem, tanquam dispensatorem domus Dei, non gubernantem ex proprio arbitrio, non iracundum, non multo vino deditum: non manu promptum ad percutiendum, nec esse lucri turpis per negotiationes cupidum; sed amantem peregrinos et pauperes, sobrium, justum, sanctis moribus, continentem se a cupiditatibus. Igitur quicunque in ordine sacerdotum sanctorum constitutus non conservat depositum, quod ejus fidei a Deo commissum est, audiat verbum Dei qui dixit: Tu rejecisti scientiam meam, et contempsisti mysteria mea: et ego quoque rejiciam te a sacerdotio sancto. Itaque dilecti mei, attendite, ut operam detis ministerio Dei cum omni puritate, sanctitate et attentione; neque declinetis ad dexteram vel ad sinistram a via regia. Volo etiam ut unusquisque vestrum sciat, ad quale ministerium accedit, ut sit probatus apud semetipsum, ne sit illi in condemnationem ministerium istud, ad quod oblatus est, ut illud susciperet a Christo Deo nostro pontifice magno, ut sciatis etiam vos sacerdotes et diaconi, cum omnibus qui in clero sancto sunt, oportere ut juxta regulas et canones Apostoli Pauli sitis puri, sine macula, inculpati in omnibus, tenentes mysterium fidei in conscientia pura; curam habentes doctrinae timoris Dei possint consolari per doctrinam sanam, et eos qui contradicunt arguere, in omnibus praeclarum exemplum exhibentes. Ne usuras accipiatis, neque foenus exerceatis; neque pignori detis, aut pignus capiatis; neque indulgeatis ebrietati, aut fornicationi, utraque enim valde abominabilis est coram Deo, et ejus iram provocant: ut neque mendacium vel furtum committatis. Omnis gradus inter vos quicumque honorem debitum digniori se tribuat; perficiatque ministerium suum absque macula, cum timore Dei. Caute servate donum hoc quod accepistis, ne peccetis, et contristetis Spiritum Dei, in quo signati estis ad diem salutis, et amittatis fiduciam illam, quam magna merces consequitur. Nullus ex vobis festis Muhamedanorum, aut Judaeorum participet: neque utamini incantationibus, divinationibus, aut quae vulgo dicuntur amuletis; nam a lege Dei reprobantur, qui talia agunt. Scitote etiam vos sacerdotes Domini, oportere ut pure et modeste stetis coram altari sancto, cum offeretis sacrificia et munera spiritualia:

*) Ex Chrysostomo de sacerdotio l. 6. n. 4.

cum baptizabitis, et illuminabitis doctrina divina populum Domini. Audistis igitur, quid sit sacerdotium, quantave sit sublimitas ejus et auctoritas: quantumque periculum ex eo impendeat illis, qui cum negligentia ad illud fungendum accedunt. Quod si ad illud accedere desideratis, cavete ne postmodum in desperationem decidatis ob magnitudinem ministerii, et blasphemetur nomen Dei propter vos: neque vos solos reos faciatis sed animas etiam fidelium, et me infirmum, per cujus manus promovemini ad gradum istum sacerdotii. Deprecamur autem Dominum, qui arbiter est munerum donorumque spiritualium, ut aperta facie reddatis ei rationem hujus doni coelestis in novissimo die, cum omnibus sacerdotibus, qui observaverunt leges et mandata ejus, et ministris, qui perfecerunt voluntatem ejus per opera virtutum, in saecula saeculorum. Amen.

Postulamus etiam a vobis, ut confiteamini unum Deum Patrem omnipotentem: et unum Dominum Jesum Christum, Deum super omnia, et unum Spiritum Sanctum Deum, ex quo omnia; Trinitatem sanctam et consubstantialem. Unus est enim (Deus), qui in tribus proprietatibus immutabilibus: non esse genitum, esse genitum, et procedere intelligitur. Neque est una persona ut dixit Sabellius, neque in ea Trinitate est aliena substantia, sicut dicunt Tritheitae; neque aeternitas et tempus, sicut placuit Eunomio: neque creatura, ut dixerunt Arius, Eunomius et Macedonius; neque elevatio et descensus juxta insaniam Apollinarii: sed illa ipsa Trinitas aequalis est in gloria, aequalis in aeternitate, aequalis in regno: una divinitas: una majestas, una operatio, una virtus, una voluntas, unus honor: una (persona) illius essentiae sublimis, quae est Deus Verbum, per voluntatem suam ut et Patris et Spiritus Sancti descendit de coelo, et incarnata est ex Virgine Sancta Genitrice Dei Maria (assumpta) carne naturae nostrae, animata anima vivente, rationali et intelligente: ita ut non prius formatum fuerit templum, in quo habitaverit, ut dicunt discipuli Diodori: neque sustinuit mutationem aut mistionem, ut existimaverunt Eutyches et Julianus: neque supplevit divinitas locum animae et mentis, ut dixit Apollinarius, neque de coelo descendit ipsi corpus, ut dixit Valentinus cum Bardesane: neque ex operibus suis justificatus est, habitavitque in illo Deus, secundum opinionem Pauli Samosateni: neque duo sunt post unionem, ut praedicavit Nestorius, sed unus est Filius, unus Dominus, unus Christus, una persona, una natura Dei Verbi incarnata*), qui passus est pro nobis in carne, et resurrexit in carne, et ascendit in coelum in carne, et venturus est de coelo in carne ut judicet vivos et mortuos. Ita scilicet praedicaverunt nobis duodecim Apostoli sancti et septuaginta duo eorum discipuli. Suscipitis igitur nobiscum fidem orthodoxam synodi CCCXVIII patrum sanctorum, qui congregati sunt in civitate Nicaea Bithyniae. Suscipitis et illam synodum patrum, quae Constantinopoli congregata est; et illam quae Ephesi. Nostis quoque illos doctores sanctos, et patres et omnes qui ante tres

---

*) Utinam verum sensum S. Cyrilli Alexandrini, a quo hunc loquendi modum pro fidei tessera sumpserunt, potius sequerentur, quam suorum haeresiarcharum, quorum tantum numerum hic laudant. Non dixit S. Cyrillus: μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένου, sed σεσαρκωμένην.

illas synodos et post illas conservaverunt eamdem fidem, et pro illa certaverunt, a tempore Apostolorum sanctorum ad hanc usque diem: nominatim vero et praecipue Jacobum episcopum sanctum, Apostolum divinum testemque veritatis, deinde Linum Romae, Anacletum et Clementem Romae: Timotheum Ephesi, Titum Cretae, Ignatium Antiochiae, Polycarpum Smyrnae, Dionysum Athenarum, Hippolytum, Julium, Anatolium Romae, Petrum, Alexandrum, Achillam Alexandriae, Gregorium Neocaesareae, Basilium Caesareae, Gregorium Theologum Nazianzi, Gregorium Nyssae, Meletium Antiochiae: Dionysium Alexandriae: Eustathium Antiochiae, Nectarium Constantinopoleos, Joannem Constantinopoleos, Theophilum et Timotheum Alexandriae: Amphilochium Iconii, Cyprianum Carthaginis, Cyrillum Alexandriae, Proclum Constantinopoleos, Dioscorum Alexandriae, Epiphanium Cypri: Theodotum Ancyrae, Alexandrum Constantinopoleos, Irenaeum Lugduni, Methodium Olympi, Severum Antiochiae, Philoxenum Hierapoleos, Anthimum Constantinopoleos, Theodosium Alexandriae, Athanasium Antiochiae: Jacobum patriarcham discipulum Jacobi Baradaei, Petrum patriarcham, Petrum Julianum*) Theodorum: Ephrem, Isaac, Jacobum doctores, Jacobum Edessenum, et Barsumam. Rogamus ut illos sequamini et diligatis, doctrinasque illorum puras et probatas diligatis et amplectamini ut omnia etiam, quae fecerunt in Ecclesia sancta Dei, ab initio episcopatus eorum usque ad vitae suae finem, sive in canonibus, sive in scriptis, sive in decisionibus, aut depositionibus. Suscipitis etiam cum illis patres nostros D. N. et N. patriarchas. Non sitis rebelles adversus Deum, per opera vestra mala et flagitiosa, sed estote coram Deo et angelis ejus electi et sancti. Homines, qui in hoc saeculo praeclare se gesserunt, mediatores et vades constituo inter me et vos, si quid transgrediamini aut mutetis illorum, quae vobis commendo: et scitote, quod quocunque die mutabimini sive seminantes doctrinam alienam, sive scindentes Ecclesiam Dei, sive quidquam molientes adversus aliquam synodorum sanctarum: sive plebes tumultuarie colligetis adversus aliquem episcoporum fratrem nostrum, aut rebelles sitis adversus eum aut adversus tenuitatem nostram, abscissi eritis et ejecti et excommunicati ab universa Ecclesia sancta; neque vobis erit quidquam ex dono illo, et alieni eritis ab Ecclesia Dei. Ecce coram Deo et coram Christo ejus contestor ego vobis: Servate canones apostolicos et istam confessionem, quam vobis trado, et scitote quod hoc signum crucis, quod mox suscepturi estis a tenuitate mea, testimonium erit et pignus inter me et vos in die judicii, si transgressi fueritis quidquam eorum quae doceo vos. Sed coram Deo et universa Ecclesia testor vobis, quod, quacunque die obsistetis voluntati meae, procul fietis ab Ecclesia, et alieni eritis a dono isto; quae omnia decident super illos, qui periculum in se susceperunt. Dominus praeservet nos et vos simul a damnatione coram illo, detque nobis et vobis, ut cum fiducia reddamus talentum spirituale, dupliciterque multiplicatum offeramus lucrum ejus: audiamusque vocem illam Dominicam: Venite, intrate benedicti Patris

---

*) In nota animadvertit Renaudotius, hunc non esse Halicarnassensem, Phantasiastarum haeresiarcham, a quorum errore sane abhorrent Jacobitae, et quem supra rejicit episcopus.

mei, haeredes estote regni coelorum. Haec omnia fiant et perficiantur per orationes Genitricis Dei et Sanctorum omnium. Amen.

Hic qui ordinantur levant capita sua, praecipitque illis (patriarcha vel episcopus) ut signum crucis chartae imprimant. Pontifex vero vel synclitus) ejus scribunt nomina eorum et altarium, ad quae ordinantur. Completa ordinatione inclinantur coram mensa vitae, unusquisque secundum ordinem suum, et sic illos pontifex alloquitur.*

Venite, dilecti mei, sicut prius dixi vobis, ut cum timore et tremore, sicut convenit et oportet, accedatis ad altare sanctum, et ad ministerium mysteriorum divinorum, et cum cogitationibus puris et honestis ascendatis ad locum altaris Dei, non cum audacia, et temeritate, superbia aut animi elatione: nullusque inter vos retineat odium et inimicitiam adversus socium suum. Verum in habitu praeclaro, et modestia quae sacerdotes decet, ascendere ad altare, et tractare mysteria sancta. Praeter ista observare quoque vos oportet, ne intra altaris septum procedatis nisi detecto capite; et vos diaconi sine orariis: neque ponatis quidquam super altare, nisi quod convenit, neque edatis in eo quidquam, praeter corpus et sanguinem Christi Dei: neque edatis aut bibatis in cauponis, aut per symbolas: neque exponatis vos reprehensioni hominum saecularium. Ne imponatis canonem poenitentialem cuiquam inique, et ex animi affectu, sed ut scriptum est: Justum judicium judicate. Ne frangatis hostiam, aut calicem misceatis contemptim et negligenter, quocunque modo, sed diligenter, et cum munditie. Quaecumque facietis, praecipue in ministerio isto, cum timore et tremore facite, ut prius diximus, cogitantes et scientes, quod Deus intuetur et observat vos, ipse qui scrutatur corda et renes; quique retribuit unicuique secundum ea quae egit manifeste et occulte, sive bona sive mala, quemadmodum scriptum est. Quandocunque aliquis vestrum manet in altari ad quod ordinatus est, quocumque proficiscatur licet ei ministerio fungi in ordine suo. Quod si quis ex vobis reliquerit altare suum, migraverit in alium locum, non licet ei ut sacerdotii vel diaconatus ministerium exerceat, nisi ex concessione episcopi, aut chorepiscopi loci illius. Quandocumque retinueritis fidem hanc veram, agnoscemus vos tanquam sacerdotes aut diaconos. Si vero, quod absit, quispiam vestrum in quamcunque haeresin inciderit, significamus, cum illo nihil nobis commune esse circa sacerdotium quod accepit. Deus praeservet nos ab haeresibus et ab omni malo, per orationes Sanctorum. Amen. Deus det vobis, ut illud quod accepistis, sit illi acceptum, ad augmentum fidei verae, ad aedificationem Ecclesiae sanctae Dei: ad bonorum affluentiam, ad salutem vitae vestrae, et ad consummationem praedicationis evangelii in saecula. Amen. Fili, scito te stare coram Deo qui scrutatur corda et renes, quodque illi ministras, non homini mortali et corruptibili. Memento cum ascendes ad altare, ne te extollas, aut intus ex animo superbias: aut despicias mysteria divina, quae administras, aut vasa sancta, quae sunt symbola ornamentorum tabernaculi illius spiritualis, quod non aufertur. Cum

*) **Synclitus, teste Renaudotio in notis MS., ex Isae Bar Hali lexico, est consiliarius, assessor principis, Vezirus. Idem igitur esse ait, quod ecclesiastico idiomate σύγκελλος.**

etiam oblatum infers, aut purificationem, aut abstergis vasa sacra, ne committas, ut per negligentiam tuam decidat quidquam ex membris corporis sancti, aut ex benedicto pane, post susceptionem mysteriorum, gratia enim Filii Dei est super illum. Timore magno et tremore indue te o homo, ne propter negligentiam tuam veniat super te sententia dura et acerba, condemnerisque sicut condemnatus est Baltassar, cum contemptim tractasset vasa ministerii legalis. Haec ut observes admoneo te coram Deo et angelis ejus, et coram altari hoc sancto. Quod si transgressus fueris ea quae monui et praecepi tibi, dabis Deo rationem magnam in die judicii, et ego culpae immunis ero.

Altera formula admonitionis auctore Jacobo episcopo Miafarekinae.

(Ex codice Florentino versa a Renaudotio in opere MS. de sacris ordinationibus p. 45. sq., qui de ea ait: In codice Mediceo sequitur alia formula admonitionis ad ordinandos, auctore Mar Jacobo, episcopo Miafarekinae. Quia vero prima ejus pars tota est de dignitate sacerdotii, et circa finem hiatus occurrit, ex ea excerpere visum est, quae ad fidei Jacobiticae professionem spectant, quod nonnulla habeat quae in praecedenti formula non exstant.)*)

Ante omnem speculationem et operationem opus est serves fidem veram et intemeratam, quae a Domino per evangelia illius sancta venit, et tradita est Ecclesiae ipsius sanctae per mediationem Apostolorum ejus sanctorum et beatorum: cui etiam omnes doctores et patres orthodoxi adhaeserunt, quamque tradiderunt et docuerunt. Ea autem est confessio et fides in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, qui sunt tres personae perfectae et non confusae; sed sunt unus Deus et una natura; una divinitas, una substantia. Neque divinitas aliud est quam personae, neque illae personae aliud quam divinitas. Et quidquid animo concipiamus, et quidquid dicatur, unaquaeque trium illarum personarum, secundum appellationem propriam, illam Deum, naturam, substantiam et Dominum (eumdem) esse credere et confiteri debes. Iterum post articulum illum theologiae laudandae et vivificantis, confiteris nobiscum, credesque occulte in mente et animo, oreque et sermone palam confiteberis, quod una personarum illius Trinitatis sanctae, scilicet Verbum et Filius aeternus Patris aeterni, per voluntatem suam et Patris sui et Spiritus sui Sancti venit misericorditer ad nos, non remotus tamen a secreto sinu Patris sui incomprehensibilis: neque localiter; et incarnatus est de Spiritu Sancto ejusdem cum illo substantiae, et ex Maria, quae erat ex

---

*) Eadem exhortatio in duplici codice Goano a Morino adhibito erat, qui ex ea duplicem locum allegavit in praefatione ad ordinationes Jacobitarum et sunt hi: Ex utero unitus est, usque ad: in duabus naturis, et alter: Primum Petrus Apostolorum coryphaeus, usque ad: Severus os omnium doctorum. Erat et altera quaedam exhortatio in utroque Morini codice, quae eadem videtur ac ea, quae in Florentino prima est, uti et in antiquiore codicum illorum prior erat.

genere David et Abraham, assumens carnem animatam et intelligentem, non quae prius subsisteret, secundum insaniem haereticorum. Atque ita univit illam sibi ab illius utero, personaliter et naturaliter: et inde est Deus incarnatus: atque una natura, ut etiam una persona: non duae naturae, neque in duabus naturis, secundum impietatem Nestorianam. Atque ita confiteberis et credes indubitanter hanc fidem veram. Consenties etiam nobiscum tanquam discipulus et sectator non errans Apostolis sanctis, qui illam praedicaverunt: patribusque et doctoribus, qui illam confirmaverunt. Primo Petrus vertex apostolicus*) et Apostoli collegae illius omnes, tum post illos evangelistae. Deinde Ignatius ille igneus: Dionysius ille magnus. Julius ille celebris: magnus Athanasius et sublimis: Basilius, Gregorii duo magni: Joannes et Cyrillus praecones: Dioscorus confessor: Severusque os doctorum omnium et cum illis tanquam haeres ministerii et throni N. patriarcha noster hodie, et ego imbellis, qui virgam pastoralem teneo istius provinciae. Rejicies igitur universim sicut nos, juxta decretum anathematis dominici, omnes infideles, Magos, Judaeos et haereses quae diversis temporibus fuerunt: singulariter vero Simonem magum, Bardesanem, Arium Alexandrinum, Sabellium Lybem, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, et omnes qui illis consenserunt aut consentiunt. Paulum etiam Samosatenum, Theodorum, Diodorum, Theodoretum, Ibam, Nestorium et ejus discipulos, omnes tandem, qui de Incarnationis mysterio impie senserunt vel sentiunt. Eodem modo damnabis et anathemati dominico subjicies congregationem omnem quae fuit Chalcedone, et eos qui illi consenserunt aut consentiunt; nominatim vero Leonem Romanum, qui fuit propugnator illius haeresis de duplicitate naturarum, similiter et simul cum illis Julianum Halicarnasseum phantasiastam, et Eutychen falso nomine appellatum. Iterum cum illis ante et post illos, etiam Barsumam, Persam illum Nisibenum, et canones ejus impuros, abominandos et reprobandos**); ut etiam renovationem circum-

---

*) Nota insignem locum, qui etiam in duplici codice Morini occurrit, quo B. Petrus dicitur vertex apostolicus sive Apostolorum coryphaeus. Sed et supra in Sedra, quae est in ordinatione presbyteri p. 88. et episcopi p. 95. et in collectione canonum I. can. 65. (T. I. p. 482.) dicitur S. Petrus princeps Apostolorum. Vides, quomodo ad latus impii anathematis in S. Leonem jacti reliquiae doctrinae de primatu deprehendantur apud istas nationes.

**) Barsumas iste non is est, quem inter Sanctos numerant Jacobitae, monachus nefarius, damnatus in concilio Chalcedonensi, sed metropolita Nisibenus Nestorianus, qui haeresim suam in Mesopotamia valde propagasse dicitur ab Eutychio Alexandrino, qui tamen ob flagitiosum cum moniali Mamnia, sive ut alii scribunt Babuia, matrimonium, novamque, quam de maritandis ecclesiasticis, etiam episcopis, promulgavit legem, a suis Nestorianis probris omnibus confixus est. Cumque ob illius potentiam et auctoritatem canonico judicio puniri non posset, ne quis metropolita Nisibenus eligi posset in catholicum, statuerunt, quae lex per annos bene multos obtinuit, neque aliter quam minaci Muhamedanorum jussu abrogata est sub Mutewakelo Califa ad ordinationem Sergii I. catholici factam anno 859. (Renaudot in notis MSS. ad hunc locum.).

cisionis Judaicae observatam ab Aegyptiis indoctis et condemnandis. Similiter omnes haereticos, qui circa theologiam praecipue de Incarnatione erraverunt, et lapsi sunt, et veritatem orthodoxiae impugnaverunt.

Ordinationes Maronitarum.

(Ordinationes Syrorum Maronitarum primus syriace et latine edidit Joannes Morinus in opere de sacris Ecclesiae ordinationibus ex codice ei ab Abrahamo Ecchellensi communicato. Verumtamen animadverterunt mox eruditi, ut Renaudotius Assemanique, in eo, quem exhibet libro, praecipuas deesse orationes episcopi ordinantis, imo eas, quae ex ipso Morino formam ordinationis constituunt, eumque non ipsum pontificalem librum, sed librum ministerii diaconici in ordinationibus esse, qui ea tantum contineat, quae a ministris et choro dicenda sunt. Aliam animadversionem pluries addidit Renaudotius, in qua tamen falsus est, ordinationes nempe illas non solum Maronitarum, sed et Jacobitarum esse. Quo praejudicio ductus, licet ipse Jacobitarum Maronitarumque ordinationes ex variis codicibus verterit, magnamque orationum differentiam viderit, non tamen utriusque ritus distinctionem perspexit, et utrumque in suis lucubrationibus notisque jugiter confundit. Faustissimo tamen eventu versiones secretas servavit, quas commiscere initio statuerat. Unde in ejus opere MS. de sacris ordinationibus versionem ordinationum Maroniticarum (usque ad episcopatum exclusive, de quo nonnisi in notis) detegere nobis datum fuit, quam Jacobiticarum dicit, adornatam ex codice Segueriano, qui partes in aliis per primas tantum voces designatas integras repraesentat, sed et rubricas accuratissime. Adhibuit etiam alium qui fuerat D. Picques, doctoris theologi, qui legavit bibliothecae Dominicanorum ad S. Honorati. Quem dicit accurate et eleganter scriptum, verum cum non levi a Florentino Jacobitico et Segueriano Maronitico discrimine, seque plurimum juvisse in emendando Segueriano. De cujus usu ampliora in scriptis Renaudotii non deprehendimus, nisi forsan partem quamdam ordinationis presbyteri. Sicut apud Morinum quae pontificis sunt indicantur tantum, ita in textu Renaudotii, quae libri diaconici sunt, vel indicantur tantum, vel omittuntur. Pertingit autem usque ad presbyteratum cum ordinationibus periodeutae et chorepiscopi, inclusive: de episcopi consecratione nonnisi in notis aliqua invenimus. Ordinationes Maronitarum denique integerrimas edidit Assemanus junior in Codicis liturgici Ecclesiae universae Tomis IX. et X., usus codice 1728. ab archipresbytero Michaele Metoschita Cyprio in Romano SS. Petri et Marcellini Maronitarum monasterio descripto ex codice, quem Stephanus, Aldoensis Maronitarum patriarcha, collatis vetustis codicibus conscriptum, Romam misit, ut typis mandaretur. Ex quo codice etiam expositionem Arabicam rituum addidit. Textum hunc recudimus, collatis Morini et Renaudotii textibus. In quo tamen Morini usu adhibitae sunt correctiones Assemani ad ejus versionem in Codice Liturgico factae, tum etiam textus ejus Syriacus, quem vulgavit.)

Ordinatio psaltae.

Ope Dei universorum Domini aeterni, immutabilis, supersubstantialis, quem mens non comprehendit et intellectus non scrutatur, et quem non

attingit cogitatio, principio et fine expertis[1]: scribimus chirotonias[2] omnium graduum sacerdotii; et primo chirotoniam psaltarum signatorum[3].

Primum itaque celebratur oblatio sanctorum mysteriorum[4]; *et ille, quem vocavit gratia Domini*[5], *interius et exterius lavet corpus suum*[6] *et caput suum aperiat et manus suas colliget*[7]. *Episcopus tum ex altari veniens ad portam altaris stet intra portam indutus omni suo ordine et dicat archidiacono:*

Quis fidem jubet pro eo? — *Ille autem, qui fide jubet, dicat:* Ego. — *Cui episcopus:* Esto reddens mihi rationem coram Christo, quod ipsum docturus sis, quaecumque praecepta sunt, ut ea servet, ne autem sit ebrius aut invidus aut iracundus, neve manus suas extendat ad percutiendum aut sit amator ludi et omnis generis cantus: quicunque enim quidquam ex his aget, suspendetur a suo gradu, donec poenitentiam agat. *Tunc praecipiat illi, ut adoret et dicat*[8]*:* Benedic Domine. — *Et episcopus signet eum in fronte et dicat*[9]*:* Benedicat te Dominus Deus inter signatos ecclesiae sanctae ad altare sanctum[10] Domini N.[11] sancti, pagi[12] benedicti N., in nomine Patris † *Amen*, et Filii † *Amen*, et Spiritus Sancti[13] † *Amen. Et tunc egredi jubet ordinandum*[14] *).

---

[1] M sanctae, et laudabilis et aequalis in substantia Trinitatis, P. et F. et Sp. S. — [2] M ritum perfectionis chirotoniae. — [3] R Officia ordinationum omnium graduum ecclesiasticorum. Officium ordinationis psaltarum designatorum. — [4] RM Paratum erit altare instructumque omnibus mysteriis. — [5] RM deest Domini. — [6] RM add. et animam. — [7] R add. in formam crucis. — [8] RM deest haec pars de examine faciendo, inde a verbis primae rubricae: Episcopus tum ex altari etc. usque ad hanc rubricam pro qua habent: stabitque ante portam altaris prosternet se et dicet. — [9] M ponit post hanc rubricam: laus Deo, quod est initium hymni, qui infra indicatur: Gloria: cetera desunt usque ad Miserere. — [10] R nomen altaris sancti. — [11] R add. martyris. — [12] R civitatis. — [13] R add. in saecula. — [14] R praecepta dat ordinando.

*) *Expositio arabica.*

Is, quem gratia Domini vocat et qui sacram ordinationem suscipere intendit, negotium suum deferat archidiacono, qui episcopo notum faciat illud, et ubi ipsum elegerint, corpus suum interius exteriusque lavet ab inquinamentis corporis et spiritus, et confessionem puram agat et in ecclesia consistat in omni humilitate et reverentia, donec episcopus mysteria consecraverit et perceperit una cum sacerdotibus, et antequam dicat, *Servi tui et adoratores tui*, jubeat mysteria deferri in sacrarium, quae cooperiat super altare velo magno. Tum sedem ipsi constituant ex parte anteriori portae majoris cancellorum, et electus accedat ad portam cancellorum capite aperto, manibus ad pectus colligatis. Episcopus una cum presbyteris et ministris, sacris indumentis paratus descendit ac sedet episcopus in throno et archidiacono inquit: *Quis est fidejussor pro eo?* — Respondet institutor seu fidejussor: *Ego.* — Cui episcopus: Scias, quia tu mihi rationem pro eo reddes coram Christo Domino, quod ipsum docebis, quaecunque ille servare debet, eumque monebis, ne sit ebrius, non iracundus, non invidus, non extendat manum suam ad percutiendum neque jocis aut ludicris sit deditus; qui enim hisce consuetudinibus sit implicitus, ab ordinatione arcendus est, donec poenitentiam agat. Ubi autem illum probarunt, episcopus ipsi praecipiat, ut sinistrum genu flectat et episcopi dexteram osculetur. Eum ter dextera sua signet signo crucis in nomine S. Trinitatis, deinde jubeat, ut surgat et redeat ad locum suum.

Episcopus incipit et dicit orationem initii: Gloria. *Diaconus*[1]*:* Pro tranquillitate.

Episcopus dicit hanc orationem:

Dignos nos praesta, Christe Deus, qui ministerium hoc mysticum sacerdotalis hujusce operationis perficiamus et divitiis bonorum tuorum coelestium ac divinorum repleamur tibique attollamus gloriam.

Et dicunt: Gloria.

Episcopus orat:

Confirma, Domine, Ecclesiam tuam sanctam super petram immobilem fidei orthodoxae; et per te corroboretur et a te accipiat adjutoria perfecta et charismata divina, quibus illustrentur filii ejus, ut ministrent pure in sancto templo tuo teque collaudent cum agminibus supernis immaterialibus. Pater.

Ad Miserere *tono:* Protegite me:[2]

In propitiationem esto mihi tu solus plene misericordiarum Deus, et instar illius filii prodigi suscipe me, mihique miserere.

Amplius. Pater Sancte et sanctitatis donator Deus, sanctifica per gratiam tuam servum tuum, qui exspectat illam, ut[3] sanctificetur.

Tibi. Fili, qui per donum tuum Apostolos tuos erudisti Deus, dono tuo erudi servum tuum, qui illud[4] exspectat, ut erudiatur.

Tu autem. Spiritus, qui linguis igneis Apostolos erudivit Deus, erudi[5] dono tuo servum tuum, qui illud[6] exspectat, ut sanctificetur.

Satia me[7]. Ostium coeli nobis aperiat gratia tua, Deus, et manum[8] tuam demitte super servum tuum, qui illam exspectat, ut benedicatur.

Cor. Stola tua ornetur collum coram te inclinatum, Deus, et suspiciens donum tuum, Domine[9], ut decoretur ornamentis spiritus[10].

Sed.[11] Turbae coelorum exsultant in perfectione servi tui, Deus, et psallunt gloriam infimi, quos ordinibus illorum adjunxisti[12].

Libera me. Stupent et mirantur[13] ignei, cum fundit coelos Spiritus[14], ut dona tribuat episcopis in similitudine chrismatis[15].

Quoniam non[16]. Immensus, qui manibus puris apprehenderis, Deus, munda servum tuum, qui sine macula cunctis diebus tibi ministret[17].

Benigne fac. Emundator delictorum Domine[18] per illapsum Spiritus[19], emunda per ipsius[20] accubitum servum tuum, qui perfectione tua[21] emundetur. *Ephremeticus*[22]*: Laudate Dominum in sanctuario ejus.* In-

---

[1] R Archidiaconus; et ita porro. — [2] M Versus Miserere. Responsum (vel potius: strophae et antistrophae) R Versus ad Miserere: M deest tono . . . me. Apud Morinum omissae sunt partes 1, 3, 5, 7, 9; apud R partes 2, 4, 6, 8, 10; quum ille ea, quae respondentur, exhibeat, hic quae a praecinente canuntur. — [3] M donum tuum, ut per illud. — [4] R Spiritum tuum. — [5] M sanctifica. — [6] M Spiritum tuum. — [7] R auditui meo. — [8] R dexteram. — [9] M deest Domine. — [10] M add. Sancti per illud. — [11] R Redde mihi. — [12] R ei qui eos conjunxit in synaxibus suis. — [13] M deest et mirantur. — [14] M add. Deus et descendit. — [15] M ut per manus episcoporum donum tradat iis, qui illud ab eo postulant. — [16] R Quoniam si voluisset sacrificium etc. — [17] R deest munda . . . ministret; add. et descendit ut largiretur dona sua episcopo in similitudinem chrismatis. — [18] M deest Domine. — [19] M add. Dei. — [20] M tuam. — [21] M qui expectat consecrationem (tuam), ut per eam. — [22] RM deest Ephremeticus.

clinavit se altissimus in monte Sinai et manum suam demisit[1] super Moysem, et Moyses illam imposuit Aaroni atque ad Joannem deducta est[2].

In systris[3]. Spiritus, qui locutus est per prophetas et adveniens[4] illapsus est super Apostolos[5], ipse veniat[6] et requiescat super servum tuum, Domine[7], qui sanctificetur.

Gloria. Trinas laudes uni, quia Deus unus est et trinus: Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Dominus, quem adoramus[8].

A saeculo[9]. Bone, qui Apostolis suis credidit potestatem coelestium et inferorum, maneat donum tuum[10] apud servum tuum, qui coram te inclinatus est[11], et sanctificetur[12].

Archidiaconus thus offerens dicit[13]:

Stemus recte[14] in oratione et deprecatione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram rege regum[15] et coram altari propitiatorio Salvatoris nostri[16] et coram mysteriis gloriosis ac divinis[17] propositis super illud et coram impositione hac manuum super servum tuum N. et coram patre nostro puro[18], cujus manibus illa perficitur. Thura ponuntur, miserationes a Domino rogamus.

Episcopus thus adolet[19].

Prooemium. Illi misericordi et multarum gratiarum, qui genus humanum ex nihilo condidit, cum illum creavit et ornavit et iterum salvavit, cum praevaricatione cecidit, ac erexit dignumque fecit accedendi ad dignitatem excelsam suorum divinorum charismatum. Te, Domine plene misericordia et clementia, precamur et obsecramus in hoc instanti super hunc aromatum suffitum, ut per miserationes tuas perpetuas dignos nos facias, qui suscipiamus et approximemus ad ministerium tui sancti ac puri templi hunc famulum tuum praesentem, qui inclinatus coram throno majestatis tuae donum tuum exspectat. Tibi enim convenit[20].

Ordo. Glorificat te, Domine, coelum in coetibus spiritualibus, qui sanctificationibus trium cantuum concinunt et benedicunt majestati tuae ineffabili. Et adorat te terra per filios hominum, qui ex pulvere tuo jussu creati fuere et digni a te effecti sunt accedendi[21] pure ac sancte ad tuum ministerium. Tu Domine omnium scrutator et potens per dilectum Filium tuum Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum et per illapsum Spiritus Sancti[22] credidisti[23] dona haec spiritualia hujus ministerii naturae nostrae humanae terrenae, quando sanctos tuos Apostolos tuis incomprehensibilibus sanctificationibus replesti et per ma-

---

[1] R imposuit. — [2] M hanc strophen ita habet: Laus Deo. Sancte, cujus majestas insedit, et opplevit montem Sinaï, et illum inhabitatione sua sanctificavit, habitare fac majestatem tuam super servum tuum, et sanctificabitur. — [3] M Laudate. R Laudate eum in tympanis. — [4] M add. Sanctus, deest locutus . . . adveniens. — [5] M add. in medio coenaculi. — [6] RM add. habitet. — [7] RM deest Domine. — [8] M Laus Patri sancto, qui misit Filium sanctum et sanctos per Spiritum suum Sanctum sanctitate donavit. — [9] R deest Trinas. . . . A saeculo. — [10] R majestatem tuam. — [11] R deest qui coram . . . . est. — [12] M deest haec strophe. — [13] M add. Benedic Domine. — [14] M indicat tantum: reliqua desunt. — [15] M deest coram rege regum. — [16] M deest Salvatoris nostri. — [17] M mysteriis sanctis. — [18] M electo add. et episcopo Domino N. — [19] R deest thus adolet. — [20] M post procemium ponit: Deinde dicunt: Ego, ego sum lux. — [21] R accesserunt; deest digni a te effecti sunt. — [22] R Spiritum S. deest illapsum. — [23] R perfecisti ut commendarentur.

nus eorum claves spirituales sacerdotii regalis (thesaurorum Domini)[1] nobis commisisti et dedisti. Confitemur misericordiae tuae et laudamus gratiam tuam. Spe tua magna confirmati et fiducia in te confortati effundimus preces et supplicationes humilitatis nostrae coram majestate tua et rogamus clementiam tuam, dele peccata nostra per tuas miserationes, per tuam benignitatem delicta nostra aufer nosque fac consummatores et perficientes tua mandata atque consummatos ac sublimes per tuas sanctificationes, ut idonei simus, qui ministremus coram te sine declinatione ad passiones corruptionis, quique impertiamur populo tuo de tuis donis excelsis et supernis[2] quique admoveamus altari tuo sancto eos, quos nutus divinae tuae scientiae ostendit et admovet. Ipsa[3] tua benignitas consummet et perficiat eos per humilitatem nostram; non enim accedimus, quod simus digni, verum tua clementia abundanti in donis corroborati: quoniam servum tuum N., qui ad hoc ministerium vocatus est, dignum fecisti[4] ipsum suscipere et perficere per illapsum Spiritus tui divini. Corpus autem ejus et animam insimul munda ab omnibus maculis et sordibus iniquitatis et peccati, ut sit in templo sancto tuo agnus purus, in quo conquiescat voluntas tua bona et accepta, et virtute tua divina corroboretur et ad dona, quae ex tua divina sublimissima scientia proveniunt[5], promoveatur; et nos ac ipse finem bonum promissum sanctis tuis promereamur tibique attollamus gloriam et confessionem, Pater abscondite et incomprehensibilis, et Filio tuo ac Spiritui tuo Sanctissimo. Nunc.

Et dicunt tono: Ego sum lux vera[6].

Dixit princeps pastorum Simoni Apostolorum capiti: Vide, Simon, quo modo tractes depositum, quod manibus tuis credidi. Pervigil custodi gregem tuum a noxis et dissidiis; rationem enim redditurus es coram justo judice, qui judicat sine acceptione personarum.

Scripsit Timotheo, suo discipulo, beatus Paulus: Vide, frater noster[7], quomodo converseris in ecclesiis Christi; vide, ne sacerdotium conferas superbis, immundis et avaris aut luxuriose viventibus, sed quietis et humilibus illique, qui domum suam recte gubernat[8].

Deus, qui in monte Sinai locutus est Moysi de medio rubi et dixit illi: Veni, ingredere in medium Aegypti et educ filios Israel; ipse sit murus tranquillitatis, et custos Ecclesiae sanctae[9], mysterio Trinitatis.

Videte, sacerdotes, quid ministretis: ordines excelsos sacerdotii, quod ligat et solvit, sicut concessit ei Salvator omnium creaturarum. Claves coelorum et inferorum ecce positae sunt in manibus vestris. Beati vos, cum feceritis voluntatem Domini, Domini vestri, quoniam cum eo intrabitis in paradisum[10].

Acceptatio. Quaesumus, Domine clementissime, etiamnum per paternas tuas miserationes benigne suscipe hunc suavitatum suffitum, quem

---

[1] R sacerdotii divitiarum Domini. — [2] R et ad glorificandum nomen tuum e coelis tuis sublimibus et excelsis. — [3] R sola. — [4] R dignare. — [5] R promissa sunt; add. omnibus. — [6] M Deinde archidiaconus alta voce dicit hoc Sancti Ephrem. Ego, ego. Postea dicit. Desunt strophae 1, 2. — [7] R deest frater noster. — [8] R sed ei quicumque erit purus et mundus. — [9] M add. ut cantet laudem et confessionem Patri, et Filio et Spiritui Sancto. — [10] R desunt duae strophae posteriores: Deus, qui in monte Sinaï, et: Videte sacerdotes.

altissimae tuae divinitati obtulimus in admotione filiorum dilectorum[1] spiritualium, quos in hoc ministerium invitavit tuus erga homines amor, et praesta, ut ministrent in templo sancto tuo cum scientia pura collaudantes et exaltantes[2]. Nunc.

Diaconus praedicat Ephremiticam[3].

Stemus omnes in oratione et attollamus Patri gloriam et Filio, qui ex eo est, confessionem et Spiritui Sancto laudem. Pro hoc servo tuo N., ut sit psaltes in medio Ecclesiae tuae. Da illi, Domine noster Jesu, gradum excelsum sacerdotii. Etiam, Domine, recense eum et scribe in libris tuis, et sit in Ecclesia tua sancta magister domus et mysteriorum purorum et sanctorum minister. Misericordiae tuae sint protectio ejus, Christe Deus noster, et da ei gradum in Ecclesia tua, ut ministret mysteriis tuis. Parce nobis, amator hominum, et propitius esto nobis, Christe rex, et perfice nobiscum gratiam tuam[4] in justitia et sanctitate[5].

Episcopus orat et dicit:

Domine Deus fortis et opifex omnium, qui creasti saecula per tuam gratiam et spiritu oris tui[6] omnes virtutes coelorum, easque addixisti ministerio tuo spirituali, quare a tua laude non cessant nec silent; et in medio etiam Ecclesiae sanctae elegisti tibi populos fideles, qui tuam faciant voluntatem, et secrevisti gradus eorum unum ab altero et fecisti eos supremos et medios juxta numerum novem ordinum angelorum. Etiam nunc, Domine noster, concede donum tuum coeleste servo tuo, qui hodie segregatus est a coetu filiorum[7] Ecclesiae*) ad numerum signatorum, ut accedat[8] ad magnum gradum sacerdotii et attollat[9] gloriam Trinitati laudabili. Pater[10].

Et dicunt Ps. 132. Quam bonum et quam pulchrum[11], *alleluja*, fratribus habitantibus simul; sicut unguentum, quod descendit super caput et super barbam, *alleluja*, barbam Aaron, quod descendit super oram tunicae ejus; sicut ros Hermon, qui descendit super montem Sion, *alleluja*, quia ibi mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.

Et illum, qui sequitur:

Benedicite Domino omnes servi Domini, *alleluja*, qui statis in domo Domini. In noctibus extollite manus vestras ad sanctum et benedicite Dominum, *alleluja*. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit coelum et terram.

Episcopus apprehendit tempora ejus et dicit:

Precamur te, Domine Deus[12], in hoc instanti gratiam tuam tuasque miserationes praesta huic famulo tuo N.; da ei, Domine, ut cum diligentibus nomen tuum pietatem colat[13], vitam ejus sine sordibus peccati

---

[1] R deest dilectorum. — [2] R add. te Christe et Spiritum tuum S. — [3] R deest Ephremiticam et transmittitur totus proclamationis textus. — [4] M add. et benignitatem. — [5] M add. Donum tuum coeleste illabatur, et inhabitet in nobis, et in opere manuum nostrarum. Pro servo quoque tuo hoc N., ut sit psaltes in medio Ecclesiae tuae, precemur et supplicemus. — [6] R per Spiritum tuum. — [7] R a filiis. — [8] R deest ad numerum . . . accedat. — [9] R referemus. — [10] R Patri. — [11] R desunt reliqua et alter psalmus usque ad rubricam: Episcopus etc. — [12] R deest Deus. — [13] R serviat coram te, cum rectitudine.

*) Hoc est laicis, ut exponit R.

serva, ipsum converte, ut redeat ad te et voluntatem tuam faciat ac in lege tua meditetur dignusque fiat, qui calcet serpentes et scorpiones, quin ab ulla re laedatur propter nomen tuum[1], quod invocatum est super ipsum hodie; enutri et satia animam ejus tua doctrina divina, et instituatur atque illustretur in omni ordine et doctrina veritatis Ecclesiae sanctae, et per haec a gratia tua dignus fiat, qui suscipiat a te gradum excelsum et venerandum et clementiam ac misericordiam consequatur, quoniam tu es Deus bonus et misericors et vis omnes homines ad te converti. Etiam nunc fac gratiam tuam cum isto servo tuo, quem hodie elegisti ad gradum signatorum per donum gratiae divinae, et attollemus laudem Trinitati gloriosae. Pater.

Episcopus scindit e pilis ejus cruciformiter et dicit clara voce:

Signamus hunc servum tuum N. ad altare sanctum[2] sancti N., oppidi benedicti N., in nomine Patris, *Amen*, et Filii, *Amen*, et Spiritus Sancti in saecula, *Amen.*

Diaconus praedicat[3] *tono S. Ephrem:*

Stemus omnes in oratione et supplicemus Domino cum singultu et vocibus, quae eum nobis placatum reddant, unanimi consensu clamemus ad Dominum.

Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando et sancto et a Spiritu Sancto Paraclito arma, quibus induti sunt fideles veri. Domine, pro securitate gregis tui et pace totius Ecclesiae tuae et redemptione omnium filiorum ejus, dona ei, Domine, dona ei[4].

Pro nobis et pro animabus omnium nostrum clamamus ad tuam essentiam, ut parcas nobis secundum gratiam tuam, et stationem nostram coram te confirmes.

Pro auxilio et redemptione et consistentia hujus servi tui, ut per impositionem manuum accipiat inhabitationem Spiritus Sancti.

Domine, pro servo tuo, quem vocasti et cujus electio ab Ecclesia facta est, rogamus te, omnium Domine, perfice in eo gratiam tuam.

Pro eo, quem elegit justitia tua et vocavit, Domine, gratia tua, ut sit in Ecclesia tua magister domus in eo ministrorum ordine.

Per sacerdotium expietur et per impositionem manuum consecretur et per misericordias e bonitate tua procedentes ad gradum decorum elevetur.

Nos omnes, Domine, oremus et pro nobis omnibus et pro hoc servo tuo N., qui in timore adstat et exspectat misericordias abundantes gratiae tuae, oremus et precemur et dicamus: Parce, Deus, servo[5] tuo, et pro eo tribus vicibus clamemus omnes, da ei, Domine.

Et apprehendit manum ejus dexteram ac dicit[6]*:*

Deus, qui per immensam tuam bonitatem et per amorem tuum erga homines immutabilem[7] dedisti charismata et dona selecta ad honorem et salutem nostram humanam, suscipe hunc servum tuum et filium ancillae tuae, qui segregatus est ad calcanda limina altaris tui sancti, et praesta,

---

[1] R add. sanctum. — [2] R add. martyris. — [3] R desunt reliqua rubricae et praeconia sequentia. — [4] M Domine remissionem. — [5] M populo. — [6] R hic habet rubricam, quae post hanc orationem apud A sequitur: et ascendere illum jubent ad altare. Episcopus dicit orationem sequentem. — [7] R incomprehensibilem.

ut caute conversetur et praefulgeat eutaxia, quae convenit officiis, ad quae implenda destinatus est. Concede etiam illi, ut in timore laudabili et fiducia ab omni contemtu libera[1] stet intra septa altaris tui sancti, ut ubique et semper[2] glorificetur nomen tuum ineffabile pro omnibus tuis erga genus nostrum beneficiis. Pater.

Post haec admovent eum altari et episcopus precatur[3]:

Tribuat tibi Dominus puritatem gressuum, rectam conversationem[4] et fiduciam in ingressu et consistentia ad altare suum sanctum, ut sis exemplum pulcherrimum et exemplar dextrum iis, qui te intuentur, et omnes attollamus gloriam[5] Patri et Filio ac Spiritui Sancto adorando et incomprehensibili. Nunc.

Tum tradunt illi, ut portet super brachia, librum psalmorum et ter[6] *circumducunt eum per ecclesiam*[7] *dicentes tono simplici:*

Super volam manuum Filii aedificata est Ecclesia et super fundamenta duodecim Apostolorum laudandorum posita; Dominus autem noster dedit ei virtutem potestatemque omnia idola erroris conterendi et conculcandi. Arma veritatis conflavit ei, crucem scilicet vivam et impressionem chrismatis, cujus signaculo et impressione sacerdotes obsignantur. *Alleluja*[8] et iterum *alleluja*. Domine noster, suscipe ministerium nostrum, exaudi orationem nostram et miserere nobis, Salvator mundi.

Et dat pacem seu osculatur altare et episcopum. Episcopus autem dicit orationem obsignationis sive dimissionis:

Suscipe, Domine, per clementiam tuam hunc tuum servum, quem ad gradum istum psalmistarum elegit tua justitia, et per ejus ad te accessum adjuva illum, Domine, miserationibus tuis, ut perpetuo et omni tempore placeat dominationi tuae; da ei, Domine, ut custodiat gradum, quem hodie a te accepit, et superlucretur[9] opera bona et eximia justitiae cum omni timore Dei, et a te recipiat retributionem bonam et praeparatam mereaturque, qui expiationem obtineat et veniam per donum gratiae tuae divinae, et per aeternas tuas miserationes omnes mereamur una cum illo pervenire ad sublime tuum regnum. Pater.

Et dant illi pacem et communionem sanctorum mysteriorum[10]. — Explicit.

Item ordo chirotoniae super lectore.

Primum, qui ordinatur, intrat intra altaris portam habens caput apertum et inclinatum, quoad perficiatur oblatio[11], *et dicit:* Benedic, Domine. *Episcopus signat eum signo crucis ter*[12] *in fronte et dicit:*

Dominus Deus te benedicat et constituat lectorem in ecclesia sancta Domini N., oppidi benedicti et Christum amantis N., in nomine Patris † *Amen*, Filii † *Amen*, et Spiritus † Sancti in saecula *Amen*.

---

[1] R deest ab . . . libera. — [2] R et apud omnes homines. — [3] R hic habet rubricam, quae apud A fuerat ante orationem praecedentem: Apprehendit eum dextera et dicit. — [4] R gressus puritatis et rectitudinis, quae servos decet. — [5] R add. gratiarum actionem et exaltationem indesinentem. — [6] R deest ter. — [7] R desunt reliqua rubricae et cantus, et annectitur rubrica: dat pacem etc. — [8] M cetera hujus cantus desunt. — [9] R add. per illum. — [10] M add. finis obsignationis etc. — [11] RM deest quoad . . . oblatio. — [12] RM deest ter.

Et inchoat primum officium et dicit orationes et responsorium: Propitiatio esto mihi, *et reliqua*[1]. *Minister thus offert dicens*[2]:

Stemus recte in oratione et petitione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram rege regum[3] et coram altari ejus propitiatorio et coram mysteriis sanctis, quae super illud posita sunt, et coram chirotonia ista servi tui et coram patre nostro sancto episcopo[4], cujus manibus perficitur. Aromata ponuntur, misericordiam a Domino exoramus[5].

Episcopus thus ponit et dicit prooemium et cantum: **Ego, ego et acceptationem,** *quae descripta sunt in primo ordine.*

Et tradunt ordinando ex Ezechiele propheta, 25, 66., ut legat:

Et adduxit me ad portam *etc. usque:* **ut serviant mihi et conservent custodias meas.**

Episcopus inclinatus orat[6]:

Domine virtutum coelestium, qui nos constituisti nobisque hanc partem dedisti ministerii mystici, qui scis mentes et intelligentias omnium hominum, exaudi nos, Domine[7], secundum multitudinem misericordiae tuae et munda nos ab omni inquinamento carnis et spiritus; atque dele, Domine, per clementiam tuam peccata nostra, reple nos virtute tua occulta, da nobis per gratiam tuam, ut stemus coram te et perficiamus ministerium hoc mysticum, quod conceditur servo tuo. Pater.

Archidiaconus proclamat et dicit[8]:

Iterum atque iterum, perpetuo et omni tempore Domino supplicemus; pro patre nostro in Christo electo rectore nostro Domino N., metropolita nostro, et pro omni clero ejus Domino supplicemus. Pro tranquillitate superna et vita et redemptione animarum et corporum nostrorum Domino supplicemus. Pro redemptione et auxilio et adjutorio servi Dei N., qui hic adstat et impositionem manus divinae sacerdotii et donum Spiritus Sancti[9] accipit, Domino supplicemus[10].

Ut Dominus Deus illum sine macula et reprehensione suscipiat per suam misericordiam ipsique gradum praestantem sacerdotii tribuat per inhabitationem Spiritus Sancti, Domino supplicemus. Sanctam, gloriosam, benedictam et immaculatam Dominam nostram beatam semperque Virginem Dominam Mariam, Dei Genitricem, commemoramus; Joannem, praeconem veritatis atque praecursorem; prophetas item veros; omnes divinos Apostolos ac martyres amictos victoria, ut Dominus Deus fortis

---

[1] M incipitque et dicunt. Laus Deo. Et consuetum (syr. responsorium) Miserere. Propitius esto mihi. — [2] M Cum autem ordinatio agitur, thus adolet diaconus, dicens: Benedic Domine. — [3] M deest et coram rege regum. — [4] M add. Domino N. — [5] R desunt rubrica: Et inchoat etc. et praeconium: Stemus etc. — [6] R Deinde dicit prooemium, Sedram et versus designatos in officio praecedenti. Ego sum etc. Datur osculum pacis ordinando, jubeturque legere sectionem ex Ezechiele. Tum episcopus dicit orationem sequentem. — [7] R deest Domine. — [8] R post hanc rubricam ad sequentem immediate transitum facit ipsam proclamationem omittens. M add. Benedic Domine. — [9] M deest et donum Sp. S. — [10] M deest Domino supplicemus; add. ex ordine psaltae ad ordinem lectoris: super altare hoc sanctum Domini N. urbis benedictae et a Christo amatae, quique est subditus beatitatis tuae, pater noster Deo dilecte: rogamus et supplicamus Domino pro eo. Exclamemus igitur, et dicamus tribus vicibus: Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison. Reliqua, quae apud A leguntur, desunt.

per mundas eorum preces sanctasque orationes nobis omnibus clemens adsit nosque omnes custodiamur, Domino supplicemus.

Pro nobis omnibus et propter nos omnes oremus ac precemur et supplices ad Deum clementem et misericordem clamemus ter dicentes: Dona ei, Domine.

Episcopus orat dicens:

Praesta nobis, Domine Deus, ut tibi simus lectores[1] puri testamenti tui, et ne permittas, hunc famulum tuum participem fieri peccatorum alienorum, sed per miserationes tuas salva illum ab omnibus malis et odibilibus atque illi gratiam concede et scientiam et intelligentiam eaque omnia, quae utilia sunt et congrua quaeque voluntati tuae placent; ut puro corde et anima sancta accedamus ad altare propitiatorium et adimpleamus ministerium servi tui[2]. Domine Deus noster, tibi gloria[3].

Diaconus ducit eum per manum dexteram et dicit:

Offerimus sanctitati tuae[4], pater noster religiosissime et electe Dei Domine N. gubernator noster, hunc Dei amantem N., qui hic adstat et hanc manus impositionem divinam a te accipit a gradu psalmistarum ad gradum lectorum, ad nomen altaris sancti Domini N., oppidi benedicti et Christum amantis N., et est subditus beatitudini vestrae, o religiosissime Dei pater noster. Rogamus et supplicamus Domino pro eo, et clamemus, dicentes ter: Kyrie eleison.

Episcopus[5] eum jubet genu sinistrum flectere, et manus suas imponens super tempora ejus dicit:

Gratia divina et donum coeleste, quae omni tempore supplet defectum nostrum et sanat infirmitatem nostram ac nostra curat vulnera, bona agens erga omnes filios Ecclesiae[6], eligit et offert hunc servum Dei a gradu psalmistarum ad gradum lectorum in ecclesia sancta sancti Domini N., oppidi benedicti N. Oremus pro eo, ut adveniat super eum inhabitatio Spiritus Sancti, precantes pro eo tribus vicibus: Concede ei, Domine.

Diaconus dicit: In pace Domino supplicemus.

Episcopus manum suam motat super caput ejus et dicit inclinatus[7]:

Rogamus te et precamur, Domine Deus, suscipe servum tuum hunc lectorem, in Ecclesia tua sancta sapientem in tuis mandatis illum effice et intelligentem in tuis justificationibus. Concede etiam ei, ut pie ministret tibi opus bonum, ipsum dignum reddens, qui tibi sit vas electum et lector praestans coram te cum illis, qui tibi placuerunt a saeculo.

Et extollit vocem.

Quoniam tu es Deus volens misericordiam et benignitatem, tibique convenit gloria, honor et adoratio ab omnibus. Pater[8].

Et dicit: Pax vobis omnibus.

Populus: Et spiritui tuo.

---

[1] R ut sit lector. — [2] R servorum tuorum. — [3] R deest tibi gloria. — [4] R haec tantum per initium indicat: Offerimus coram te etc. — [5] R reliqua rubricae desunt. — [6] R add. sanctae. — [7] R Episcopus inclinatus dicit secreto. — [8] R add. Populus. Amen. Reliqua desunt, simul et rubrica ante orationem, pro qua non habet nisi: Episcopus secreto. M Episcopus: Dominus (Pax) vobiscum. Populus. Et cum spiritu tuo. Pater noster.

Episcopus tremulo motu circumfert manus dicens inclinatus:

Deus magne et dives in donis, qui ordines Ecclesiae tuae dedisti et gradus in ea constituisti ad ministerium et donum tuum effudisti super famulos tuos; etiam nunc sanctifica servum tuum istum et elige illum, ut sit lector, et da illi, ut cum omni sapientia et intelligentia meditetur et legat verba divina, reple eum dono tuo ipsum conservans in operibus irreprehensibilibus.

Et convertitur ad illum utraque manu sua apprehendens ambo tempora ejus et orat sub silentio:

Deus ille magne et hominum amator, qui omnes creaturas tuis concludis manibus et nutu tuo omnes contines, qui omnibus prope es et omnibus praesto es, respice hunc servum tuum, quem offerimus, ut sit praeco verborum tuorum sanctorum[1] et proclamet doctrinas divinas et salutares, quas tradidisti in adjutorium et salutem animarum nostrarum.

Et extollit vocem suam versus altare ac dicit:

Eja, Deus, redde illum sapientem in tuis mandatis et intelligentem in tuis justificationibus, illumina oculos mentis ejus illustratione scientiae tuorum mandatorum; concede illi, ut cum puritate[2] et fide sine acceptione personarum[3] ista meditetur et legat in aedificationem eorum, qui audiunt, et in gloriam ac laudem regni tui. Pater[4].

Et erigit eum[5] *ac orat:*

Deus, qui magnus es et dives in donis et stupendus in omnibus mirabilibus ac prae omnibus extolleris tua abscondita natura[6] et gloriosus superexcedis tua splendida essentia[7], quique ordines venerandos[8] Ecclesiae tuae constituisti; tu da et magnifica in eo gradum Ecclesiae tuae sanctae et omnium filiorum ejus. Pater.

Et induit eum tunica dicens:

Indue, Domine, hunc servum tuum tunicam lectoratus ad laudem et honorem Trinitatis sanctae, ad aedificationem et confirmationem Ecclesiae sanctae et omnium filiorum ejus super altare ecclesiae sancti N.[9], in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

Et induit eum orario[10] *dicens:*

Indue, Domine, hunc servum tuum orarium lectoratus ad laudem Dei et ad aedificationem sanctae Ecclesiae omniumque filiorum ejus, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

---

[1] R add. et mandatorum tuorum rectorum. — [2] R add. cordis. — [3] R add. non ficta; deest sine acceptione personarum. — [4] R hic inserit. *Imponit manum super mysteria, et super caput ordinandi dicens:* Rogamus te, Domine Deus, suscipe servum tuum istum lectorem in ecclesia tua sancta, Sancti N. civitatis benedictae N. Sapientem fac illum in doctrina tua, et fac illum observatorem mandatorum tuorum divinorum et factorem omnis voluntatis tuae. Praesta nobis Domine, per miserationes tuas, ut sit vas electum, et lector praeclarus, ut honoretur in eo nomen tuum, et numeretur cum illis, qui a saeculo tibi placuerunt et fecerunt voluntatem tuam: quia tu misereri vis omnium hominum et te decet gloria et honor etc. M. rubricam etiam habet: Pastor autem imponit manum suam super mysteria, et precatur, eumque jubet genu sinistrum flectere. Precatur, et iterum erigit eum, et induit tunica, et orario suo. — [5] R Jubet ordinandum flectere genu sinistrum, episcopus. — [6] R in absconditis suis. — [7] R et gloriosus in magnificentia sua. — [8] R ordinem venerandum. — [9] R sanctae Domini N. — [10] R add. quod circumponit collo ejus.

Diaconus dicit hymnum[1]*:*

Exalta me. Dominus est, qui hominibus terrenis sacerdotium tradidit et eos instar vigilum constituit, ut laudent divinitatem suam, sacerdotes in gradibus angelorum et diaconi in Seraphim et hypodiaconi ac lectores veluti vigiles obedientes. Eructavit, Domine[2], lingua mea hymnum tuum et praecepta tua in justitia, eloquentur labia mea laudes tuas, cum docueris me praecepta tua.

Et tradunt illi, ut legat de Isaia propheta cap. 21.: Sic dicit Dominus . . . . *usque:* Plantatum Domini laudabilis.

Archidiaconus proclamat[3]*:*

Stemus omnes in oratione et attollamus Patri gloriam ac Filio, qui ex eo est, confessionem et jubilationem Spiritui Sancto[4].

Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando et sancto atque a Spiritu Sancto Paraclito arma, quibus vestiti sunt veraces.

Deus, qui elegit justos, pios et monachos et posuit eos, ut serviant ei in similitudinem filiorum lucis, distinxit ordinum gradus, hoc est, superiores et inferiores et elegit eos, ut sacerdotio fungerentur in Ecclesia sancta et fideli.

Excelsior enim ille est vigilibus, nec eorum ordines illius consilia scrutari possunt: absconditus est ab angelis neque eum mente sua continent congregationes eorum. Lumen et splendor, quo circumdatur, obscurat et hebetat igneorum oculos atque flammeis alis personas igneas tegunt.

Parce nobis, o amator hominum, et propitius esto nobis, Rex Christe, atque nobiscum perfice gratiam tuam in justitia et sanctitate[5].

Episcopus orat:

Deus, qui Josue Barnum honorem dedisti perpetuum in domo habitationis sanctae, et secundum voluntatem tuam ministrabat Moysi illi, qui reconciliator extitit divinitatis tuae[6], atque tua divina gloria[7] ipsum consummasti, ut post mortem Moysis dux esset populi tui: tu, qui Samuelem prophetam, cum adhuc puer parvus esset, perpetuum in sancto templo tuo fidelem ministrum voluisti, qui per prophetiam regeret populum tuum; tu, qui Hieremiam prophetam in ventre sanctificasti eumque tibi fecisti prophetam et praeconem tuorum sanctorum verborum, tu, o Domine, etiam modo benignus respice hunc servum tuum eumque sanctifica[8] per donum Spiritus tui Sancti et secundum voluntatem tuam[9] illum guberna[10] atque sapientem redde: omni sanctitate tua et pietate erga te praefulgeat atque ad superiores gradus promoveatur[11], et nomen tuum sanctum[12] notum faciat et praedicet per hunc virtutis gradum[13], quem hodie a tua gratia accepit, ac ipsum dignum redde per tuas miserationes, qui ascen-

---

[1] R deest hymnus sequens. — [2] M deest Domine. — [3] R deest rubrica et proclamatio. — [4] M Stemus omnes in oratione coram Deo misericordi et vocibus, quae eum placare possint, ad Dominum simul et unanimiter clamemus. — [5] M Parce Deus populo tuo, et miserere gregis tui. Ideo pro eo exclamemus omnes. Laus Trinitati. — [6] R amico tuae majestatis. — [7] R munere. — [8] R deest eumque sanctifica. — [9] R add. Domine. — [10] R add. et sanctifica illum per donum Spiritus tui. — [11] R eosque, qui illum praecesserunt, assequatur. — [12] R et sanctitatem; add. populo tuo. — [13] R in dignitate hac.

dat ad sublimem et honorabilem gradum sacerdotii Ecclesiae tuae sanctae. Nunc.

Et dant illi librum Isaiae *) *et egrediuntur in Agios cumque circumducunt per ecclesiam dicentes cantus tono simplici.*

Superbia et humilitas simul incedebant, una elata, altera depressa, et unaquaeque cum indolis suae ingenio et libertate. Humilitas erat quieta, suavis et petens pacem a bonis et malis, sed superbia vultu erat alto et acri in varia desideria hiante. Vae illi, cum veniet mors [1] et superbi humiliabuntur! [2] *Alleluja*, item *alleluja*. Domine noster, per misericordiam tuam suscipe officium nostrum, exaudi orationem nostram et miserere nostri, Salvator mundi.

Postea venit et osculum dat sacrae mensae et episcopo, et sanctorum mysteriorum fit particeps. Et episcopus orat contra altare dicens:

Suscipimus gratiam tuam et [3] confitemur misericordiae tuae, Domine noster Jesu Christe, pro omnibus tuis beneficiis, quae praestitisti et perfecisti erga nos, et cum hoc servo tuo [4] divinam tuam implorantes misericordiam et deprecantes [5], exaudi orationes nostras; suscipe hanc chirotoniam [6], placeat tibi consistentia nostra coram te tibique complaceat in [7] opere manuum nostrarum: et quemadmodum ipsum, Domine [8] dignum fecisti hoc gradu lectoratus, praesta, ut mereatur excelsum sacerdotii gradum a te suscipere, ut perficiat et compleat [9] officia omnia Aaronitica [10] et accrescat huic talento, quod hodie a te accepit, atque superlucretur opera bona et sublimia sacerdotii et omnem administrationem perficiat per lectiones librorum tuae doctrinae, atque ita inveniat misericordiam in tuo conspectu et auxilia tuae gratiae obtineat. Et illi nobisque concede omnia [11], quae nobis utilia et congrua sunt. Nunc.

Tunc conversus ad occidentem [12] *dicit:* Pax vobiscum.

Populus. Et cum spiritu tuo.

Oratio obsignationis seu dimissionis [13].

Deus deorum et Dominus dominationum, qui sedet super Cherubim et intuetur abyssos inferiores, ipse nos modo intueatur oculo misericordiae et clementiae et benedicat operi manuum nostrarum peccatricium, compleat nobiscum gratiam suam suamque benignitatem, propitius sit reatibus nostris, dimittat insipientias nostras nosque dignos faciat, qui sine macula adstemus in conspectu ipsius omnibus diebus vitae nostrae et in novissima die laeti procedamus in occursum ejus et admisceamur ejus sanctis, connumeremur cum justis ejus, introeamus thalamum et gloriam gratiae ejus canamus. Nunc.

Explicit et Deo laus perennis.

---

1 M Dominus ejus. — 2 M reliqua hymni desunt. — 3 R (Quod idem est) Gratias agimus bonitati tuae, et gratanter. — 4 R add. et operi manuum tuarum sanctarum, per gratiam quam illi hodie concessisti. — 5 R deest et deprecantes. — 6 R add. servi tui hujus. — 7 R cum; deest complaceat tibi. — 8 R deest Domine. — 9 R deest et compleat. — 10 R domus Aaron. — 11 R omnibus. — 12 R deest conversus ad occidentem. — 13 M Tandem pastor convertitur ad occidentem et facit signum crucis.

*) *Arabica expositio habet.*

Significat, quod illi imponunt librum Prophetarum et archidiaconus illum ducit per orarium e collo ejus pendulum et ter in ecclesia circumducunt dicentes.

Item ordo chirotoniae super hypodiacono.

Ordinandus capite aperto et inclinato stat intra portam altaris, donec perficiatur oblatio. Ubi autem super altare sunt disposita omnia mysteria sancta, adorat coram episcopo et dicit: Benedic Domine. *Episcopus jubet illum flectere genu sinistrum eumque cruce signat in fronte tribus vicibus dicens:*

Dominus Deus benedicat tibi inter hypodiaconos ecclesiae sanctae [1] sancti divi N., oppidi N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen. Et inchoat episcopus primam orationem dicere, ut in ordine psalmistarum.*

Diaconus offert thus dicens [2]:

Stemus recte in oratione et petitione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram altari ejus propitiatorio et coram sanctis ac gloriosis mysteriis, quae super ipsum sunt posita, et coram chirotonia ista servi tui hujus et coram religiosissimo patre nostro Domino N., per quem perficitur. Per thura, quae imponuntur, misericordiam Domini exoramus.

Episcopus thus imponit et dicit prooemium. Diaconus: Ego, ego. *Episcopus: Acceptationem, juxta primum ordinem.*

Diaconus proclamat:

Iterum atque iterum, perpetuo et omni tempore Domino supplicemus. Pro pace superna et auxilio et redemptione animarum nostrarum et corporum nostrorum Domino supplicemus.

Ephremiticus:

Pro famulo tuo hoc, quem elegisti, ut sit director [3] in Ecclesia tua et vas electum in ministerium tuum, perfice cum eo gratiam tuam.

Gratiam tuam, bone [4], precor et clementiam tuam rogo: parce illi [5] peccata sua et debita [6] atque conserva eum per crucem tuam [7].

Cura vulnera ejus secundum benignitatem tuam, ut ditescat thesaurus tuus medicamentis; pone illi ligamen humilitati ejus, ut sanetur a stigmatibus suis.

Ubi, Domine, medicina tua applicatur, non potest stare dolor. Misericordiae tuae, Jesu, rogent te, et secundum clementiam tuam [8] propitius esto debitis ejus. Ne occludas portam tuam in faciem ejus, eo quod operibus suis te irritavit: facilem illi redde reconciliationem tuam et remissionem delictorum ipsi concede.

Muta. Sanctam, laudabilem, benedictam, impollutam Dominam nostram beatam semper Virginem, Dominicam Mariam Dei Genitricem com-

---

[1] R add. martyris. — [2] R add. Benedic Domine. Sequentia indicat tantum per initium. Desunt etiam sequentia omnia usque ad orationem episcopi: Exaudi Domine, exclusive. Sed inseruntur sequentia. Episcopus dicit hanc orationem: Domine Deus virtutum, (ut infra est, absque parte, quae elata voce dicitur, sed cum clausula Pater et Fili etc.). Et dicunt symbolum fidei. Diaconus proclamationem facit. M Tum dicit archidiaconus: Benedic, Domine. Stemus omnes pulchre in prece et oratione coram Deo; et reliqua ut in praecedentibus gradibus dictum. Episcopus deinde precatur et recitatur symbolum. Postea exclamat archidiaconus: Iterum atque iterum. — [3] M subdiaconus. — [4] M deest bone. — [5] M mihi; et ita porro. — [6] M deest et debita. — [7] M secundum gratiam tuam et secundum bonitatem tuam protege me. — [8] M deest et secundum clementiam tuam.

memoramus; Joannem, nuntium veritatis et praecursorem; Stephanum quoque, caput diaconorum et proto-martyrem; prophetas[1], Apostolos[2], martyres victoria vestitos, ut Dominus Deus fortis precibus eorum illustribus et orationibus sanctis nos omnes gratiis afficiat et conservet, Domino supplicemus.

Episcopus precatur:

Exaudi, Domine, per misericordiam tuam orationem nostram et suscipe proclamationem, quam servus tuus altaris tui minister edidit de chirotonia ista. Pater. *Et dicunt:* Sanctus Deus, et Credimus *(id est symbolum)*[3].

Archidiaconus autem ducit eum manu dextera et dicit:

Offerimus sanctitati tuae, pater noster sancte et electe Dei[4] Domine N.[5] hunc Dei amantem servum ipsius[6] N., qui hic adstat et impositionem manus divinae ex gradu lectorum ad gradum subdiaconorum accipit ad nomen altaris sancti Domini N., oppidi benedicti et Christum amantis N., estque subditus beatitudini tuae, pater noster electe Dei. Oramus omnes et precamur Deum pro eo, clamemus igitur et dicamus tribus vicibus: Kyrie eleison! — Kyrie eleison! — Kyrie eleison! —

Episcopus ipsum flectere genu sinistrum facit et manum suam imponit super tempora ejus dicens[7]*:*

Gratia divina et donum coeleste, quae omni tempore implet defectum nostrum et curat infirmitatem nostram et alligat vulnera nostra benigne agens erga omnes[8] sanctae Ecclesiae filios, eligit et promovet hunc servum Dei a gradu lectoratus ad gradum hypodiaconorum in sancta ecclesia Divi N., oppidi benedicti et Christum amantis N. Oremus et deprecemur pro eo[9], ut Spiritus Sanctus illabens adveniat super eum, rogantes pro eo tribus vicibus: Dona ei, Domine.

Diaconus: In pace Domino supplicemus.

Episcopus inclinatus manum suam circumfert super caput illius[10].

Eja Domine, eum dignum praesta vocatione hac hypodiaconatus, ut idoneus sit per tuum erga homines amorem, quemadmodum convenit nomini tuo, qui cultum exerceat et ministerium in templo gloriae tuae, et misericordiam inveniat coram te.

Extollit vocem.

Quoniam tu es Deus misericors et benignus, tibique convenit gloria, honor et imperium cum dilecto Filio tuo et Spiritu Sancto tuo. Nunc.

Iterum inclinatus dicit[11]*:*

Domine Deus virtutum[12] sanctarum et coelestium, qui nos in partem vocasti ministerii hujus tui spiritualis, qui mentes hominum erudis[13] et corda perscrutaris ac renes, exaudi nos propter multas miserationes tuas

---

[1] M add. veraces. — [2] M add. divinos. — [3] R deest haec rubrica. — [4] R venerande. — [5] R indicat tantum per hoc initium. M add. Episcope Christi et nostri. — [6] M deest servum ipsius. — [7] R Episcopus dicit. — [8] R deest omnes. — [9] R add. ter. — [10] R add. secreto; deest manum . . . illius. — [11] R secreto: et ita porro. — [12] R orationem, sicuti hic prolixior est, superius habuit, ut indicavimus p. 121. Cujus loco hic habet: Domine Deus virtutum, qui constituisti nos in sorte ministerii hujus, qui nosti mentes hominum, scrutarisque corda et renes, concede nobis cognitionem ad eligendos eos, qui digni sunt. Tunc sequitur elevatio vocis. — [13] R uti orationem superius habet: nosti.

et purifica nos ab omni labe carnis et spiritus, aufer ut nebulas peccata nostra et ut nubem iniquitatem nostram, reple nos benignitate tua et gratia unigeniti Filii tui atque operatione Spiritus tui Sanctissimi sufficientes nos redde, ut simus ministri Testamenti tui Novi, ut possimus[1], uti decet nomen tuum sanctum, stare[2] in conspectu tuo ad sacerdotio fungendum et ministrandum tuis divinis mysteriis; neque permittas nos fieri participes peccatorum alienorum, quin et haec nostra dele et concede, Domine, ut nihil perverse agamus, sed da nobis scientiam ad eligendos eos, qui digni sunt, ut tibi offerantur.

Et extollit vocem:

Et suscipe hypodiaconum servum tuum istum[3], qui hic adstat et donum tuum coeleste praestolatur, quoniam suavis es et multum misericors in omnes, qui te invocant, et fortis est potestas tua tuique Filii unigeniti ac Spiritus tui Sanctissimi tibique consubstantialis[4]. Nunc.

*Et digitos ambarum manuum[5] suarum, qui pollicem sequuntur, ad os patenae et calicis circumagit[6] eosque imponit super ejus tempora *) orans secreto:*

Deus, qui a saeculo es, qui[7] reges unxisti et prophetas suscitasti atque sanctificasti, qui justos vocasti; tu, Domine, hunc servum tuum voca per vocationem sanctam in obsignatione hypodiaconorum et elige eum, qui sit bonus dispensator[8] Ecclesiae tuae sanctae, concedens illi donum Spiritus tui Sancti, dona ei, Domine, ut diligat decorem domus tuae et communionem mysteriorum tuorum[9] utque consistat in porta templi tui sancti ad accendendas lucernas domus tuae orationi sacrae, quique conscientia bona, religiose et impigre impleat officium, ad quod vocasti eum.

Et conversus ad altare[10] extollit vocem dicens:

Et planta eum velut olivam fructiferam, qui portet fructus justitiae in Christo Jesu Domino nostro, quocum tibi convenit gloria, honor et imperium cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, adorando et vivifico tibique coessentiali. Nunc[11].

Episcopus manum suam ponit super mysteria et super caput illius dicens:

Pax vobiscum.

Populus: **Et cum spiritu tuo.**

---

[1] R uti superius habet orationem: laudemus. — [2] R uti superius habet: stemus. — [3] R istum et perfice servum tuum. — [4] R deest tibique consubstantialis. — [5] R deest ambarum manuum. — [6] R admovet; add. qui conjuncti sunt. — [7] R deest es qui. — [8] R servus. — [9] R communionem et decorem. — [10] R orientem; et ita porro. — [11] R add. Archidiaconus proclamationem facit.

) Id est, episcopus conversus ad altare sanctam patenam inter digitos suos attollit, quos digitos in forma catenae actos imponit temporibus ordinandi, deinde illis apprehendit labium calicis puri eosque iterum imponit temporibus ordinandi. Interim ministri motantes flabella clamant: *„Kyrie eleison!“* Quodsi plures fuerint ordinandi, erga singulos praedicta agit, deinde super omnes sequentem recitat orationem. — *Ita habet expositio arabica.

Episcopus orat:

Deus, qui inclytae tribui filiorum Levi sacerdotium tradidit et pontificatum Aaroni ejusque filiis; tu, Domine, tuo jussu tuaque voluntate elegisti summos sacerdotes et levitas; tu, Domine[1], etiam gratia tua et scientia altissima elegisti et constituisti in Ecclesia tua sancta gradus supremos, medios et infimos sacerdotii[2], ut essent in gloriam nominis tui sancti et in decorem ac aedificationem exaltationemque Ecclesiae s. custodientes et diligentes totum ministerium domus tuae sanctae tuorumque mysteriorum sanctorum et sancti tui habitaculi per hostias sacerdotum: et sacerdotes quidem suis tibi hostiis servierunt, levitae autem suis te ordinibus celebrarunt; ita isti tibi ministrent et[3] custodiant[4] portam templi tui et atrium sancti tui habitaculi, ut et isti etiam[5], Domine, promereantur gradum sublimem et honorabilem eorum, qui ipsos antecesserunt. Tu etiam, Domine, modo complacitus huic servo tuo concede et ipsum dignum effice, qui tibi ministret teque honoret in typo praeclaro levitarum habeatque locum in domo tua et semitam lucidam ad altare tuum sanctum; et tu, Domine, demitte super eum virtutem tuam atque feratur super eum Spiritus tuus Sanctus et clementia tua perfecta[6] tuaque voluntas in eo requiescat, et per miserationes tuas perficiatur et consummetur in ministerio spirituali.

Et conversus ad altare dicit:

Et attollemus gloriam et confessionem Patri Filioque ac Spiritui Sancto. Nunc.

Archidiaconus proclamat tono S. Ephrem[7]:

Stemus omnes in oratione coram occultorum cognitore et petamus ab eo veniam cum suspirio cordium nostrorum; petamus a Patre abscondito et a Filio glorioso et sancto atque a Spiritu Paraclito arma, quae induerunt discipuli[8], pro servo tuo, Domine[9], quem elegisti ex gradu lectoratus et gratia tua ad gradum movisti subdiaconatus. Hic, quem gratia tua elegit, sit vas in laudem tuam, quoniam ad gradum praestantem eum movisti[10] ministerii tui[11]. Tua[12] justitia elegit te hodie, ut sis subdiaconus[13] et per opera justitiae accedas ad excelsum gradum.

Pro praesidibus, Domine, Ecclesiae tuae et pro pastore benedicto gregis tui, Domino N., religioso nostro[14], per miserationes tuas suscipe ministerium nostrum[15]. Propitius esto nobis, o amator hominum, et parce nobis, Rex Christe, atque comple nobiscum gratiam tuam in pietate et sanctitate[16].

Episcopus manum suam ponit super mysteria et super caput ejus et orat:

Domine Deus clemens et benigne, Deus veritatis et verax[17], Deus Abraham, salvator Isaac, confortator Jakob et liberator timentium te,

---

[1] R deest Domine. — [2] R add. per sacerdotii hujus ministerium. — [3] R deest ita isti . . . et. — [4] R custodientes. — [5] R In hunc modum etiam nunc isti. — [6] R illum perficiente. — [7] R deest tono S. Ephrem et proclamatio. — [8] M ut audiat vocem orationis nostrae. — [9] M deest Domine. — [10] M add. Domine. — [11] M ad ordinem subdiaconatus. — [12] M deest tua. — [13] M add. in Ecclesia. — [14] M patriarcha. — [15] M orationem ejus. — [16] M loco illorum Propitius etc. habet: Parce Deus populo tuo, et miserere gregis tui. Pasce eos, Domine noster, secundum misericordiam tuam, regeque eos, et deduc secundum gratiam tuam. — [17] R deest et verax.

qui glorificas tuos sacerdotes, exaltas[1] sanctos tuos, qui sunt pii ac justi prophetae et Apostoli, martyres et sacerdotes veraces: etiam nunc, tu Domine, in misericordia tua et clementia visita hunc servum tuum, illum admisce electis tuis, adnumera eum timentibus te, et quemadmodum, Domine, tuae voluntati complacuit et[2] hunc e gradu lectoratus sublimasti et elegisti atque ad gradum istum subdiaconatus admovisti et dignum illum reddidisti, ita illi concede, Domine, ut revelata facie ministret portae Ecclesiae tuae sanctae cum puritate et sanctitate et promereatur gradum sublimem.

Et conversus ad altare dicit:

Per gratiam, miserationes et benignitatem unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, et per operationes Spiritus Sancti. Nunc.

Inclinatus[3]*:*

Respice in nos[4] et ad ministerium nostrum nosque emunda ab omnibus sordibus et de coelo concede gratiam huic servo tuo, ut per tuum erga homines amorem dignus sit, qui sine culpae reatu consistat in ministerio[5], ad quod ipsum vocasti, et gratiam atque misericordiam inveniat in conspectu tuo cum omnibus illis, qui a saeculo tibi placuerunt.

Et illum erigit*[6] *suamque vocem attollens dicit:

Quia tu es Deus, qui vis miserationes et benignitatem[7], tibique convenit gloria, honor et adoratio ab omnibus una cum unigenito Filio tuo ac Spiritu tuo Sancto. Nunc.

Induit illum tunica sua et dicit:

Indue, Domine, hunc servum tuum tunica[8] subdiaconatus ad laudem et honorem Trinitatis sanctae, ad tranquillitatem et aedificationem Ecclesiae tuae sanctae et omnium filiorum ejus, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula saeculorum *Amen*.

Episcopus imponit super collum ejus orarium dicens:

Indue, Domine, hunc tuum servum orario subdiaconatus ad laudem etc.[9]

***Et benedictionem accipit ab episcopo, qui tradit illi vas aquae et orario involvit collum ejus eumque tradit uni, qui ipsum per ecclesiam circumducat, ordinate instituta processione, ipsum apprehendens per orarium, et dicunt cantus et hymnos tono remisso seu parvo, omnibus repetentibus post praeconem*[10].**

***Cantus solitarius**).**

Convivium magnum et excelsum fecit sponsus coelestis Ecclesiae sanctae fideli. Et invitavit ac vocavit omnes populos, ut venirent et

---

[1] R exaltator praesulum suorum, magnificator sanctorum tuorum. — [2] R qui placuerunt tibi. Et quomodo. — [3] R add. dicit secreto. — [4] R add. Domine. — [5] R ut agnoscat ministerium; deest sine culpae reatu. — [6] R deest Et illum erigit. — [7] R deest qui . . . benignitatem. — [8] R gradu. — [9] R deest haec formula. — [10] R et procedunt cum eo circum ecclesiam canentes responsoria, et illud, quod est officium proprium. M Episcopus induit eum tunica sua et orario suo, eumque benedicit, et praeficit vasis ecclesiae. Postea episcopus involvit orario collum ejus, cum circumducunt eum per ecclesiam, dicuntque tono remisso.

*) Ita corrigendus Assemanus ex ipsius animadversione in Praef. p. XCII. et ubicunque vertit: ad unionem.

gauderent convivio, quod fecit sponsus sponsae suae Ecclesiae, quam per crucem suam desponsavit. Duodecim scriptores et septuaginta duos lectores in ea collocavit et in medio ejus statuit illos, ut diebus et noctibus divinitati suae inservirent, *alleluja.* Parce congregationi nostrae, quae te deprecatur.

Cum autem pervenit ad candelabrum, extinguit illud et ipsum accendit tribus vicibus. Postea vadunt ad portam ecclesiae eamque claudit et aperit tribus vicibus et revertuntur).*

Archidiaconus dicit psalmum: Exalta me.

Exalta me, Domine, exalta me, dixit sacerdotium Domino suo, et conversus Dominus noster dixit ei: Nullus est gradus excelsior tuo, neque in congregationibus domus Gabrielis, neque in coetibus domus Michaëlis, neque in ordinibus Seraphim est gradus excelsior tuo. Sacerdotes sunt in gradu angelorum et diaconi Seraphim, subdiaconi autem et lectores sunt instar vigilum, qui in ministerium mittuntur.

Tum tradunt ei, ut legat ex Actibus cap. 3.

Carissimi, hoc est, quod per prophetam Joel dictum est: Erit in diebus novissimis, dicit Dominus, effundam spiritum meum *etc. usque:* et magnificabant atque laudabant Deum [1].

Archidiaconus proclamat tono S. Ephrem.

Stemus omnes in oratione [2] et supplicemus ei cum singultu [3] et vocibus ipsi gratis ad Dominum unanimes clamemus. Petamus a Patre abscondito et a Filio laudabili et sancto atque a Spiritu sanctitatis Paraclito arma, quae induerunt fideles. Erubescimus, Domine, tibi supplices fundere preces; cum te placavimus, ad iracundiam te provocavimus, et cum nos poenituit uno instanti, in altero mutata sententia te incitavimus [4]. Vae nobis, quia multiplicata est iniquitas nostra et en veluti fumus vaporem emittit, neque est, qui recogitet mente et veritatem judicet ex corde. En ad portam tuam, medice misericordiarum, pulsant aegri et angustiati, clementia tua adstet et fascias ac medicamina provideat nostrae infirmitati. Colloca in regione nostra gratiam tuam, dono tuo unumquemque exorna; tu es enim fons, qui medicinam vitae propinat hominibus. Non sit nunc ira tua causa mortis nostrae humanae naturae, respice in tuum gregem, quem virga tua terret quidem, sed crux tua tranquillum reddit [5]. Sit vox orationis nostrae clavis thesauri tui abundantis, os nostrum tibi sit, Domine, thus plenum reconciliatione. Parce

---

[1] M lectionem in extenso habet Act. 2, 16—19. (et ponam signa in coelo et portenta in terra) 21. 38. (convertimini et baptizamini) 39. (Vobis enim facta est promissio, ut filiis vestris, et omnibus illis, quos Dominus vocavit.) Apud A. finis est ex 2, 47. — [2] M add. coram Deo misericordiae. — [3] M deest et . . . singultu. — [4] M Erubescimus Domine deprecari te, quia placata ira tua dum nos poenitet, uno et eodem tempore mutata sententia iram tuam provocamus, et in nos accersimus. — [5] M Aspice eam oculis tuis, quia tremenda virga tua erit ei tranquillitas.

*) *Arabica expositio.*

Ter fiat processio in ecclesia, et qualibet vice extinguat ordinandus et accendat candelabrum ecclesiae. Similiter et claudat aperiatque portam ejus et si aes campanum in ea adsit, hoc pulset, deinde a processione regrediuntur.

nobis, amator hominum et propitius esto nobis, Rex Christe, et perfice nobiscum gratiam tuam in pietate et sanctitate[1].

Episcopus orat:

Deus clemens et miserator, qui sanctorum orationes exaudis et in supplicationibus justorum laetaris atque petitiones piorum suscipis, exaudi per misericordiam tuam[2] orationes nostrum peccatorum et annue petitionibus nostris rectis[3], et complaceat tibi in nobis et in opere manuum nostrarum et praedicationem suscipe servi tui diaconi altaris tui ad tuae vivificae voluntatis reconciliationem[4], propitius esto debitis nostris et dimitte insipientias nostras per clementiam tuam. Pater.

Ter signat eum cruce in fronte voce dicens:

Promotus est in Ecclesia sancta Dei.

Archidiaconus dicit:

N. subdiaconus altaris sancti ecclesiae sanctae N.[5]

Episcopus dicit:

N. subdiaconus in ecclesia sancta orthodoxorum, quae praenominata est, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

Episcopus conversus ad altare inclinat se et dicit:

Suscipimus gratiam tuam[6], Domine omnipotens, in omnibus et propter omnia, celebramus et glorificamus nomen tuum sanctum, quoniam magnifice nobiscum egisti[7] et benedictionem tuam super hunc tuum servum demisisti, teque precamur et rogamus, Domine, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum et complaceat tibi in benedictione subdiaconatus, quae illi demissa est per tuum in homines amorem, et da ei, ut pure, sancte et caste perficiat omne suum ministerium.

Et extollit vocem suam.

Et tuam reconciliationem obtineat per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi convenit gloria et honor una cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono et adorando. Nunc.

Episcopus dat illi candelam accensam, et ordinandus ter dicit:

Ego sicut oliva gloriosa in domo Dei ad pacem et aedificationem Ecclesiae sanctae.

Et osculatur altare ac episcopum, communionem mysteriorum percipit ac pacem accipit. Episcopus obsignat.

Deus deorum et Dominus dominantium, qui sedet super Cherubim et intuetur abyssos inferiores, ipse nos respiciat in hoc instanti oculo misericordiae et clementiae et benedicat operi manuum nostrarum peccatricium ac perficiat nobiscum gratiam[8] suam, dimittat debita nostra, indulgeat insipientiis nostris nosque dignos reddat, qui stemus coram ipso omnibus diebus vitae nostrae sine ullo reatu et in novissima die procedamus obviam illi facie revelata et cum fiducia ipsi gratia et ad-

---

[1] M Parce Deus populo tuo, et miseratione commoveare in gregem tuum, tresque voces laudis offeramus Trinitati. R rubricas easdem habet, desunt tamen cantus et praeconium, indicatio psalmi et capitis Actuum. — [2] R deest per misericordiam tuam. — [3] R deest rectis. — [4] R ad beneplacitum tuum vivificans. — [5] M in ecclesia sancta urbis N. — [6] R gratias agimus tibi (quod idem est). — [7] R magnificasti promissa erga nos tua. — [8] R add. et clementiam.

misceamur sanctis ejus atque connumeremur cum justis ejus, thalamum[1] ipsius ingrediamur et gloriam canamus gratiae ejus. Nunc.

Explicit et Deo laus. Amen.

Item chirotonia seu impositio manus super diaconos.

Et primo legit super ipsum canonem Apostolorum[2]*:*

Oportet, ut sint puri et animas suas contineant ab amore pecuniae et a lucris turpibus neque sint bilingues neque ament multum vinum nec sint minores XXI annorum*).

Canon. Qui diaconi fiunt, si scitur, quod matrimonium desiderent, quia caelibes esse non sustinent, nubant recte; neque erit in eis, quod gradui eorum contemptum afferat, quia episcopus potestatem super hujuscemodi res habet. Si autem non monuerint episcopum de matrimonio et gradum sacerdotii susceperint et conversi matrimonium inierint, isti suspendantur a propriis gradibus[3]**).

---

[1] R tabernaculum. — [2] R Canon Apostolorum. — [3] R Cum diaconi suscipiunt ordinationem, si qui testentur prius opus sibi esse conjugio, quod aliter permanere non possint ob imbecillitatem continentiae corporum suorum, idque coram metropolita professi sunt, si postea nubant, permanebunt irreprehensibiliter in ministerio, quia id illis permissum fuit. Qui vero tacuerunt et ordinationem susceperunt, ita permaneant: quod si deinde ad matrimonium venerint, prohibeantur a ministerio.

*) *Arabica expositio hujus loci talis exstat in codice.*

Sensus est, quod oporteat diaconos mundos esse et ab argenti concupiscentia alienos, ne impliciti sordidis lucris negligant exercitia proprii spiritualis ministerii, non potest enim homo duobus dominis servire, ut edicit Evangelium. Neque oportet eos bilingues esse, una scilicet lingua divina verba eloqui et libros sacros legere, altera vero fundere impuros Satanae sermones, qui partim pravam excitant concupiscentiam, aliqui vero odium et iram accendunt, amaritudines, invidiam, murmurationem inducunt, alii provocant ad homicidia, adulteria, scandala et fornicationem et quae similia, uti Jacobus Apostolus in sua epistola canonica testatur, neque enim ex uno fonte potest fluere aqua dulcis et amara: ac a lingua prodeunt virtutes et vitia; lingua enim est malum infrenabile, et si zelus amarus vos angat et sint in cordibus vestris dissensiones, nolite mentiri veritati, quia non est haec sapientia descendens a Deo, sed animalis est, lex diabolica, ubi est invidia et dissensio, sapientia autem, quae de sursum est, pura est, simplex neque inobediens. Ad haec oportet diaconos multo vino non esse servientes; nam Apostolus testatur, quod in regnum Dei nequit introire moechus, homicida, concubitor masculorum et vinolentus. Demum diaconus minor XXI. anno esse non debet, quia tunc assequitur plenum judicium et evadit in virum perfectum.

**) *Arabice exponitur canon per haec verba:*

Ancyranus (X. juxta ordinem). Qui gradum diaconorum appetunt et continentiam servare nequeunt, sed et matrimonium cupiunt, primum nubant, tum suscipiant impositionem manus et maneant in ministerio proprii gradus, quia episcopus id concedit eis. Quod si episcopum certiorem non fecerint de

Canon. Diaconus non benedicit, neque benedictionem dat, sed a sacerdote mandatum accipit, scilicet ab episcopo vel presbytero, eamque dat populo[1] non ut sacerdos, sed ut diaconus; sacerdotibus enim non licet, opus diaconi implere, quando diaconus adest*).

Canon. Non decet diaconos oblationem dare presbyteris, sed maneant in sua mensura, scientes se minores esse presbyteris, neque potestatem habent sedendi inter presbyteros[2]; hoc enim est extra canonem et ordinem. Quod si vero quis canoni non obaudiat, ab officio diaconatus cesset.

Primum electus stat subtus gradus, qui est ante altare, habens caput apertum et inclinatum, donec conficiatur oblatio. Et statim apprehendit eum episcopus per manum dexteram et ascendere eum genuque dexterum flectere jubet coram altari. Ipse autem dicit: Benedic Domine. *Episcopus vero signat eum cruce in fronte tribus vicibus et dicit:*

Dominus Deus benedicat tibi inter diaconos[3] Ecclesiae sanctae ad altare sancti N.[4] oppidi N. in nomine Patris † *Amen*, et Filii † *Amen*, et Spiritus Sancti † in saeculum *Amen*.

Et incipit: Gloria[5]. *Diaconus:* Pro. *Episcopus orat:*

Praesta nobis, Domine Deus noster, ut impleamus hoc purum ac mysticum ministerium et simus tibi templa sancta et in nobis habitet gratia[6] tua divina; hunc autem servum tuum perfice et consumma in ministerio isto spirituali, ut et nos et ipse te glorificemus et Patrem tuum.

Et dicunt: Gloria Deo. *Episcopus orat:*

Exorna, Domine, servum tuum abundantia tuorum divinorum charismatum, ut anima et corpore puris laetus et hilaris ministret in conspectu tuo cunctis diebus vitae suae, et attollemus.

Et dicunt tonum, qui scriptus est in primo gradu. Archidiaconus thus offert et dicit:

Stemus recte in oratione et petitione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram altari propitiatorio ipsius et coram sanctis mysteriis super ipsum positis et coram impositione manuum servi Dei N., qui religiose stat coram patre nostro, episcopo pio Dei nostri[7], per cujus manus perficitur. Per aromata, quae ponuntur, Dominum exoramus.

Episcopus suavitates ponit et dicit prooemium:

Illi, qui in gratia sua non invidet, sed statuit sibi in coelis coelorum ecclesias supernas, ministros ignis et spiritus, et glorificavit et in-

---

[1] R cum vero mandatum significat populo. — [2] R coram sacerdote. — [3] R te diaconum. — [4] R sanctum D. N. — [5] M et dicitur: Laus Deo et consuetus psalmus, Miserere. — [6] R majestas. — [7] M episcopo Domino N. metropolita nostro.

matrimonio et susceperint manus impositionem, si postea matrimonium inierint, suspendantur e ministerio proprio propter fraudem in promissione castitatis.

*) Arabica expositio canonem Apostolis attribuit, sed quia expositio nihil continet praeter simplicem versionem literalem, eam mitto.

signivit eos decore splendoris primi et ob suum in homines amorem confirmavit et perfecit in Ecclesia sua sancta diaconos, qui in puritate ei ministrent in similitudine eorum, qui intellectualiter ministrant dominationi ejus, quoniam immensa est gloria magnitudinis ejus [1]: oramus et deprecamur bonitatem tuam, ut descendere facias super nos et super hunc servum tuum gratiam tui Sancti Spiritus, ut, sicuti convenit dominationi tuae, ministremus coram magnitudine tua [2], Pater et Fili et Spiritus Sancte. Tibi gloria. Nunc.

Ordo. Christe Deus noster, qui clarificas ministerium spirituale, qui exornas et exaltas ordines ecclesiasticos; qui eos, qui honorant altare tuum et ministrant pure ac sancte, invitatos regni fecisti, quoniam dixisti: Ubi ego sum, ibi et minister meus erit; qui Stephanum principem diaconorum et protomartyrem ostendisti tuorum praeceptorum executorem perfectum: tuas miserationes obsecramus, ut per preces illorum [3] et omnium tibi placentium hunc quoque famulum tuum, qui ad ordinem diaconatus accessit, diaconum constituas, qui juxta voluntatem tuam gradiatur semitam mandatorum tuorum rectorum; diaconum, qui die ac nocte meditetur in lege dominationis tuae; diaconum, qui robur spirituale assidue protelet; diaconum, qui puritatem animae et corporis superlucretur; diaconum, qui veram fidem praedicet [4]; diaconum, qui congruenter cursum evangelicum impleat; diaconum mundum et sanctum; diaconum in vera charitate confirmatum, quique ea plenus appareat; diaconum, qui gratiam Domini sui in saeculum psallat; diaconum, qui sollicitus sit in evangelicis doctrinis curandis; diaconum, qui talentum spirituale sibi creditum geminet splendide et evangelice; diaconum, qui sanctum altare humilitate et sanctitate sublimi ornet; diaconum, qui juxta apostolicum mandatum exhibeat similitudinem divinam pulcherrimam; diaconum dexterum [5], qui ab omni malo et ab omni dolo cor suum custodiat et linguam; diaconum dexterum, qui perfecto odio insectetur haereses pravas; diaconum dexterum et fidelem, in quo fideliter et [6] dupliciter appareat opus bonum; diaconum dexterum, qui in sacerdotalibus altaribus thus propitiatorium adoleat; diaconum dexterum, qui pura jejunia servet et orationes perpetuas persolvat [7]; diaconum dexterum et cytharoedum divinum, qui dulces cantus a Spiritu Sancto compositos ministret [8]; diaconum dexterum, qui praefulgeat charitate erga Deum, fratres et peregrinos; diaconum dexterum, qui quavis hora gloriam Deo attollat: diaconum dexterum, qui semper laudes Domini eructet [9]; diaconum dexterum, qui omni tempore peragat et impleat omnia illa bona, quae Deo grata sunt. Cum igitur haec, quae tuae voluntati placent, commemoramus, Domine [10], et nos et ipse insimul ad latus tuum [11] dexterum constituamur et attollemus.

Et dicunt: Ego, ego [12], *ut in ordine primo.*

---

[1] R per hymnos incessabiles et laudes dignitatis ejus: deest quoniam . . . ejus. — [2] R ministret coram te. — [3] R ejus. — [4] R deest diaconum . . . praedicet. — [5] R dextrae; et ita porro. — [6] R deest fideliter et. — [7] R deest persolvat. — [8] R in Spiritu Sancto moduletur in Ecclesia sancta. — [9] R deest diaconum . . . eructet. — [10] R deest Domine. — [11] R. portam. — [12] R Sanctus, qui demisit majestatis suae praesentiam etc. M. et dicitur. Sanctus, qui habitare fecisti majestatem tuam.

Episcopus orationem thuris:

Multitudini miserationum tuarum, o Domine, offerimus hunc aromatum suffitum pro servo tuo, qui praeparatus est ad sancto sacerdotio fungendum [1], ut per te sanctificetur in domesticitate tuorum divinorum mysteriorum et cum fidelibus et prudentibus patribus familias domus [2] suscipiat charismata vocationis supernae, et attollemus [3].

Archidiaconus proclamat [4]:

Iterum atque iterum, perpetuo et omni tempore Domino supplicemus; pro superna pace et salute animarum corporumque nostrorum Domino supplicemus; pro patre nostro religioso [5] et gubernatore nostro in Christo Domino N., metropolita [6], et pro omni ejus clero, Domino supplicemus.

Ephremiticus.

Bone, accipe nostram deprecationem et in nos omnes misericordiam tuam effunde, parce et miserere humilitatis nostrae, Ecclesiae et omnium filiorum ejus. Dextera tua plena misericordia illabatur in eos, o clemens [7], qui parati sunt hodie, ut accipiant a te sacerdotium. Dona amorem tuum et veritatem tuam iis, qui sunt intra portam domus sanctitatis, et inhabitet in eis, Domine gratia tua, ut in discipulis in coenaculo. Promissum, quod exspectarunt justi et desiderarunt sancti, illud idem concupiverunt servi tui, ut impositionem manus [8] suscipiant.

De fonte aquae vivae biberunt justi et sanctificati sunt; et animae servorum tuorum istorum sanctificentur per impositionem manus [9]. Atque spes vitae erit eis arma et clypeus, et redemtio crux tua viva et sancta; per hanc transibunt in regionem vitae. [10]

Alius. O amator lucrorum, ne taedio afficiare in tribulationibus [11], quia oratio tua ipsa te conservabit [12] in hoc saeculo et in illo futuro; ne repules otiosum tempus, in quo precaris, thesaurus est in supernis repositus tibi in illo instanti, in quo oras. Furare et eripe tibi horam de die et ingredere, precare in ea coram Domino; et si possibile est, o prudens, coram multis eam exhibe. Usquequo lugebis super divitiis, quae hic remanent, usquequo tristitia erit tibi super aurum, quod non conservatur. Parce nobis, hominum amator, et propitius esto nobis, Rex Christe, et perfice nobiscum gratiam tuam in pietate et sanctitate. [13]

Episcopus orat:

Deus sanctissime, qui requiescis in sanctis et vis poenitentes, peccatoribus clemens ades et in justis laetaris, humiles amas et pauperibus misereris [14], quique timentium te voluntatem facis, orationes exaudis eosque redimis; tu Domine, per miserationes tuas exaudi orationem nostram, per clementiam tuam suscipe deprecationem nostram, et placeat tibi supplicatio nostra pro servo tuo isto, qui hodie accessit et hanc sui chirotoniam accepit [15], da illi, ut a te obtineat gratiam divinam cum impositione manus sacerdotatis in diaconatum, suscipe praedi-

---

[1] R ad ministerium sanctum. — [2] R oeconomis. — [3] R referantque tibi gloriam et gratiarum actionem. — [4] M add. Benedic Domine. — [5] M add. et electo. — [6] M episcopo. — [7] M Deus. — [8] M. sacerdotium. — [9] M hodie haereditabunt vitam aeternam. — [10] M deest crux. . . . vitae: add. non timebunt Domine animae eorum in illo die, quo fiet judicium. — [11] M in oratione. — [12] M tibi adhaerebit. — [13] M Parce, Domine, populo tuo et miserere gregis tui; tres autem laudis voces offeramus Trinitati. — [14] R pauperes, deest misereris. — [15] R ejus suscipe.

cationem servi tui diaconi[1] altaris tui et propitius esto nostris debitis et peccatis, Domine Deus noster.

Et dicunt trisagium et symbolum fidei. Archidiaconus ducit eum manu dextera et dicit:

Offerimus sanctitati tuae, o pater noster religiose[2] Dei, Domine N., metropolita, hunc amantem Dei N., qui hic adstat, ut impositionem manus divinae accipiat ex ordine subdiaconatus ad ordinem diaconorum, ad nomen altaris sancti[3] Domini N., oppidi[4] N., estque subditus beatitudini vestrae, pater noster.[5] Dum oramus et supplicamus omnes Deo pro eo clamemus et dicamus tribus vicibus: Kyr., Kyr., Kyr.

Episcopus illum genu dexterum flectere jubet, et manum super caput ejus imponens dicit:

Gratia divina et donum coeleste, quae omni tempore implet defectum nostrum curatque infirmitatem nostram et alligat vulnera nostra atque curam gerit aedificationis[6] sanctae Ecclesiae, vocat et eligit hunc servum Christi N., qui oblatus est, ut ascendat ex gradu et ordine subdiaconatus ad gradum seraphicum diaconorum in ecclesia sancta divi N., oppidi N., et quidem judicium faciet et vindictam[7] iis, qui ipsum obtulerunt. Oremus itaque, precemur et supplicemus omnes insimul, ut illapsus Spiritus Sancti veniat super eum, et dicamus ter: Dona ei, Domine.

Diaconus dicit: In pace Domino supplicemus.

Episcopus se inclinat.

Eja, Domine, quaeso, dignum illum praesta vocatione diaconorum[8], ut promereatur per tuum in homines amorem, uti convenit nomini tuo, tibi exhibere servitutem tuoque altari sancto ministrare et misericordiam invenire in conspectu tuo.

Et extollit vocem: Quia Deus misericors et miserator es, cui congruit gloria, honor et imperium una cum dilecto Filio tuo ac Spiritu tuo Sancto. Nunc.

Et inclinat se: Domine Deus virtutum, qui posuisti nos in sortem ministerii hujus, qui mentes hominum sapientia erudis[9] et corda scrutaris ac renes, exaudi nos secundum multitudinem miserationum tuarum et munda nos ab omni inquinamento carnis et spiritus: aufer peccata nostra, ut nubem, et ut nebulam iniquitatem nostram; reple nos tua virtute et gratia unigeniti Filii tui tuique Spiritus Sanctissimi operatione et idoneos nos fac, qui simus ministri Testamenti Novi, ut possimus, uti convenit nomini tuo sancto, stare[10] coram te ad sacerdotio fungendum et ministrandum tuis divinis sacramentis; neque permittas nos participes fieri peccatorum alienorum, sed et nostra dele et dona nobis[11], ut nihil faciamus in declinatione seu praevaricatione, verum concede nobis scientiam ad eligendum eos, qui congrui sunt, ut offerantur tibi.

Et extollit vocem: Et suscipe diaconum ac perfice hunc servum tuum, qui hic adstat, et exspectat donum tuum coeleste, quoniam suavis

---

[1] R in diaconum. — [2] M. add. et electe. — [3] M super altare sanctum. — [4] M add. benedictae. — [5] M add. sancte Dei. — [6] R filiorum. — [7] R de quo judicium factum est et inquisitio ab. — [8] R Domine, qui praestitisti servo tuo vocationem ad diaconatum, praesta. — [9] R nosti; deest sapientia. — [10] R ut glorificemus sicut dignum est nomen tuum sanctum stemusque. — [11] R add. Domine.

es et multum misericors es erga omnes, qui invocant te, et fortis est potestas tua tuique[1] Filii ac Sanctissimi tui Spiritus. Nunc.

Et complanat manus suas easque ponit super mysteria. Tum expandit brachia sua et conjungit tribus vicibus super corpus et super sanguinem et volas suas extensas super calicem tollit[2] *easque super caput suum reducit*[3], *quod ter facit*[4], *erigens manus et expandens brachia sursum eaque demittens tremula*[5], *oculos suos ipse episcopus sursum cum timore intendit. Postea vero imponit dexteram suam super caput ejus et disco*[6] *contegit manus et caput ordinandi; ipse autem episcopus interim manus suas absconditas tenens dexteram quidem ponat super caput illius*[7] *et sinistram circumagit et ore suo orans quiete dicat orationem:*

Deus, qui aedificas Ecclesiam tuam illamque fundas, qui auges et imples defectus ipsius per manus sanctorum tuorum, qui in omnibus generationibus ad illius gubernationem ordinati fuere: tu Domine in hac hora aspice servum tuum et demitte in eum gratiam Spiritus tui Sancti, reple eum tua fide, charitate, virtute et sanctitate, et quemadmodum gratiam dedisti Stephano, quem primum vocasti ad hoc ministerium, ita concede, ut super hunc quoque servum tuum veniat auxilium de coelo; non enim per impositionem manuum nostrarum peccatricium, sed per operationem uberum tuarum misericordiarum datur gratia iis, qui illa digni sunt. Idcirco rogamus et obsecramus te, libera nos a participatione peccatorum alienorum, quia tu es, qui retribuis unicuique homini juxta opera sua. Tribue itaque nobis, Domine, ut nihil agamus inordinate, sed concede nobis scientiam ad eligendum eos, qui idonei sunt, et ut admoveamus illos[8] altari tuo sancto, ut irreprehensibiliter ministerium tuum expleant ad profectum et incrementum populi tui, neque sint offendiculum Ecclesiae tuae, ut et ipsi liberentur a reatu aeterno, nos autem evadamus retributionem timendam eorum, qui peccant in altaria tua.

Et conversus ad altare extollit vocem suam ac dicit:

Ut puro corde stantes coram altari tuo sancto inveniamus misericordiam una cum hoc servo tuo in die tuae justae retributionis, quia Deus misericors et benignus es tibique convenit gloria et honor ac potestas una cum unigenito Filio tuo et Spiritu tuo Sancto. Nunc.

Et manum suam ponit super mysteria, tum super caput ejus dicens: Pax vobis. *Populus:* Et cum. *Deinde dicit:*

Sanctus es, Domine Deus, qui in sanctis habitas, et in sanctis[9] requiescit voluntas tua et a ministris sanctis et spiritualibus sancte coleris, qui mysteria ista sancta et spiritualia[10], quae a tua bonitate et gratia collata sunt[11] generi humano imbecilli, praestitisti[12] huic nostrae humili humanae naturae, ut participes effecti hujus spiritualis sanctorum angelorum ministerii repleti essemus[13] tui sanctitate, spe, charitate, fide atque religione.

---

[1] R add. unigeniti. — [2] R et accipit ex calice in pugillos suos conjunctos. — [3] R ordinandi vertit. — [4] R deest quod ter facit. — [5] R motitando add. super caput ejus: idque ter facit. — [6] R velo. — [7] R ita ut dextera aperta sit et imposita capiti ordinardi. — [8] R qui digni sunt offerri ad; deest et. — [9] R add. habitat et. — [10] R coelestia. — [11] R ex gratia tua etc.; deest quae collata sunt. — [12] R add. et. — [13] R ministerium hoc spirituale angelorum sanctorum, fac ut repleamur.

Et sicuti gratia[1] concessa fuit servis tuis sanctis, qui ab Apostolis tuis admoti sunt et electi diaconi in sanctis ecclesiis et in monasteriis fidelibus, ita complaceat tibi, Domine Deus, in servo tuo N., et concede ei auxilium et gratiam de coelo tuo; non enim per impositionem manus nostrum peccatorum et pusillorum, sed per illapsum divinae[2] tuae misericordiae confertur gratia Spiritûs tui Sancti omnibus illis, quos idoneos fecisti, ut illa digni essent quique accederent ad te. Cum nos peccatores multas tuas miserationes exoramus et obsecramus pro hoc servo tuo, confirma illum in fide orthodoxa et funda in eo veritatem tuam, atque corroboretur in hoc mystico ministerio, ad quod ipsum idoneum[3] dignumque fecisti, et sit, Domine, speculum bonorum operum populo tuo benedicto et fideli, dum pure, juste, caste[4], sancte, nitide et caute[5] consistat coram te et tuo sancto altari cunctis diebus vitae suae et[6] ministerium exhibeat perfectum et accuratum, quod ipsi praeparavit clementia[7] miserationum tuarum per hunc gradum, quem a tua gratia suscepit; et da illi in hoc et futuro saeculo, ut decore et sanctitate tua perficiat omnia congrua ad laudem tuam[8] atque ad aedificationem tui populi fidelis, Domine, in omnibus, quae dicit, agit et operatur[9], ut sit lux et sal Ecclesiae sanctae tuae.

Et conversus ad altare extollit vocem suam[10] ac dicit:

Per gratiam tuam et per amorem erga homines unigeniti Filii tui et per illapsum Spiritus tui Sanctissimi. Nunc.

Archidiaconus praedicat Jacobiticum:

Stemus omnes in orationibus coram Deo et petamus ab eo gratiam et misericordiam ac veniam debitorum[11], petamus a Patre abscondito et Filio laudando ipsius Verbo[12] et a Spiritu Sancto, Deo uno, illi gloria[13]. Oro ego, Domine, ut alienus non fiam a commercio tuo. Si iniquitas ejecit me, introducat me amor tuae suavitatis. Peccatum insidiatum est mihi et sine modo contritionem meam multiplicavit. Tu, Sapiens, fasciis alliga vulnus, quod me angit. Ego peccavi, Domine, et ego nunc ecce te deprecor; suscipe deprecationem meam et dele chirographum peccatorum, quae feci. En, vorago magna iniquitatis me absorbet et deglutit, Domine noster; da mihi manum tuam, et eripiar ex ea et in ea non peribo. Impius abscondit mihi laqueos et me fraudulenter venatus est; Domine bone, contere laqueos ejus[14] et evadam ego. Pastor bone, egredere ad inquisitionem ovis errantis et non relinquas illam[15] in manibus inimici, qui quaerit vitam ejus. Parce, Deus, gregi tuo, qui te deprecatur et ternis laudis vocibus gloriam offerat nomini tuo.

Episcopus:

Deus, per tuam misericordiam exaudi orationem nostram et tua clementia suscipe ministerium nostrum et perfice[16] stationem nostram in conspectu tuo ac supplicationem nostram pro hoc famulo tuo. Tibi com-

---

[1] R add. Domine. — [2] R abundantium. — [3] R deest idoneum. — [4] R cum modestia. — [5] R vigilantia et dignitate. — [6] R deest et. — [7] R Praepara illi gratiam. — [8] R quae adsit illi in hoc saeculo et in futuro, perficiatque praeclara omnia ad laudem et honorem sanctitatis tuae Domine. — [9] R deest et operatur. — [10] R deest extollit vocem suam. — [11] M ut eum invocemus; deest ac veniam debitorum. — [12] M deest ipsius Verbo. — [13] M ut misereatur nostri, deest illi gloria. — [14] M contere eos. — [15] M me. — [16] R deest perfice.

placeat, Domine, in nobis et in chirotonia hujus servi tui[1], et da illi, Domine, ut verbum vitae praedicet lingua ipsius Ecclesiae sanctae et omnibus filiis ejus sitque praeco veritatis et justitiae[2] et illustretur tuis divinis mandatis per orationes Genitricis tuae et sanctorum tuorum. Domine Deus noster, tibi gloria.

Et manum suam ponit super mysteria et super caput ejus dicens:

Sanctus et gloriosus es, Domine, qui fecisti angelos tuos spiritum et ministros tuos ignem urentem, coram quo stant mille millium, et myriades myriadum decorem dominationis tuae glorificant; Cherubim magno vocum suarum motu aeternitatem tuam benedicunt, et Seraphim tremore alarum suarum tuam absconditam essentiam sanctificant; ignis constrictus est in tuum ministerium[3] et spiritus velox[4] est ad tuum decorem. Cum itaque bona voluntate tua per misericordias tuas perpetuas ab initio genus humanum infirmum et humile, tu Domine, prosecutus es, dum fecisti tibi glorificatores et ministros ex genere terrenorum: confitemur misericordiae tuae, Domine, qui clemens te ad nos demisisti, ut magnitudo tua a terrenis ministraretur, uti a spiritualibus. Placeat tibi, Domine, modo et per miserationes tuas multas concede nobis remissionem, quae a te est, ac ministerium spirituale concede huic servo tuo N., qui animam suam effudit coram te exspectans gratiam tuam, ut accipiat a te splendidum jugum ministerii tui spiritualis. Reple eum, Domine, virtute tua occulta, illabatur super eum Spiritus tuus Sanctus, et suscipiat per hanc manus impositionem donum bonum, ut sit diaconus mysteriorum tuorum spiritualium et in ipso clarificetur nomen tuum sanctum et decoretur[5] altare tuum propitiatorium et per ipsum laetum et hilarem Trinitati sanctissimae ministerium exhibeatur et in eo voluntas tuae divinitatis compleatur tuisque mysteriis ministret religiose atque nitide stet coram altari tuo ac te collaudet.

Et conversus ad altare dicit: Et attollamus laudem nomini Trinitatis laudabilis[6]. Pater.

Et inclinatus: Respice in nos, Domine, et in hoc ministerium nostrum et munda nos ab omnibus sordibus, cum de coelo huic servo tuo gratiam impertiris, ut dignus sit per donum tuum, qui irreprehensibiliter ministret tibi et inveniat miserationes, quae a te sunt, cum omnibus sanctis, qui a saeculo tibi placuerunt.

Et extollit vocem suam:

Quoniam tu es Deus, qui vis misericordiam et benignitatem, tibique convenit gloria, honor et adoratio ac Filio tuo unico et Spiritui tuo Sancto. Nunc.

Et manum suam ponit super mysteria et super caput ejus dicens:

Domine Deus omnia tenens et omnia gubernans, qui per hoc diaconorum officium Ecclesiam tuam sanctam exornare voluisti et eximio decore illam exaltasti eamque sublimas[7] per sanctum tuum donum[8], tu Domine, gratia tua elegisti servum tuum Stephanum, qui plenus erat

---

[1] R add. N. — [2] R deest et justitiae. — [3] R Ignis in circuitu tuo. — [4] R terribilis. — [5] R deest decoretur. — [6] R sanctae. — [7] R exaltas. — [8] R deest per . . . donum.

gratia Spiritus Sancti[1], et[2] per manus sanctorum tuorum Apostolorum[3] ad hunc diaconatus gradum illum vocasti et admovisti cum reliquis suis sociis; tu Domine, per gratiam tuam hunc tuum servum[4] adscribe ordini tertio, qui est diaconatus, ut, Domine[5], cum puritate et sanctitate impleat omne ministerium domus tuae et altaris sancti tui et tribuat calicem salutis populo tuo fideli sitque, Domine[6], visitator orphanorum et viduarum confortator, sit etiam mente pervigil, conversatione perfectus et paratus, qui quotidie bona agat tibi, Domine, praeclarum exhibens cultum, in rectitudine ambulans ac justitiam faciens, te ipsum confirmante ad stabilitatem et directionem universae gubernationis Ecclesiae sanctae.

Et convertitur ad altare ac dicit:

Per gratiam tuam et per multas tuas miserationes attollemus gloriam tuo sancto nomini. Pater.

Et manum suam ponit super mysteria et super caput ejus dicens:

Domine Deus universorum, qui bonitate scientiae[7] tuae dedisti donum sanctum illis, qui dudum obsignati fuere a magnitudine tua immensa et ineffabili ad ministerium divinorum tuorum mysteriorum; tu Domine, hunc quoque servum tuum, in quo nunc complacuit sibi gratia tua hodie, et qui suscepit[8] a te impositionem manus diaconatus; tu Domine, vitam ejus custodi in puritate omni et sanctitate, ut teneat mysterium rectum fidei juxta cordis sui puram sententiam[9], et concede illi[10] per misericordias tuas illud donum, quod contulisti Stephano protomartyri et primo omnium diaconorum, quem tu, Domine[11], vocasti et promovisti primum ad opus ministerii hujus. Et praesta, Domine, ut placeat tibi servus tuus iste per gradum hunc diaconatus hujus, quem tribuisti ei hodie; fac eum, Domine, perfectum in ministerio tui sancti altaris et connumera ipsum cum illis, qui recte coram te ministrarunt et pulchrum ordinem animabus suis obtinuerunt.

Et conversus ad altare dicit: Per gratiam et misericordias Trinitatis altissimae. Nunc.

Et ponit manum suam super caput ejus et super mysteria dicens:

Christe Deus, Verbum qui sanctus es et redemptor omnium timentium te, tu Domine[12], qui beatis Apostolis tuis praecepisti et dixisti: Qui in vobis voluerit esse major, sit vobis minister; tu, inquam, Domine omnipotens, super hunc quoque servum tuum N., quem dignum fecisti, qui reciperet a te impositionem manus diaconatus, mitte gratiam tuam et donum Spiritus tui Sancti et reple eum, Domine, spe, charitate et fide: non enim per impositionem manus nostrum peccatorum, sed per operationem miserationum tuarum, Domine[13], divitum tribuitur gratia iis, qui eam promerentur; rogamus et obsecramus tuas misericordias, Deus, praesta, ut servus tuus iste purus ac mundus ab omni sorde peccati consistat in conspectu tuo sine ullo reatu et in die timendi tui adventus obviam tibi laetus occurrat et a te recipiat mercedem et retributionem cum his, qui pure et sancte ministerium exhibuerunt altari sancto tuo.

---

[1] R deest Spiritus Sancti. — [2] R deest et. — [3] R add. et. — [4] R add. N. — [5] R deest Domine. — [6] R deest Domine. — [7] R per benignam providentiam. — [8] R qui hodie beneplacito voluntatis tuae suscepit. — [9] R in intimo mentis et cordis recessu. — [10] R add. Domine. — [11] R deest Domine. — [12] R deest tu Domine. — [13] R deest Domine.

Et conversus ad altare dicit:

Quia Deus es multum misericors et clemens tibique convenit gloria, honor et adoratio. Pater.

Et erigit eum ac signat cruce in fronte ter dicens:

Obsignamus cruce triumphali servum Dei N. diaconum ad altare sanctum Domini N. oppidi N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

Et induit illum tunica sua dicens:

Indue, Domine, hunc tuum servum tunica ista signo apostolico et ordine ac gradu diaconatus hujus, quem accepit a te; et a nobis ac ab Ecclesia fuit electio ipsius ad hoc altare sanctum, ad laudem honoremque Trinitatis sanctae, ad gaudium, exaltationem, tranquillitatem, pacem et aedificationem ecclesiae sanctae Domini[1] Sancti N. oppidi N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

Et orario ipsum induens dicit: Indue, Domine, hunc servum tuum[2] orario diaconatus ad altare sanctum ecclesiae sanctae Domini Sancti N. oppidi N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

Archidiaconus dicit psalmum: Exalta me.

Ministri Ecclesiae contremiscite, quia ignem vivum ministratis et potestas vobis collata sublimior est Seraphim. E summis montibus ministri clamabunt Ecclesiae contremiscite, et dabunt laudem Domino; sublimior enim est Seraphim. Hoc mysterium desideravit Isaias propheta Spiritus, et Seraphim carbonem ignis ori Isaiae admovit.

Et tradunt ipsi, ut legat Apostolum ex epistola prima ad Timotheum:

Paulus, Apostolus Jesu Christi *etc. usque:* In fide Jesu Christi. Et ipsi.[3]

Archidiaconus proclamat Ephraemiticam:[4]

Stemus omnes in oratione et supplicemus ei cum singultu et in charitate ac fide clamemus ad Trinitatem pro salute animarum nostrarum et opportuno auxilio servi tui, qui hic adstat et exspectat a tua bonitate charisma. Da illi charitatem et scientiam, ut viam mandatorum tuorum percurrat atque nitidum ministerium exhibeat cunctis diebus vitae suae. Fides ejus exaltetur in similitudinem martyris Stephani et vultus ejus instar angelici obstupefaciat omnes videntes. Revela menti ejus tuam gratiam, ut verba tua pure praedicet et tuis vivificis mysteriis caste ministret. Parce, Deus, populo tuo et miserere gregis tui tuumque servum tuis charismatibus perfice, ac in mente ejus tua gratia inhabitet.[5]

---

[1] R Dei et. — [2] R add. N. — [3] M qui lectionem in extenso habet: Fratres, similiter quoque diaconi, usque ad: illique ipsi examinentur. Diaconus sit ille, qui unius fuit uxoris usque ad: fiduciam in fide J. Ch. (I. Tim. 3, 8—10. 12. 13.) — [4] R pro his habet tantum: Diaconus dicit psalmum, et legit sectionem ex Apostolo; tum proclamationem facit. — [5] M praeconium post orationem episcopi reponit et aliud habet. Domino autem etc. *Pastor precatur et diaconus dicit alta voce hoc Domini Jacob.* Stemus omnes in oratione coram Domino et petamus ab eo gratiam et misericordiam et remissionem peccatorum, ut ipse ex benignitate sua dignetur a nobis ministerium nostrum accipere et aperiat portam suam orationibus nostris ut apud ipsum admittantur. Commendavit oves suas Simoni Petro, quia ipsi obediens erat, et eo quod obedientem viderat, pastorem fecit eum. Rogavit eum, si amaret eum, pasceret agnos suos. Et cum cognosceret, quod ab eo multum amaretur, multum

Episcopus orat:

Gloria tibi, Domine noster Jesu Christe, bone exauditor et velox misse Domine Deus [1], qui ubique audis et ubique exaudis, miserationibus tuis audi orationem nostram et perfice consistentiam hanc nostram coram te; suscipe etiam hanc chirotoniam, quae facta est super hunc servum tuum N., et da ei, ut sit tibi verus praeco et servus bonus ac fidelis, ut praedicet lingua ejus verba tua viva et divinam tuam doctrinam Ecclesiae tuae et omnibus ejus filiis. Pater.

Et tradit illi thuribulum, quo circumeat altare archidiacono et ministris praecedentibus atque cantus dicentibus, sacerdotibus vero subsequentibus ipsum et repetentibus post ministros. [2]

Tono duplici:

Praeclarum est, quod fecit Deus Simeonem caput Apostolatus, cum interrogatus est discipulus ille primus: Quis ego sum? respondit et dixit ei: Tu es Deus meus, Filius Dei, Filius Virginis. Beatus es Simon, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in coelis, et super te aedifico ego Ecclesiam et vectes seraeque inferorum non praevaluerunt ei neque praevalebunt. Alleluja, alleluja.

Et ponit thuribulum, atque illi portandus datur liber Apostolorum, ipsumque circumducunt per ecclesiam.)*

Tono duplici: Super fundamentum veritatis, Petrum et Paulum, Apostolos electos, aedificium Ecclesiae sanctae, sponsae Filii, positum et stabilitum est. Tonatque in medio ejus praedicatio duodecim Apostolorum sanctorum [3] discipulorum Filii et doctrina septuaginta duorum praeconum. Et in eo fixa est crux lucis, velut columna veritatis, et altare sanctitatis, super quod circumfertur corpus ejus. Alleluja, alleluja.

*Et deposito libro Apostoli, anaphoram motitat.**)*

---

dedit illi. Agnos, oves, et oviculas manibus ejus et potestati deposuit, persuasus veram esse in gregem suum illius charitatem. Ille prioribus dedit pontificatum et principatum et posterioribus dedit sacerdotium, quod est virtutum operativum. Ipse dedit thuris suffitum Aaroni sacerdoti et Eleazaro; et impositionem manuum Simeoni Petro et Joanni. Sacerdotio etiam Melchisedek celeberrimus illi fungebatur: illi offerebantur omnia filiorum Levi sacrificia. Illum mystice figurabat Moses cum sanguine sacrificiorum suorum. Sacerdotes autem cum vino miscent sanguinem ejus pro populo fideli. Apostoli omnes cum illo Petro discipulorum capite acceperunt Ecclesiam ab eo, qui est Dominus pastorum. Parce Deus gregi tuo, qui audit verba tua et stat coram te, ut pro indulgentia te exoret. — [1] R legate spiritualis Domini Dei. — [2] R Permittit episcopus ordinando, ut cum eo circumeat altare, caniturque responsorium proprium. Dat illi incensum, ut illud portet. — [3] M electorum.

*) Nimirum in hac secunda processione diaconus deponit thuribulum et accipit ab episcopo librum epistolarum, et unus e sacerdotibus illum per stolam ducit, atque circumeunt in ecclesia dicentes cantum sequentem.

**) Tertia instituitur processio, in qua, deposito libro Apostoli, accipit ab episcopo flabellum seu velum calicis idemque motitat super sancta mysteria, deinde idem peragit, cum circumducitur per ecclesiam, interim vero recitantur cantus praedicti. Cum autem regrediuntur, episcopus Corpus Dominicum in disco portat et convertitur ad populum ex parte australi atque ab archidiacono fit proclamatio sequens. — Renaudotius in notis ait: anaphora Syris, Naufir Arabibus est velum, quo post illationem elementorum et post consecrationem ante fractionem et communionem tegitur calix et discus sacer.

Stemus pulchre orantes[1], stemus in timore, stemus in puritate et cum reverentia[2] intueamur atque reddamus ei gratias pro consummatione hujus chirotoniae servi Dei N. diaconi et pro patre nostro religiosissimo episcopo, cujus manibus perfecta est[3]; oremus, ut producantur dies ejus in pietate et justitia, et clamemus ac dicamus ter: *Kyrie.*

*Et inclinatur ille, qui accipit impositionem manus, coram altari, et episcopus ponit manum suam super caput ejus portans discum corporis *).*

Et diaconi flabella motitant super discum; episcopus autem orat:

Eja, Domine[4], qui ministerio conditorum non eges, et creaturae omnes ad nutum tibi ministrant, tu Domine Deus, per gratiam tuam concede et per miserationes tuas praesta[5] huic servo tuo N., ut sine macula tibi ministret et sine ulla reprehensione tuum sanctum altare honoret atque corpus et sanguinem unigeniti Filii tui dilecti circumferat in timore et calicem sanguinis tui sancti bibendum det gregi tuo, qui tuae spei innixus exspectat tremendi tui adventus diem. Commisceatur itaque et numeretur cum ovibus gregis tui, in tremore consistat cum Cherubim et cum Seraphim, Domine, in timore tibi ministret atque honoret mysteria gloriosa et sancta tuae Deitatis excelsae. Et attollemus gloriam Trinitati laudabili. Nunc.

Et reducit discum ad altare ponitque calicem super caput ejus, et episcopus orat:

Sanctus, gloriosus et omnia bona agens es tu, Domine, et a tuis sanctis ministris laudaris tuaeque dominationis voluntas impletur[6]: tu quoque, Domine, huic servo tuo concede per gratiam et misericordias tuas perpetuas Spiritum tuum Sanctum, spiritum sapientiae et intelligentiae verborum tuorum vivorum et sanctorum[7], ut cum charitate, fide recta et puritate ministerium tuum hoc mysticum et divinum exhibeat gloriosis tuae sublimis Deitatis mysteriis sanctis[8]; custodi etiam illum sine macula et reatu ab omnibus malis odibilibus et peccatis ipsumque dignum praesta, qui bonis moribus, conversatione pulchra et eximia[9] per gratiam tuam promereatur gradum sublimem, excelsum et praestantem tibique religiose ministret, gratia tua spirituali repleatur, ejusque intellectus illustretur tua divina doctrina ac tuis vivis verbis[10], pietas tua in corde ipsius habitet cunctis diebus vitae ejus. Et attollemus gloriam Trinitati laudabili. Pater.

Et calicem collocat super altare ac ponit dexteram manum suam super caput ejus et dicit tono suavi[11]:

Ordinatus est in Ecclesia sancta Dei[12].

Archidiaconus exclamat:

N. diaconus ad altare sanctum ecclesiae sanctae loci N.

---

[1] M deest orantes. — [2] M deest cum reverentia. — [3] M consecratus est. — [4] R add. Deus. — [5] R deest praesta. — [6] R in quibus . . . acquiescit. — [7] R pro verborum etc. habet: consiliarium vitae et sanctitatis. — [8] R administret mysteria praeclara et sancta divinitatis excelsae tuae, exerceatque ministerium hoc tuum mysticum et divinum. — [9] R add. Domine. — [10] R vitae consilia praebente. [11] R alta voce. — [12] M deest Dei.

*) Manum scilicet dexteram episcopus ponit super caput ordinandi et sinistra manu dexterae superposita discum corporis tenet.

Episcopus: N. diaconus ad altare sanctum ecclesiae sanctae loci N. orthodoxorum, quod praenominatum est, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in vitam aeternam *Amen.*

Diaconus: Kyrie.

Episcopus[1] *conversus ad altare orat inclinatus:*

Gratias agimus tibi, Domine omnipotens, laudamus et glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnifice nobiscum egisti et donum tuum effudisti super hunc servum tuum. Tibi itaque fundimus preces supplices, Domine, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum, placeat tibi chirotonia ista, quae facta est super servum tuum diaconum istum per adventum Sanctissimi tui Spiritus. Huic vocationi superadde electionem et sanctitatem et gratiam tuae bonitatis, et elige ipsum ac nos in bonum, illique tribue, ut ministret tibi juxta[2] talentum, quod accepit.

Et extollit vocem:

Ut cum omnibus illis, qui fecerunt tuam voluntatem, recipiamus[3] mercedem ministrorum fidelium et sapientium in altero de coelo adventu Domini nostri ac magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo tibi convenit gloria, honor et potestas una cum Sanctissimo tuo Spiritu bono et adorando atque vivifico. Nunc.

Et dat osculum altari et episcopo fitque particeps sanctorum mysteriorum. Tum episcopus dicit:

Gratias agimus tibi, Domine noster Jesu Christe, in omnibus et propter omnia, quae fecisti et implevisti erga nos per tuum amorem et multas tuas miserationes. Nos igitur, Domine, laudamus, confitemur, benedicimus et adoramus, gloriamur et magnificamus tuum sanctum ac excelsum nomen, quia multiplicasti erga nos misericordiam tuam, visitasti, Domine, paupertatem nostram et ad inanitionem[4] te humiliasti, ut nostram tenuitatem magnificares, nostram vilitatem exaltares, nostram fragilitatem consolidares, nostram dispersionem colligeres, nostram immunditiem sanctificares, nostram paupertatem ditares, indigentiam nostram impleres, insipientias nostras expiares, atque in nobis habitaret Sanctus tuus Spiritus. Rogamus ergo te nunc, Domine Deus[5], et precamur in hoc instanti atque supplicamus tibi misericordi; coram te enim stamus et ad te suspicimus a te petentes, ut effundas gratiam tuam tuumque donum super servum tuum hunc N. Eja, Domine Deus, exaudi nos propter clementiam tuam et complaceat tibi in nobis pro tua misericordia et benignus suscipe chirotoniam hanc diaconatus, quae facta est super hunc servum tuum per operationem Spiritus tui vivi et Sancti, et concede illi, ut religiose, pure et sancte tibi serviat et ministret coram altari tuo sancto et adjutoria a te accipiat ac indulgentiam peccatorum, et praesta, ut revelata facie cum fiducia filiis charissimis congrua offeramus[6] tibi confessionem incessabilem[7] glorificantes, orantes ac dicentes[8]: Pater noster, qui es in coelis.

---

[1] R add. signat eum ter signo crucis in fronte et. — [2] R negotietur sibi. — [3] R recipiat. — [4] R pusillitatem nostram. — [5] R deest Deus. — [6] R offerat. — [7] R add. teque. — [8] R dicimus; deest ac.

Episcopus dicit orationem obsignationis:

Bone, misericors et longanimis et multae gratiae ac veritatis, qui noscis, quae sunt in cordibus omnium, qui exaudis orationes servorum tuorum, qui in nomine tuo[1] congregati sunt: placeat tibi ministerium adoratorum tuorum[2], qui colla sua coram te inclinata tenent; Ecclesiam tuam tuaque monasteria, quae ubique locorum sunt, paca; bella a finibus terrae cessare fac, terrae vero ejusque plantis et fructibus benedicito; gratia tua enutri, Domine, egenos, provide miseris[3], divitibus benedic, errantes revoca, vinctos solve, peccatoribus indulge, sacerdotes mundos[4] et diaconos castos[5] effice, regibus nostris christianis victoriam tribue, defunctis fidelibus requiem concede et asperge miserationum tuarum rore ossa dormientium illorumque memento super altare tuum coeleste; et nobis quoque servis tuis[6] praesta, ut stemus in conspectu tuo sine ullo reatu cunctis diebus vitae nostrae tibique confiteamur et nomen tuum sanctum et excelsum adoremus.[7] Nunc.

Et ipsum admonet de ministerio proprio et legit super eum hanc admonitionem[8] *ipsi convenientem et dicit:*

Ante omnia noveris, fili mi dilectissime, quod ex pulvere es et in pulverem reverteris. Per Deum venisti in mundum et per Deum e mundo egredieris. Et sicuti nihil habuisti, quando in orbem intrasti, ita, cum egredieris, nihil tecum portabis, nisi opera, quae facis sive bona fuerint sive mala; et sicuti facies in hoc mundo, ita tibi retribuetur in saeculo novissimo juxta verbum Domini nostri Jesu Christi, qui ait: Sicuti fecistis, retribuetur vobis, et qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, quia non est apud Deum acceptio personarum. Itaque, mi fili, audi et ne existimes, quod solum consistas coram me peccatore, sed imo coram Deo, qui occulta et manifesta novit, et coram angelis ejus sanctis; et quodcunque loqueris et in corde tuo cogitas occulte, coram ipso manifestabitur lucide. Noveris, fili, quod hodie non sis, qualis heri fueras, quia heri eras quid et hodie es quid aliud; heri simplex homo eras, hodie autem in similitudine angelorum es; heri talis, eras filius talis, hodie vero es minister Christi; heri ex humili eras progenie hominum, hodie factus es de choro Seraphim filiorum lucis; heri jugum portabas peccatorum filiorum saeculi, hodie suavi coelestium filiorum lucis jugo subditus es; heri transitorii hujus saeculi rerum et negotiorum servituti studebas, hodie electus es ad servitutem et ministerium sacramentorum Dei vivi et ad conversandum in altari ipsius sancto, quoniam complacuit Deo et te elegit in tribum hanc principem. Oportet ergo te quietum esse et mansuetum; convenit, ut serves quidquid tibi impositum est, ne tuo socio irascaris neque odium contineas in filium generis tui, ut coram Deo offeratur tuum ministerium. Cave a laqueis Satanae, ne suis te illiciat insidiis; longe a te fac intuitum malum et sermonem immundum, quia intuitus et sermo exoriuntur in corde, sicuti semen in terra; fuge impuritatem et concupiscentiam corporis, quia desiderium carnis mors est saeva; a lucribus immundis animam tuam cohibe neque rebus hujus

---

[1] R deest in nomine tuo. — [2] R in ministerio adorantium te; deest placeat tibi. — [3] R pauperum. — [4] R illustres. — [5] R modestos et temperantes. — [6] R add. peccatoribus. — [7] R add. et glorificemus. — [8] R Reliqua rubricae et admonitio desunt.

saeculi implices animam tuam, sed illam occupa in cura vitae futurae; ne dicas, unde edam et unde bibam et unde vestiar, sed jacta curam tuam super Dominum tuum, et ipse te enutriet neque dabit in saeculum commotionem justis suis; os tuum cibis malis abstine neque ventrem tuum vino distendas, ne immutetur et foeda sit species tua. Audi, quid mandavit Paulus beatus, qui ait: Diaconi sint casti, non sint bilingues, non accipiant personas, neque multo vino inservientes, non sint amatores lucrorum sordidorum sed accipiant sacramentum fidei et spei, sint immaculati. Esto, fili mi, assiduus in ministerio mane, vespere et media nocte, neque mentem tuam relaxes ab agone tuo; dilige orationem perpetuam, sectare jejunium sine dolo, accede ad altare Dei pure et sancte, sicuti elegit te et admovit, ne recedas ab eo et perdas mercedem tuam, te ipsum diu noctuque dijudica et novissima tua meditare, en enim finis stat ad portam; cogita finem tuum, et non cogitabis desideria saeculi nequam et transeuntis. Vigila itaque, et ne obdormias, diligens esto, nec te pertaedeat, quia vigiles laudantur et dormientes vituperantur. Vidi, fili, quod hodie stas coram me peccatore et cras stabis coram glorioso throno Christi judicis vivorum et mortuorum, qui rationem a te requirit omnium, quae fecisti coram ipso, neque quidquam obliviscetur ac tibi juste retribuet, prout gessisti. Et nunc, fili, audi omnia, quae dixi tibi, et hasce admonitiones, quibus te monui, recogita atque mente tene; modo enim commendo te Deo et gratiae ejus, mundus autem sum a peccatis tuis.

Et dicit: Dominus Deus, qui te elegit et in hoc sancto ordine statuit, ipse perficiat tecum gratiam et misericordiam suam teque dirigat secundum voluntatem suam ac te dignum per immensam suam benignitatem faciat, qui religiose, pure et sancte illi ministres, teque reddat diaconum electum, qui altari ejus sancto ministres et auxilia obtineas per gratiam et misericordiam unigeniti Domini nostri Jesu Christi, quocum tibi convenit gloria, honor et adoratio ac Spiritui tuo vivo. Nunc.

Item chirotonia, qua perficitur archidiaconus.

Canon. Non sit minor viginti duobus annis. Vir unius mulieris electae et sanctae sit, quibus testimonium reddatur, quod fuerint virgines ante conjugium, sicuti praecepit canon Apostolorum. Sit etiam in omnibus rebus suis perfectus, deditus jejunio et orationi, misericors, humilis, hospitalis, a superbia et ludicris alienus sit, ejusque meditatio et conversatio sint libri sancti.

Primum conveniunt filii ecclesiae et filii gregis) et consensus sui dant chirographum.*[1] *Tum suis sanctis vestibus induti sacerdotes, diaconi, subdiaconi, lectores ingrediuntur in Betgaza**) cum luminaribus, flabellis et thuribulis, et unus quidem sacerdos portat evangelium, alius autem sa-*

---

[1] R et consensum suum dant extento pollice.

*) Hic loquendi modus, qui teste Renaudotio est etiam in codice Segueriano, significat eo interprete ecclesiasticos et laicos.

**) Hoc est gazophylacium s. sanctum sanctorum, in quo sacra mysteria asservantur.

cerdos portat crucem, et is, qui electus est in archidiaconum, stat coram altari[1] *indutus sacris diaconatus vestibus.*

Episcopus orat: Gloria Patri.

Diaconus: Pro.[2]

Episcopus:

Praesta nobis, Domine[3] Deus noster, ut impleamus hoc ministerium purum et mysticum ac simus tibi templa sancta et maneat in nobis donum tuum coeleste[4]; servum autem hunc tuum perfice et consumma in hoc ministerio spirituali, ut et nos et ipse laudemus te et Patrem tuum.

Et dicunt: Gloria Deo.

Episcopus orat: Exorna, Domine, servum tuum abundantia donorum tuorum divinorum, ut cum laetitia, exultatione et puritate animae et corporis ministret coram te cunctis diebus vitae suae. Et attollemus.

Et dicunt tonum scriptum in primo ordine.[5]

Archidiaconus:[6] Stemus recte.

Episcopus thus imponit et dicit hunc ordinem.[7]

Dominus[8] virtutum coelestium et rex totius gloriae, qui fecit angelos suos spiritum et ministros suos ignem urentem eosque jugo gloriae suae subdidit, ut ipsius dominationem laudarent, divinitatem sanctificarent, naturam absconditam benedicerent, potentiam creatricem exaltarent, essentiam sublimem glorificarent, virtutem cum confessione[9] celebrarent. Et omnes quidem virtutes cum tremore magno consistunt apud currum illum, in quo habitat splendidus ignis magnae ejus gloriae, atque assiduae sunt in his suis spiritualibus officiis per ordines coelestes et excelsos, ut ipsum collaudent sine cesssatione.[10] Pari etiam modo elegit sibi et statuit sibi Ecclesiam sanctam, quam proprio pretioso sanguine redemit et salvavit passione suae personae*), et liberavit filios ejus per crucem suam sanctam, ac in ea posuit sacerdotes et episcopos, pastores, antistites atque diaconos, ut essent ministrantes ipsi in Ecclesia sancta. In similitudine novem chororum angelorum novem gradus elegit sibi et statuit atque in manibus ipsorum posuit claves altitudinis et profunditatis ac mysteria; ipsisque potestatem in omnia fecit, ut ligent et solvant, mundent et sanctificent et una cum angelis ipsum collaudent in illo ministerio domus Gabrielis ac Michaelis, sintque in manibus ipsorum mysteria abscondita Deitatis ipsius; et unusquisque eorum in his gradi-

---

[1] R deest coram altari. — [2] R deest episcopus . . . . . Pro. — [3] R Christe. — [4] R praesentia tua divina. — [5] M prosequuntur juxta ordinem in gradu praecedente praescriptum. Dicitur Laus Deo et consuetus psalmus Miserere. — [6] M add. Benedic Domine. — [7] M Pastor precatur. Ordo, diciturque versus ex ordine Stephani et oratio suffitus. Diaconus psalmum. — [8] R Deus. — [9] R deest cum confessione. — [10] R deest sine cessatione.

*) Phrasis Syriaca est. Exprimit autem, quod Christus Deus propria passione Ecclesiam redemit, non vero, quod persona divina vere passa sit in sensu haereticorum, quos theopaschitas vocant; Syri enim Maronitae ab hac haeresi toto distant coelo, cum firmiter credant duas in Christo naturas, divinam alteram impassibilem, humanam alteram, in qua Christus Deus passus est pro nobis.

bus ecclesiasticis per ministerium sibi traditum jam lucratur; sunt enim, qui laudant, sunt, qui benedicunt[1], sunt, qui celebrant et psallunt tibi, Domine, et orant, glorificant et adorant et supplices fundunt preces. Et huic etiam, Domine, servo tuo, quem elegisti et suscitasti ex gradu diaconorum ac ipsum fecisti caput, praeceptorem et principem omnium graduum inferiorum et constituisti in gradu servi tui Stephani protodiaconi: huic, inquam, concede charismata spiritualia, ut tibi placeat ac ministret pure et sancte in hoc spirituali officio, quod ipsi imposuisti. Nobis autem omnibus praesta remissionem debitorum et veniam peccatorum per orationes supernorum et infernorum ac Deiparae et omnium sanctorum. Nunc.

Et dicunt vocem: Ego, ego.

Episcopus orat:

Deus, qui confirmavit Ecclesiam suam sanctam donis divinis suisque gratiis divinis[2] insignivit pastores illius, ut et ipsi crescerent[3] et darent singulis filiis spiritualibus[4] secundum convenientiam et electionem gratiae ipsius divinae: tu, Domine misericors[5], demitte gratiam tuam super hunc tuum servum et elige eum, ut sit princeps diaconorum juxta ordinem Stephani primogeniti martyrum; dita illum vera tua sapientia et dirige eum ad justam dispensationem, quae sit absque acceptione personarum; ejus vero mentem illustra radiis tuis lucidis et concede illi fiduciam perfectam ac tribue ipsi[6], ut in praeceptis tuis assiduus sit die ac nocte per gratiam tuam et unigeniti Filii tui ac Spiritus tui Sancti. Nunc.

Archidiaconus psalm.: Exalta me.

Ministri Ecclesiae contremiscite, quia ignem vivum administratis, et potestas, quam habetis, sublimior est Seraphim. Ex vertice montium clamabunt, ministri Ecclesiae contremiscite, et dabunt gloriam Domino, sublimior est Seraphim.

Christus autem, qui dedit sacerdotium et potestatem coetui Apostolorum, ipse tibi dabit impositionem manus et gradum archidiaconatus.

Et legit ex Actibus Apostolorum[7]*:*

Et vocaverunt duodecim Apostoli omnem turbam discipulorum et dixerunt eis: Non est conveniens, ut relinquamus verbum Dei et ministremus mensis etc. *usque:* Imposuerunt super eos manus et miserunt eos. Et ipsi.

Episcopus illum dexterum genu flectere jubet et manum suam capiti ejus superimponit et dicit inclinatus.[8]

Domine Deus omnipotens, qui es largitor charismatum divinorum, concede gratiam tuam magnam et ineffabilem huic servo tuo et praesta, ut instar Stephani principis refulgeat conversatione ac[9] moribus tibi placitis; scientia ipsum prudentem effice, consilio eum intelligentem ac praeditum redde; humilitate, quae ministerio ejus spirituali congruat, ipsum exorna;

[1] R add. sunt, qui sanctificant. — [2] R ab eo (susceptis). — [3] R ea multiplicarent. — [4] R Ecclesiae. — [5] R deest misericors. — [6] R deest tribue ipsi. — [7] M (qui in extenso habet. Act. 6, 2—6. 12, 25. 13, 2. 3.). Dilecti mei. Tum vocaverunt Apostoli et dixerunt eis: Quaerite igitur fratres et eligite *usque* et cum precarentur imposuerunt eis manum. Barnabas autem et Saul etc. Cum autem illi jejunarent et orarent *usque ad* et miserunt eos. — [8] R pro hac rubrica habet tantum: Episcopus secreto. — [9] R deest conversatione ac.

charitate ab omni acceptione personarum aliena eum illustra per gratiam tuam et unigeniti Filii tui et Spiritus tui Sancti.

Et extollit vocem:

Et suscipe per tuum erga homines amorem hunc servum tuum, quem gratia tua vocavit ad ordinem Stephaninum, quoniam suavis es et multum misericors, et tibi gloria.

Tum ponit evangelium super pectus ejus*) et egrediuntur ex Betgaza (seu sacrario), praeclare instituta processione, dicentes cantus, qui in antecedenti ordine diaconorum scripti sunt, et ingrediuntur ad altare. Archidiaconus proclamat tono S. Ephrem:

Stemus omnes in oratione et supplicemus cum suspirio et in charitate ac fide clamemus ad Trinitatem.[1] Petamus a Patre abscondito, qui misit Filium suum ad nostram salutem, et corpus induit**) humanitatis nostrae, ut impleret omnia, quae scripta sunt. Confiteamur Filio benigno[2], qui descendit nosque sua cruce redemit et implevit omnia, quae scripta sunt, ac Apostolos elegit ad suum evangelium. Adoramus et glorificamus Spiritum Sanctum consolatorem nostrum, qui locutus est per os prophetarum et habitavit in mente Apostolorum. Per ipsum resplenduit Moyses et per ipsum Elias elevatus est, et Aaron, Phinees ac Eleazar per ipsum ministrarunt in tabernaculo[3]. Christus, qui dedit potestatem sacerdotii coetui Apostolorum, ipse tibi concedat manuum impositionem et gradum archidiaconatus[4]. Hodie te elegit gratia et vocavit pietas, ut sis princeps et praeceptor diaconorum ac lectorum. Dominus, qui te selegit ex tuis sociis[5], ut sis super eos imperans, extollat gradum ministerii[6] tui prae gradibus diaconorum. Christus te elegit in suum honorem et imperatorem te constituit in Ecclesia et omnes ministros tuos socios imperio tuo subdidit[7]. Patri, qui te elegit, sit confessio et Filio ejus Jesu laus ac Spiritui Sancto laudatio, qui descendit super te per manus impositionem[8]. Parce, Deus, populo tuo et miserere gregis tui, tuum autem servum perfice tuis charismatibus, et gratia tua maneat in ejus mente[9].

Episcopus orat:

Gloria tibi, qui occultus es ab omnibus et[10] absconditus ab omnibus et ex quolibet loco audis ac exaudis[11], qui laetaris in iis, qui revertuntur

---

[1] M Stemus omnes in oratione coram eo, qui cognoscit occulta, ut ipse per gratiam misericordiarum suarum accipiat a nobis ministerium nostrum. — [2] M sancto. — [3] M add. temporis (Est etiam apud A. in textu Syriaco). — [4] M sacerdotium gradum excelsiorem Seraphim. — [5] M servis suis. — [6] M sacerdotii. — [7] M statuitque omnes gradus obedientes esse praeceptis tuis. — [8] M qui dedit tibi regulam sacerdotii. — [9] M et tres voces laudis offeramus Trinitati; deest tuum autem . . . . mente. — [10] R deest occultus . . . . et. — [11] R respicis.

*) In codice Morini ad marginem glossa est: Et insufflat in faciem ejus in figuram crucis. Sed uterque Assemanus animadvertit, hanc ceremoniam ab omnibus Maronitarum pontificalibus libris abesse. (Bibl. Or. T. III. P. II. p. 844; Cod. liturg. T. IX. p. 271. not. 1).

**) Phrasis Syriaca significat, quod Filius Dei carnem assumpsit et humanam naturam per unionem hypostaticam.

ad te, illorumque suscipis poenitentiam: exaudi, Domine, per tuas miserationes orationes nostras et per clementiam tuam[1] suscipe praeconium nostrum. Laetare in nostra consistentia coram te et suscipe chirotoniam hanc servi tui hujus N., quem ad tuum ministerium elegisti per gratiam tuam et miserationes divinitatis tuae. Domine Deus noster, tibi gloria.

Episcopus manum suam imponit super caput ejus et super mysteria dicens:

Deus, qui in omnibus sanctus es, qui in omnibus rebus largitor es omnium donorum bonorum, qui omnia opera hominum cognoscis et omnes illorum semitas vides, qui omni tempore aurem tuam praebes invocanti te et ostium tuum apertum tenes pulsanti ipsum et donum tuum expansum habes ei, qui in vera fide tibi supplices fundit preces: nos etiam, Domine Dominator noster[2], precamur te et obsecramus misericordiam tuam pro servo tuo isto, quem elegisti quique stat coram te in hoc instanti, ipsum suscipe per gratiam tuam et concede illi propter clementiam tuam Spiritum Sanctum et donum coeleste ac intelligentiam verborum tuorum divinorum, scientiam tuorum sanctorum mysteriorum, constitutionem legum tuarum apostolicarum et ecclesiasticorum tuorum canonum, ac Trinitatis notitiam, ut placeat tibi per impositionem manus archidiaconatus; adnumera illum coetibus divinis instar S. Stephani, qui fuit princeps martyrum et primus diaconorum per electionem Apostolorum tuorum sanctorum; praesta etiam ei, Domine, ut pure et caste accedat ad dispensationem hanc divinam, quae ipsi credita est, et rectum judicium judicet ac proferat in aequitate sine ulla acceptione personarum, et cognoscat ac definiat juste ea, quae[3] subsunt manibus ipsius, confirmetur autem in fide orthodoxa ac moribus praclaris sine macula, et sine reatu coram te consistat impleatque omnem ordinem sacerdotalem in ministerio Ecclesiae sanctae, dum praeceptor et gubernator exsistit eorum, quae ipsius curae commissa sunt per humilitatis meae ministerium; quaecunque demum faciet et loquetur, sint, Domine, in honorem et laudem nominis tui in omnibus honorandi cum unigenito Filio tuo ac Spiritu tuo vivo et Sancto. Nunc.

Tum conversus ad altare dicit.

Cui ac tibi laudem, adorationem et confessionem offerimus. Nunc.

Et aufert ab eo evangelium et dat pacem altari et[4] episcopo et ingreditur ad locum suum, et imponit episcopus anaphoram magnam super pectus ejus et super humeros ejus ex anteriori parte ad posteriorem, et signat eum in fronte signo crucis ter dicens:

Promotus est et signatus est et perfectus est N. archidiaconus in sancta ecclesia Dei, Sancti Domini N. oppidi benedicti N. per gratiam divinam et illapsum coelestem, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus Sancti † Amen, mysterii sanctae Trinitatis ad pacem et aedificationem ac stabilitatem, ornamentum, decus et honorem ac exaltationem sublimis tui nominis Domine Deus, et Ecclesiae sanctae catholicae et apostolicae.[5]

---

[1] R deest per clementiam tuam. — [2] R deest Dominator noster. — [3] R erga pios, qui. — [4] R deest altari et. — [5] R add. Pater, Fili et Spiritus Sancte.

Et tradit ei ferendum pedum ipsius, et legit ordinandus evangelium super ambonem; quod si non fuerit ambon, legit illud in foribus altaris ex evangelio Matth. 62; quod si fuerit dies festus S. Stephani vel alius, ex Luca 35:[1]

Post haec autem separavit Jesus ex discipulis suis alios 70 *etc. usque:* Et audire, quae auditis, et non audierunt.

Ministri proclamant Ephremiticam:

Stemus omnes in oratione et supplicemus cum singultu et cum dilectione fidei clamemus ad Trinitatem pro redemptione animarum nostrarum et auxilio bono servi tui, qui hic stat expectans donum gratiae tuae. Da illi charitatem et scientiam, ut incedat per semitam mandatorum tuorum ac ministerium mundum exhibeat cunctis diebus vitae suae. Fides ejus exaltetur in similitudinem Stephani martyris, atque vultus ejus instar angelorum obstupefaciat omnes videntes. Revela gratiam tuam intellectui ejus, ut praedicet nitide verba tua et mysteriis tuis, quae vitam dant, sit ministrans pure. Parce, Deus, populo tuo et miserere gregis tui tuumque servum perfice tuis charismatibus, et gratia tua in ejus habitet mente.

Tum tradit ei evangelium portandum super pectus suum, et accedunt illique pacem dant, et demum particeps fit sanctorum mysteriorum. *)

Episcopus orat completorium:[2]

Gratias agimus tibi, Domine noster Jesu Christe omnipotens, in omnibus et pro omnibus, glorificamus et laudamus et adoramus nomen tuum sanctum propter misericordiam tuam, quam fecisti infirmitati nostrae; etiam nunc oramus te et deprecamur misericordiam tuam, complaceat tibi in nobis et in chirotonia[3] ista archidiaconatus, quae facta est super servum tuum N. per adventum Spiritus tui Sanctissimi. Et adde huic vocationi electae et sanctae charismata gratiae tuae et elige illum[4], Domine, et concede ei, ut in timore et puritate ac sanctitate ministret altari tuo sancto et inveniat auxilium a conspectu tuo[5] per miserationes et gratiam unigeniti Filii tui D. N. J. Chr., quocum tibi convenit gloria et honor[6] in saeculum saeculorum. Amen.

Et admonet eum de moribus immaculatis ex gradu diaconorum; et tradit in manus ejus omnes ministros magnos et parvos simul.

Explicit gradus archidiaconatus venerabilis, et Deo gloria perennis.

---

[1] R Lectio autem eadem est, quae in festo S. Stephani, si festum ejus celebretur. Si alio die, legitur ex evangelio secundum Lucam ex eo capite, ubi dicit: Postea segregavit Jesus ex discipulis suis alios septuaginta; et cum legit illa verba: Praedicantes, diaconus defert evangelium super pectus ejus; accedunt et dant illi osculum pacis, tandemque datur illi communio mysteriorum sacrorum. — [2] R dicit orationem obsignationis. — [3] R acceptam habeas ordinationem. — [4] R electionem et sanctitatem, donaque gratiae tuae, ei quem elegisti. — [5] R a te. — [6] R add. et adoratio cum Spiritu tuo Sancto.

*) Arabice exponitur sic rubrica antecedens, quod evangelium portandum ei tradit super pectus, archidiaconus autem evangelium pectore sustinens stat in porta altaris; tum accedunt filii ecclesiae et dant illi pacem et gratulantur ei, ipse autem osculatur manus sacerdotis accedentis, ceteri vero osculantur sanctum evangelium, et post haec ad communionem admittitur ipse archidiaconus ordinatus.

Item chirotonia, qua perficitur presbyter.

Canon. Quando quis debet suscipere impositionem manus et gradum presbyteratus, minor non sit triginta annis; si fuerit dignus hoc gradu, ordinetur. Si autem non, differatur, et expectet, donec compleat, quia Dominus noster anno tricesimo baptizatus est et tunc coepit docere. Et ita praeceperunt patres sancti, qui convenerunt in synodo Nicaena: Ne quis suscipiat impositionem manus, quando non est certus ei locus, neque presbyter neque diaconus, quia in nomine loci, super quem suscipit impositionem manus, ejus nomen praedicari debet; cui vero non est determinatus locus, ecclesia scilicet aut monasterium aut domus martyrum, omnino non suscipiat impositionem manus. Item ita praeceperunt et definierunt patres sancti congregati in sancta synodo Chalcedonensi [1], quorum memoria in benedictione est: etiam absit ab abominationibus, bona amplectatur, rectis moribus et viis praeditus; neque sit iracundus aut litigiosus, neque extendens manus suas ad percutiendum, nec multo vino deditus, sed sit quietus, benignus, humilitati et veritati serviat; bonum autem testimonium habeat a longinquis et vicinis; ita enim aequum est, uti praeceperunt patres sancti, et ita dixit Paulus Apostolus et socii ejus.

*Cum itaque Spiritus Sanctus eum vult et gratia ipsum eligit, veniat ad ecclesiam indutus ordine *) diaconorum et stet coram altari sancto et genua sua ambo flectat manibus colligatis ante pectus; tum benedicitur ab episcopo, coram quo adorat dicens*: Benedic Domine. *Episcopus ter in fronte ipsum cruce signat et dicit:*

Dominus Deus [2] benedicat te in presbyteris sanctae ecclesiae sancti Domini N. oppidi [3] N., teque recenseat Dominus cum coetibus patrum sanctorum, qui custodiebant deposita sua [4] et promeruerunt donum coeleste, in nomine Patris † Amen et Filii † Amen et Spiritus † Sancti in saeculum saeculi [5] Amen.

Episcopus inchoat: Gloria Patri. *Diaconus:* Pro. *Oratio* [6]*:*

Sustenta, Domine, tua forti dextera et excelso tuo brachio omnipotenti Ecclesiam tuam sanctam, quam adquisivisti pretioso tuo sanguine, et pelle ac remove ab illa omnes illos, qui colunt religiones vanas seu diabolicas; illi vero concede, ut exspectet te, in te speret, exultet et laetetur in salutari tuo tibique offerat agnos [7] christianos. Nunc.

Et dicunt: Laus Deo. *Et tonum descriptum in primo ordine.*

Archidiaconus dicit:

Stemus recte in oratione et petitione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram altari propitiatorio Salvatoris nostri et coram mysteriis gloriosis et sanctis super ipsum positis et coram hac manus impositione servi tui N., qui stat in conspectu dominationis tuae et coram patre nostro D. N. episcopo nostro, per quem perficitur. • Per thura, quae ponuntur, miserationes Domini exoremus.

---

[1] R in synodo Ephesina (est autem can. 6. Chalcedonensis). — [2] R deest Deus. [3] R add. benedictae. — [4] R ejus. — [5] R in saecula. — [6] R Tunc dicit orationem principii; deest episcopus . . . . . . Pro. — [7] R cantica.

*) Hoc est sacris indumentis.

Episcopus ponit suavitates et dicit prooemium:

Illi Regi regum et Domino dominorum, illi largitori donorum coelestium et distributori gratiarum ineffabilium, qui consummavit Apostolos suos per suum Spiritum et docuit discipulos suos sapientiam suam. Cui.[1]

Ordo. Domine Dominus noster gratia plene et hominum amator, ad cujus gloriam sublimem honorandam non sunt sufficientia cuncta saecula, qui ab angelis adoratur et ab archangelis glorificatur et a Seraphim sanctificatur[2] et a choris spiritualibus incorporeis in timore exaltatur et propter multas miserationes suas, quae naturaliter ipsi insunt, voluit laudibus spiritualibus et coelestibus jucundis afficere naturam humanam et ideo per Apostolos suos sanctos ordines coelestes tradidit eis in terra, et figurarum earum, quas per Moysen principem prophetarum praesignavit, nunc per Filium suum dilectum veritatem credidit Simoni principi Apostolorum et per eum toti sanctae Ecclesiae usque ad consummationem saeculi. Tu, Domine Deus[3], per gratiam tuam et multas tuas miserationes suscipe hanc primitiam, quae hodie offertur magnitudini tuae per parvitatem nostram ex natura infirma et debili humanitatis nostrae, servum tuum hunc, quem nunc per vocationem sanctam majestatis tuae vocasti, ut sit dispensator (seu magister domus) mysteriorum tuorum divinorum, sacer minister dexter[4] et gubernator bonus; antistes[5] spiritualis et dispensator[6] plenus castitate ac doctor omni virtute eximius gregis tui rationalis; dispensator[7] pervigil et diligens, cui a te concreditae sunt claves regni coelestis, ut portas aperiat poenitentiae iis, qui ad te convertuntur; dispensator[8], qui afferat mysteria sacerdotii thesaurorum Domini[9], qui tuo jussu liget reos et tuo mandato solvat poenitentes, qui accedunt[10] ad veram resipiscentiam; dispensator[11] stabilis, qui charitate tua confirmetur scilicet, spe tua exornetur; sacerdos purus et presbyter nitore plenus, qui ornamentis sanctitatis refulgeat et puritate resplendeat et operetur in vinea tua intellectuali, prout convenit; sacerdos praeclarae religionis, qui se ipsum det[12], ut sit pervigil et diligens ad bonorum exercitium; sacerdos laudabilis, qui talento evangelico superaddat unum in triginta et sexaginta et centum; sacerdos dexter[13], qui accurate studeat custodiae mandatorum tuorum divinorum. Tu itaque, Domine, aufer et remove ab eo omnia desideria immunda, quae ad peccatum provocant per illecebras carnales, et confirma eum in divina tua charitate et in beata tua spe atque in puritate animae et corporis, in nitore spiritus ac in operibus praeclaris; ad haec[14] illum conserva et confirma in orthodoxa fide, quae commaculata non sit per commixtionem haereticam aut per culpam morum immundorum, illumque dignum effice per gratiam tuam, qui cum fiducia bonorum operum omnis speciei virtutis et cum mentis humilitate accedat ad ministerium tuorum divinorum mysteriorum et cultum hunc angelicum, in quem ipsi quoque tui sancti

---

[1] R deest Cui; add. quem decet gloria et honor: pro ministerii divini hujus humilitate et fructu preces offerimus, miserationes ejus et gratiam postulantes omni tempore et horis omnibus nunc. — [2] R deest: et a Seraphim sanctificatur. — [3] R deest Deus. — [4] R sacerdos electus. — [5] R confortator. — [6] R sacerdos. — [7] R deest dispensator. — [8] R sacerdos. — [9] R custodis. — [10] R eosque adducit. — [11] R sacerdos. — [12] R cui datum sit. — [13] R electus ad dexteram. — [14] R deest: ad haec.

angeli prospicere desiderant, et obtineat redemtionem perfectam ac salutem plenam vitae suae et expiationem debitorum ac peccatorum veniam toti gregi tuo rationali et sacerdotali, qui concreditus est ipsi per gratiam et misericordiam unigeniti Filii tui D.[1] N. J. Chr., quocum tibi convenit gloria et honor una cum Spiritu tuo Sancto ac vivo. Nunc.

Et dicunt ton.: Sanctus, qui habitare fecit majestatem suam, *vel:* Ego, ego.[2]

Episcopus orationem thuris:

Suscipe, Domine, benigne suffitum hunc aromatum, quem obtulimus coram te in hoc momento, et Sanctum Spiritum tuum emitte super nos et super servum tuum hunc, qui hic genuflexus exspectat donum et charismata, quae a te sunt, per orationes[3] humilitatis nostrae, et propter haec atque similia[4] gloriam referemus tibi, Domine[5] noster Jesu Christe pontifex fidelis[6], et Patri tuo fonti omnium bonorum atque Spiritui tuo Sancto, auctori omnium charismatum et sanctificatori omnium sanctorum. Nunc.

Archidiaconus proclamat:

Iterum atque iterum, continuo et omni tempore Domino supplicemus, Domine, pro redemptione, auxilio, ope et remissione hujus servi tui N., qui hic adstat et impositionem manus divinae accipit, dona ei, Domine. Precemur igitur et oremus et flagitemus et supplicemus omnes simul in fide vera et amore sine fraude, in spe bona et laetificante animas nostras, ut diligens homines Dominus Deus suscipiat eum sine macula et sine reprehensione et concedat illi gradum in Ecclesia et sacerdotium perfectum, Domino supplicemus. Sanctam, gloriosam et immaculatam Dominam nostram, beatam et perpetuo Virginem, Dominam Mariam Dei Genitricem cum pulchritudine[7] decora et sancta virginitatis[8] ejus commemoramus, Joannem quoque nuntium veritatis et praecursorem, Stephanum caput martyrum et primum diaconorum et prophetas veraces et Apostolos divinos et martyres victoria vestitos, ut Dominus Deus precibus eorum illustribus et orationibus sanctis nos omnes beneficiis afficiat et conservet, Domino supplicemus.

Oremus[9] omnes, Domine, et pro omnibus et propter omnes et pro servo tuo hoc, qui stat coram dominatione tua et attente aspicit ac exspectat redemptionem tuam et donum tuum divinum et inhabitationem Spiritus tui Sancti, ut perpetuo habitet super eum; oremus et precemur, supplicemus et clamemus dicamusque ter: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus orat:

Gloria tibi, Deus bone et misericors, qui exaudis orationes et suscipis petitiones supplicationesque omnium illorum, qui cum fide et charitate invocaverunt te, Domine, in omni loco et in omni generatione.[10] Nos quoque, Domine, servi tui peccatores et pauperes nunc ad illorum instar invocamus te et petimus a te, suscipe orationes nostras per miseri-

---

[1] R add. Dei et Salvatoris. — [2] R deest, vel: Ego, ego. — [3] R mediationem. — [4] R deest: atque similia. — [5] R Deus. — [6] R sacerdotum princeps. — [7] M add. ejus. — [8] M et virginitate. — [9] M deest oremus ut est in Syriaco. — [10] R in omni regione et in omni loco.

cordiam tuam, audi supplicationes nostras per clementiam tuam, aurem tuam inclina ad obsecrationem[1] nostram, placeat tibi suffitus thuris nostri et grata tibi sit chirotonia ista hujus servi tui N., et perfice nobiscum et cum ipso gratiam tuam, misericordiam tuam ac tuam clementiam. Nunc.

Et dicunt: Sanctus Deus, *et:* Credimus. *Archidiaconus ducit eum per manum*[2] *et dicit:*

Offerimus sanctitati tuae, o pater noster sancte et electe Dei, Domine N.[3], hunc Dei amantem N., qui hic adstat et impositionem manus divinae accipit ex ordine diaconorum ad ordinem presbyterorum super altare nominis[4] ecclesiae sanctae, sancti Domini N. oppidi benedicti et amantis Christi N. Est autem subjectus beatitati vestrae. Pro eo clamemus et dicamus ter: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus illum utrumque genu flectere jubet et[5] *manum suam imponens super caput ejus dicit:*

Gratia divina et donum coeleste Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore implet defectum nostrum et sanat infirmitatem nostram et alligat vulnera nostra et dimittit debita nostra et curam gerit omnium filiorum Ecclesiae sanctae, vocat et eligit per divinam voluntatem et jussiones ecclesiasticas, per electionem, quae a Deo est, hunc servum Dei N., qui hic adstat et ante altare hoc sanctum seipsum prostravit oculis suis ad habitatorem coeli defixis et corde suo ad illum suspiria emittente ac manibus suis ad sacerdotii Dominum expansis, exspectat donum misericordiae, quae ex ipso est; et offert eum ex ordine diaconorum et elevat illum ad ordinem presbyterorum, dum is desponsavit animam suam altari sancto ecclesiae sanctae sancti Domini N. oppidi N., dum precamur te, Domine[6] Deus, per tribulationem eorum[7], qui ipsum obtulerunt. Oremus igitur et petamus omnes insimul pro illo[8], ut gratia divina inhabitet in eo[9], et clamemus pro eo ter: Dona ei, Domine.

Diaconus: In pace Domino supplicemus.

Episcopus inclinatus:

Eja, Domine, dignum illum fac vocatione presbyterorum, ut mereatur per tuum erga homines amorem, prout congruit nomini tuo sancto, servitutem tibi exhibere et ministerio altaris tui sancti fungi atque misericordiam invenire in conspectu tuo.

Et extollit vocem: Quia Deus misericors es tibique convenit gloria[10] et potestas unacum Filio tuo dilectissimo ac Spiritu tuo Sancto. Nunc.

Iterum inclinatus: Domine Deus virtutum, qui nos in sortem hujus ministerii vocasti, qui mentes hominum erudis[11] et corda scrutaris ac renes, audi nos propter multitudinem miserationum tuarum et ab omni labe carnis ac spiritus nos emunda; peccata nostra uti nubem aufer et iniquitates nostras uti nebulam; reple nos virtute tua et gratia unigeniti Filii tui[12] ac operatione Spiritus tui Sanctissimi; atque idoneos effice, qui

---

[1] R add. et proclamationem. — [2] R M add. dextera, ut est in Syriaco. R add. ad episcopum. — [3] M add. episcope. — [4] M sanctum. — [5] R deest illum . . . . . . et. — [6] R deest Domine. — [7] R ut id fiat cum periculo eorum. — [8] R deest pro illo. — [9] R add. et illapsus quoque Spiritus Sancti adveniat super eum. — [10] R add. honor. — [11] R nosti. — [12] R deest et gratia . . . . tui.

simus ministri Testamenti Novi, ut possimus, quemadmodum decet tuum sanctum nomen, consistere coram te et sacerdotio fungi ac ministerium exhibere tuis divinis mysteriis; et ne permittas nos participes fieri peccatorum alienorum, sed imo et nostra dele et concede nobis, Domine, ne quid faciamus ex affectu aut declinatione[1], sed tribue nobis scientiam, ut dignos eligamus, qui tibi praesententur.

Et extollit vocem dicens:

Et suscipe presbyterum atque perfice hunc servum tuum, qui hic praesens adest et exspectat donum coeleste, quoniam suavis es et multum misericors omnibus te invocantibus, et fortis est potestas tua tuique unigeniti Filii ac Spiritus tui Sanctissimi. Nunc.

Et palmas suas ponit super corpus sanctum et brachia sua expandit et conjungit a corpore accipiens et ponit super calicem, et iterum altera vice tremulas[2] *manus fert super corpus et palmis suis assumit et ponit super calicem; tertia autem vice expandit brachia sua et super calicem motitat et tunc assumit a calice, palmas habens extensas*[3] *et coopertas tunica sacerdotali; tum conversus ad ordinandum manum suam imponit capiti ejus illudque metitur et iterum elevat manus suas et expandit brachia ac motitat et demittit super caput ejus; quod ubi ter peregit, manum suam dexteram ponit super caput illius, sinistram vero hinc inde agit faciem ejus penula (seu pluviali) contegens et sinistram suam circumfert super collum ejus et super illius faciem ter et orat secreto:*

Deus magne et admirabilis, qui fecit gloriosa et mirabilia, quorum non est numerus, qui virtute magnus est et inscrutabilis est intelligentia, admirabilis cogitatione prae hominibus; tu es Deus noster, qui nosti occulta cordium, qui scrutaris renes et penetras cogitationes; nihil enim est, quod absconditum sit ab oculis justi judicii tui, tu ea, quae futura sunt, nota facis[4]; tu es, qui in omnibus generationibus eligis in ministerium sanctorum eos, qui tibi placent: elige, Domine, et hunc servum tuum ad presbyteratum et concede ei, ut moribus irreprehensibilibus ac fide indeclinabili recipiat donum magnum Spiritus tui Sancti, ut dignus fiat fungi sacerdotio evangelii regni tui, adstare coram sancto altari tuo, offerre dona et sacrificia spiritualia, renovare populum tuum per lavacrum regenerationis, omnibus exhibere se lampadem lucis unigeniti Filii tui tibi coaeterni, ordinare et ornare sanctam Ecclesiam tuam, benefacere per impositionem manuum suarum, ita ut proficiat verbum evangelii tui et glorificetur nomen tuum, sicuti in universo orbe terrarum[5], sic etiam in ecclesia, quae huic famulo tuo commissa est.

Conversus ad altare vocem attollit:

Ut ipse occurrens in secundo adventu[6] magni Domini, Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in ordine presbyterorum recipiat bonam administrati officii[7] mercedem secundum multitudinem gratiae unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi convenit gloria et honor et potestas cum Sancto tuo Spiritu. Nunc.

---

[1] R ut nihil quidquam per errorem committamus; deest ex affectu aut. — [2] R deest tremulas. — [3] R conjunctos. — [4] R prospicis. — [5] R creatura. — [6] R add. de coelis. — [7] R boni regiminis.

Episcopus dicit: Pax vobis. *Populus:* Et cum. *Et ponit (manum suam) super mysteria et super caput ejus ac dicit:*

Deus magne et admirabilis per dona et miracula gloriosa [1], quae operaris et facis, quorum non est numerus [2], qui es magnus virtute et magnus sapientia, stupendus in mirabilibus et magnus ac gloriosus in rebus stupendis, qui occultorum es cognitor et cordis ac renum scrutator atque hominum cogitationum penetrator: [3] tu etiam nunc, Domine Deus, qui nosti occulta et manifesta hujus servi tui et omnia, quae fecit et facit [4] in conspectu tuo, item et nostra occulta [5], quoniam omnium vitam in mensura posuisti; tu, inquam, Domine Deus, qui in omnibus generationibus elegisti tibi sanctos et perfectos ac facientes bona eosque constituisti in ministerium tuae divinitatis et altaris tui sancti, modo ergo, Domine Deus, elige eum per gratiam et promove per misericordiam tuam hunc tuum servum N., qui propter multam tuam benignitatem ac donum divinae tuae gratiae praesentatus est hodie ex ordine diaconorum ad gradum altum et sublimem presbyterorum. Tu, Domine, concede ei mores bonos et praestantes, ut stet coram te sine macula et ministret coram altari tuo sine reatu; concede etiam illi, ut dignus fiat, qui nitide ministerium exhibeat [6] tuo sancto evangelio et honoret thronum tuum sanctum tibique offerat sacrificia perfecta [7] et dona spiritualia atque renovet populum fidelem per lavacrum spirituale regenerationis sancti baptismatis, omnibus opera lucis ostendat; et dignum ipsum redde, Domine, ut, quaecunque facit, recte et congrue peragat, Ecclesiam sanctam [8] praeclaris suis operibus ornet, bona operetur et justitiam exerceat per donum hoc sanctae manus impositionis, quam a te accepit, ut custodiat verbum tuum evangelicum et glorificetur nomen tuum sanctum in coelo et in terra et ita, Domine, in ecclesia sancta, quae commissa est servo tuo N., cuique seipsum is devovit et ad nomen ejus presbyter ordinatur; et praesta illi, ut cum gaudio tibi obviam procedat in magno die adventus tui gloriosi cum angelis tuis [9] in ordine praeclaro presbyterorum recipiatque a te mercedem oeconomatus cum lucro talenti, quod negotiatus est per miserationes tuas perpetuas. [10]

Et conversus ad altare dicit:

Quoniam Deus misericors es et multae misericordiae et clemens, tibique gloriam et confessionem referimus et Patri [11] tuo ac Spiritui tuo vivo et Sancto. Nunc.

Et ponit manum suam super mysteria et super caput ejus dicens:

Domine Deus fortis et Dominus universorum, ad cujus dominationis honorem chiliades chiliadum et myriades myriadum virtutum supernarum in timore et tremore sunt conjugatae [12] atque cum magna commotione ministrant, glorificant, sanctificant et benedicunt atque clamant sine requie: tu autem per gratiam tuam et multas tuas miserationes homines terrenos et peccatores ad tuum ministerium constituisti et effecisti atque suscitasti ex eis [13] sacerdotes et principes sacerdotum, qui populum

---

[1] R Domine Deus magne, faciens mirabilia et prodigia. — [2] R deest quae operaris . . . . . numerus. — [3] R add. nostique mentes omnis carnis. — [4] R deest et facit. — [5] R add. et illius. — [6] R sustinere; deest nitide. — [7] R pacifica. — [8] R tuam. — [9] R add. sanctis. — [10] R add. Pater etc. — [11] R Filio unigenito. — [12] R assistunt — [13] R illos; deest atque suscitasti.

tuum regerent et rationales tuas oves pascerent. Nunc etiam, Domine Deus [1], te precamur atque multas tuas misericordias obsecramus, ut oculo tuae misericordiae respicias in nos et confirmes [2] hunc tuum servum N., qui collum suum inclinavit coram altari tuo sancto et coram humilitate nostra, ut a nobis peccatoribus suscipiat hanc Spiritus tui Sancti impositionem manus [3], ut adimpleat ministerium hoc angelicum et promereatur ministrare doctrinam tuam veram et divinam ad confirmationem et stabilitatem Ecclesiae sanctae. Tu, Domine Deus noster, perfice illum per hoc sacerdotium et impositionem manus, quam hodie a te accipit per nos peccatores et inhabitationem [4] Spiritus tui Sancti et auxilium gratiae tuae.

Et conversus ad altare dicit:

Quoniam Deus multorum donorum et dives in misericordia es, tibique gloriam et confessionem attollimus et unigenito Filio tuo ac Spiritui tuo vivo, Sancto, bono, adorando, vivifico ac tibi consubstantiali. Nunc.

Et manum suam ponit super [5] caput ejus dicens:

Domine Deus, qui omnia voluntate tua contines, qui hominem creasti et implevisti eum spiritu flatus tui et perfecisti eum omnibus suis propriis, intellectu et sapientia et scientia divina, qui divina charismata et magnifica et admiranda tribuisti nobis et constituisti nos in Ecclesia tua sancta pastores, sacerdotes et doctores venerabiles et rectores, cum digni non essemus calcare limina portarum illius propter peccata et scelera nostra: et nunc, Domine Deus, oramus et deprecamur te, ut mittas super servum tuum hunc N. Spiritum tuum Sanctum, et per participationem illius promereatur gradum presbyteratus, ad quem, Domine, vocasti eum et constituisti ipsum coram altari sancto gloriae tuae, ut faciat voluntatem tuam bonam et acceptam faciens et implens ministeria pura totius sanctae Ecclesiae et offerat sacrificia bona et holocausta perfecta et oblationes spirituales; et concede ei, Domine, ut in hoc gradu spirituali prosperetur [6] in omnibus mandatis tuis et custodiat leges tuas, sequens omnem viam justitiae, tibique, Domine, placeat in omnibus operibus suis et actibus suis praestantibus.

Et conversus ad altare dicit:

Tibi, Domine largitor bonorum et donorum praestantium et coelestium, gratias agens et adorans ac glorificans cunctis diebus vitae suae [7]. Pater.

Diaconus proclamat hymnum Ephremiticum:

Stemus omnes in oratione coram cognitore [7] secretorum et petamus misericordiam et clementiam a Deo misericorde [8].

---

[1] R deest Deus. — [2] R mittas super. — [3] R istam impositionem manus, Spiritum tuum Sanctum. — [4] R per illapsum. — [5] R add. mysteria et. — [6] R adimpleat. — [7] R laudamus, adoramus et glorificamus omnibus diebus vitae nostrae. — [8] M. add. Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando et Sancto, et a Spiritu Sancto, Paraclito, arma, quae induunt veraces. Deus est, qui fecit ordines superiores cum inferioribus et eos elegit, ut cum puritate et sanctitate ministrent, novem ordines angelorum in caelis, ut ministrent ei; novem ordines sacerdotii in medio Ecclesiae ut laudent eum. Distinxit ordinem ab ordine, superiores et inferiores; ad similitudinem ordinum angelicorum distinxit gradus sacerdotii. Superiores velut angelos et medios ad similitudinem vigilum et inferiores velut Seraphim in typum convenientem eorum, qui inserviunt ei. Hunc ordinem sacerdotii figurarunt sacerdotes et levitae et Ithamar et Eleazar et Phinees sacerdos et Zacharias.

Requievit Altissimus super montem Sinai et demisit manum suam super Moysen, et Moyses eandem imposuit Aaroni et deducta est ad Joannem. Joannes posuit manum super Dominum nostrum[1], et Dominus noster eam tradidit Apostolis, et Apostoli benedicti posuerunt eam[2] ad omnes gradus sacerdotii. Hunc gradum sacerdotii posuerunt nobis Apostoli sancti, et ecce hodie in Ecclesia per manus patris nostri perficitur. Sacerdotes, qui illum induerunt, mundi sint et episcopi sanctificentur et diaconi ac lectores[3] accipiant remissionem debitorum suorum. Parce, Deus, populo tuo[4] et miserere gregis tui ac perfice servum tuum donis tuis, et gratia tua in mente ejus habitet[5].

Episcopus aperiat manus electi et extendat eas atque unam alteri palmae adjungat orans ac dicens:[6]

Sanctus Deus Pater veritatis, a quo profluit hominibus sanctitas; tu, Domine, per misericordiam tuam finxisti ab initio Adamum illumque formasti in tui similitudine et omnibus pulchritudinibus eum ornasti et illi dedisti spiraculum vitae ac ipsum posuisti in Eden suavissimo, ut esset cynara, quae canat gloriam tuam, et confiteretur nomini tuo ad Angelorum instar, et illum induisti gloria, ut esset summus pontifex ac nitidus sacerdos ministerii tuae Deitatis et minister sacramentorum tuorum. Cum autem ob transgressionem praecepti tui prolapsus cecidisset et propria gloria privatus a primo ministerio alienus fuisset factus, propitius illi factus, o clementissime, Filium tuum dilectissimum, imaginem tuae essentiae et figuram[7] tuae majestatis misisti, qui bona voluntate descendens, mortem pro illo gustavit in corpore, quod induit ex Virgine, et eum redemit ab ipsius ignorantia eumque revocavit in primam patriam, et per sanguinem ac aquam, quae ex suo latere profluxerunt, factus est propitiatio toti mundo. Ubi autem ex monte olivarum ascendit ad te Patrem suum, qui ipsum miseras, posuit puras ac sanctas manus suas super sanctos suos discipulos et demisit super eos virtutem suam occultam unacum sacerdotio misitque suum Sanctum Spiritum, qui habitavit in eis eosque sapientes effecit, et egressi docuerunt et converterunt populos ad Deum, et docuerunt[8] eos fidem veritatis, constitueruntque sacerdotes et pastores et ministros, novem gradus in medio Ecclesiae, et sacerdotium instituerunt juxta numerum novem chororum angelicorum[9], et ecce deducitur in quatuor finibus. Et nos etiam pauperes et peccatores famuli tui et opus manuum tuarum sanctarum, qui a tuis sanctis Apostolis[10] accepimus potestatem sacerdotii, cum indigni essemus, rogamus te et obsecramus misericordiam tuam pro servo tuo isto N., qui exspectat donum tuum magnum per impositionem manuum, quam accipit a nobis[11] in hoc instanti, ut conferas illi sacerdotium et donum Spiritus tui Sancti.

Hic episcopus pollicem suum chrismate intingit et ungit palmas electi,

---

1 M dedit eam Domino nostro. — 2 M et illi dederunt eam per creaturas (lectio mendosa). — 3 M hypodiaconi. — 4 M Ecclesiae tuae. — 5 M Loco istorum: ac perfice . . , . . . habitet, legit: tresque voces laudis in honorem Trinitatis emittamus. — 6 R deest aperiat . . . . dicens. — 7 R personam. — 8 R docuit. 9 R qui in coelis sunt; ut est in Syriaco. — 10 R qui ex manibus tuis sanctis, Apostolorum discipulorum tuorum manibus. — 11 R te.

crucem ducens a pollice dextrae manus ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae ad indicem dextrae, et unctas palmas ambas jungit dicens: [1]

Et unge † eum de sancto tuo vivo et commisce eum tuis divinis sacramentis et concede ordinem hunc presbyteratus huic servo tuo eique tribue, ut sine macula ac sine reatu consistat [2] cunctis diebus vitae suae, ore quidem suo tibi gloriam et lingua sua tibi confessionem referens amictus sancto schemate altissimi gradus sacerdotii, et commisceatur cum sacerdotibus puris [3], qui te placaverunt [4] praeclaris suis operibus ac suis ministeriis.

Et conversus ad altare dicit:

Atque unanimes attollamus tibi gloriam et confessionem pro tuis auxiliis et gratiis ac multitudine tuorum donorum, atque Filio tuo unigenito Salvatori animarum nostrarum et Spiritui tuo Sancto, inveniamusque misericordiam et clementiam unacum omnibus illis, qui ab initio tibi placuerunt et dominationi tuae grati fuerunt. Domine Deus noster [5].

Et dicit:

Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur nomen tuum in servo tuo, veniat ad eum regnum tuum, fiat in ipso voluntas tua, et per gratiam tuam stet coram altari tuo, ejusque oblationes suscipiantur per miserationes tuae Deitatis, corpus tuum distribuat ovibus, sanguinem tuum misceat tuo gregi; per ipsum populo tuo propitiationem concede et congregationi tuae remissionem peccatorum; ejusque oblationes recipe instar Abelis, tibique ut Noe placeat; in ministerio tuo consistat, ut Melchisedech; sacerdotium per eum honoretur ut per Simonem et Joannem, ac purum tibi exhibeat ministerium cunctis diebus vitae suae. Nunc.

Inclinatus dicit:

Respice in nos, Domine, et in ministerium nostrum et munda nos ab omnibus sordibus, e coelo gratiam tribue huic servo tuo, ut per donum tuum mereatur sine culpa sacerdotio tibi fungi et invenire gratiam in conspectu tuo cum omnibus illis, qui a saeculo tibi placuerunt.

Et erigit eum et [6] *alta voce dicit:*

Quia tu es, qui vis [7] misericordiam et benignitatem, tibique convenit gloria et honor et adoratio ab omnibus, et Filio tuo dilectissimo ac Spiritui Sancto tuo. Nunc.

Et cruce eum signat dicens:

Domine Deus fortis, respice de coelo, intuere et visita vitem [8] hanc et plantam, quam plantavit dextera tua, et filium hominis, quem confirmasti tibi, Pater † et Fili † ac Spiritus Sancte †. Nunc.

Et ponit manum super caput ejus ac dicit:

Ordinatus est in Ecclesia Dei [9].

Archidiaconus proclamat:

N. presbyter ad altare sanctum ecclesiae sanctae oppidi N.

---

[1] R deest haec rubrica et crux. Unctio a Stephano Aldoensi, qui exemplaris Assemaniani fons est, inducta est (cf. dissertationem nostram de sacris ordinationibus § 3. T. I. p. 137). — [2] R. add. coram te. — [3] R illustribus. — [4] R tibi placuerunt. — [5] R deest Domine Deus noster. — [6] R deest Et erigit eum. — [7] R Deus volens. — [8] R. vineam. — [9] RM deest Dei; R add. sancta.

Episcopus: N. presbyter ad altare sanctum ecclesiae sanctae oppidi orthodoxorum, quod praenominatum est, in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus Sancti † in saecula *Amen.*

In qualibet autem invocatione in fronte electi ducit signum crucis et[1] *inclinatus dicit:*

Gratias agimus tibi, Domine omnipotens, pro omnibus et propter omnia et laudamus et glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum et donum tuum requievit super hunc servum tuum. Rogamus te et deprecamur, Domine, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum et complaceat tibi in hac chirotonia presbyteratus, quae facta est super hunc servum tuum per adventum Spiritus tui Sanctissimi, et adde vocationi huic plasmatis tui[2] sanctitatem et gratiam bonitatis tuae, et elige nos et eum ad bonum[3] et concede negotiari tibi[4] talentum, quod accepit.

Et elata voce dicit:

Ut cum omnibus illis, qui a saeculo placuerunt voluntati tuae[5], accipiat mercedem dispensatorum fidelium et sapientum in adventu secundo de coelo Domini nostri, Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo tibi convenit gloria, honor et potestas una cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, adorando, vivifico ac tibi consubstantiali. Nunc *).

Et induit illum cingulo eoque lumbos ipsius praecingit dicens:

Praecinge, Domine, hunc servum tuum N. presbyterum cingulo puritatis et sanctitatis. *Amen*[6].

Et amictum ponit super caput ejus et dicit:

Indue, Domine, servum tuum hunc N. galeam salutis ad altare sancti Domini N. oppidi benedicti N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus Sancti † in saecula *Amen*[7].

Et orario involvit collum ejus dicens:

Indue, Domine, servum tuum hunc presbyterum[8] orario sacerdotii ad altare sanctum sancti Domini N.[9], in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus Sancti † in saecula *Amen.*

Et stola seu planeta seu pluviali seu casula **) *induit eum dicens:*

Indue, Domine, hunc tuum servum N. ordine praeclaro et decenti, indumento isto honorabili sacerdotii ad laudem, honorem, decus et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis et ad tranquillitatem ac aedificationem sanctae ecclesiae sancti Domini N. oppidi N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen.*

---

[1] R Et bis id clamat, signans cum cruce in fronte. — [2] R qua illum elegisti. — [3] R gratiam. — [4] R ut serviat tibi secundum. — [5] R tibi. — [6] R praecinctus est, Domine, hic servus tuus sacerdos N. in ecclesia sancta sancti D. N. urbis benedictae in nomine Patris Amen, et Filii Amen, et Spiritus Sancti in saecula. Amen. — [7] R Deest rubrica et formula concernens amictum. — [8] R Induit (deest Domine) hic servus tuus N.; deest presbyterum. — [9] R add. urbis N.

*) Exstat in margine arabica manu descripta haec rubrica, quod episcopus et ordinandus hoc loco manus suas abluere debeant, quae ceremonia in codice praescribitur facienda post lectionem evangelii.

**) Id enim exprimit hoc loco vox Syriaca et adnotatio seu expositio arabica inserta in textu. Sed de sacris indumentis Syrorum suo loco diximus.

Episcopus manum suam imponit capiti ejus dicens:

Imponimus vestem hanc sacerdotalem N. presbytero in ecclesia sancta sancti Domini N., in qua impositum est signaculum apostolicum et orthodoxum, ad laudem et honorem Trinitatis sanctae, ad pacem et aedificationem, confirmationem ac exaltationem sanctae Dei Ecclesiae, ad commemorationem Dominae Mariae Genitricis Dei et ad memoriam Apostolorum sanctorum et prophetarum veracium ac martyrum illustrium et victorum [1]. Nunc.

Psal. [2]: Laus illi pastori.

Laus illi, qui constituit altaria et oblationes et pro iis instituit sacerdotes ad sui honorem. Laudate Dominum [3], qui pro iis instituit, laudate eum in firmamento [4], sacerdotes, ad propitiationem. Laus illi pastori, qui gregem suum ornavit sacerdotibus et episcopis et altaribus et oblationibus.

Apostolus ex epist. I. ad Corinth.: [5]

Fratres mei, posuit Deus in Ecclesia sua primum Apostolos, post hos prophetas, post hos doctores, post hos operatores virtutum, post hos dona curationis et auxiliatores et rectores et genera linguarum [6].

Ex epistola I. ad Timoth.:

Fidelis est sermo: Si quis presbyteratum desiderat, opus bonum desiderat; haec doce et praecipe.

Ex epistola ad Titum:

Propter hoc reliqui te in Creta, ut ea, quae deficiunt, ordines et constituas presbyteros per singulas civitates, ut praecepi tibi [7] *etc. usque:* In doctrina sua sana, et redarguere eos, qui contradicunt.

Item ex epistola I. ad Timoth.:

In his meditare et in his conversare, ut manifestum sit omni homini, quod proficis, nec spernas donum, quod est in te, quod datum est tibi per prophetiam et per impositionem manus presbyterii. Attende tibi ipsi et doctrinae tuae et in his permane; cum enim haec feceris, te ipsum vivificabis et eos, qui te audiunt *). Et ipsi.

Responsorium: Sacerdotes tui induantur justitiam et justi tui gloriam. Allel.

Episcopus legat evangelium Joann.: [8]

Cum autem dimissi fuissent, dixit Jesus Simoni Cephae: Simon, Barjona, amas me plus quam isti *etc. usque:* Sequere me. Et pax.

Archidiaconus praedicat Litaniam:

Christe Deus omnium nostrum, qui elegit in medio Ecclesiae suae sanctae sacerdotes resplendentes et veraces, qui sacerdotio fungerentur

---

[1] R. add. et ad gloriam, laudem et adorationem Patris et Filii et Spiritus Sancti. — [2] M R Archidiaconus psalmum. — [3] M add. in sanctitate ejus. — [4] M add. virtutis ejus. — [5] R Lectio epistolae Pauli, reliqua omnia desunt usque ad rubricam, quae antecedit evangelium. — [6] M deest: et genera linguarum. — [7] M. qui in extenso habet, deest ut praecepi tibi; tunc v. 6. Ponitur vers. 7. loco episcopi: ille, qui futurus est presbyter. — [8] M Datque ei evangelium ut legat.

*) Ex M., qui in extenso habet haec leguntur per modum unius lectionis, uti fieri solet apud Syros.

in puritate et unánimes sanctificarent corpus et sanguinem ipsius ad propitiationem debitorum et remissionem peccatorum. Precamur.

Christe*), qui cognoscit occulta et scrutatur cor et renes, qui elegit et obtulit hodie hunc servum suum N., quem vocavit et promovit ad ordinem perfectum presbyteratus. Adoramus[1].

Christe, qui a Cherubim benedicitur et a Seraphim sanctificatur et ab angelis laudatur, a vigilibus celebratur, a spiritualibus exaltatur. Precamur.

Christe, in cujus conspectu adstant millia millium et ad cujus majestatis ministerium trementes conjugatae sunt myriades myriadum, atque constituit sibi in sancta Ecclesia sacerdotes castos de genere nostro[2], qui annuntiarent evangelium ipsius populis redemptis per crucem suam. Supplicamus.

Christe, cujus verbo vivifico et gratia divina jussi sunt servi tui, ut diligenter invigilarent et parati essent ad hoc ministerium, ad quod oblati sunt et electi. Precamur.

Christe[3], parce et miserere omnium nostrum secundum misericordiam tuam et gratiam tuam, pasce[4] et guberna nos secundum miserationem tuam et perfice consistentiam nostram coram te pro servo tuo N. presbytero, et placeat tibi impositio manus, quam hodie accepit; atque trina voce[5], qua sibi complacet tua divinitas, mereamur dicere tribus vicibus: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus orat:

Largitor bonorum et dator munerum[6], da nobis per gratiam tuam et praesta nobis per miserationes tuas, ut audiamus evangelium tuum et intelligamus verba tua vivifica et custodiamus ac faciamus[7] tua mandata, atque suscipe praedicationem[8] servi tui tibique placeant orationes adoratorum tuorum et acceptum tibi sit ministerium nostrum peccatorum tuasque miserationes[9] nobiscum perfice. Pater.

Et tradit illi thuribulum ac ponit aromata, et circumducunt eum, illique portandum ad pectus datur evangelium[10]*, et ponunt in disco corpus vivum ac processio instituitur*[11] ***).*

---

[1] M Precemur. — [2] M terrenorum. — [3] M Christe Deus omnium nostrum. Deus noster parce etc. — [4] M add. deduc. — [5] M unáque voce et trina (apud utrumque in textu Syriaco est: et una voce trina). — [6] R. add. divinorum. — [7] R deest ac faciamus. — [8] R proclamationem. — [9] R add. et gratiam tuam. — [10] R deest illique . . . . . . evangelium. — [11] R et illud circumferunt.

*) Hic in codicibus posita est litera Mim solitaria, quae est prima nominis Christi, et indicat repetendam esse litaniae stroph.: Christe, Deus omnium nostrum.

**) Arabice exponitur, quod omnes instituta in ecclesia processione egredi debeant, et post omnes sacerdotes ordinatus a duobus ducitur per duo oraria, ac illi episcopus tradit thuribulum, ut populum incenset. In altera vero processione aufert ab eo thuribulum illique ad pectus portandum dat librum evangeliorum. In tertia demum collocat corpus dominicum in calice vel in patena illudque super caput ejus ponit atque tegit velo magno, quod ambabus manibus teneat cum summa diligentia, et duo quidem ministri flabella super ipsum motitant, reliqui vero psallunt.

Tono simplici: [1]

Super volam manuum Filii aedificata est Ecclesia et super ordines duodecim Apostolorum electorum posita. Dominus autem noster dedit illi virtutem et potestatem conterendi omnia idola erroris. Conflavit ei arma veritatis, crucem vivam et impressionem chrismatis, cujus virtute sacerdotes sanctificantur. Alleluja, iterum alleluja. Domine noster, suscipe per tuas miserationes nostram processionem, exaudi orationem nostram et miserere nobis, Salvator mundi [2]. Ascendit Moyses in montem Sinai et vidit ibi tabernaculum [3] domus Dei et splendorem ex eo contractum induit et deduxit secum typos et similitudines istas, quas viderat in illa primogenitorum Ecclesia. Et tabernaculum temporis attulit et erexit, ut scriptum est, et sanctificatum est a Domino et in medium ejus ingressus habitavit. Alleluja, iterum alleluja [4]. Domine noster, per miserationes tuas suscipe ministerium nostrum, exaudi orationem nostram et miserere nobis, Salvator mundi [5].

Sanctus es, o amator hominum.

Sanctus Deus, qui misit Filium suum, et desponsavit sibi Ecclesiam sanctitatis, ut in ipsa celebraretur. Sanctus fortis, per quem conversus est grex iste ab idolis vanitatis. Sanctus immortalis, qui morte sua redemit Ecclesiam de manu mortis devorantis, qui crucifixus es Salvator noster super Golgatham. Et Ecclesia tua liberata est per tuum sanguinem ab errore. En hodie filii ejus cruce tua redempti sunt a malo et ejus virtutibus, qui pugnat cum ipsis. Et cum pompa circumferunt corpus tuum et sanguinem tuum sanctum ac ipsum tollunt et expiationem suorum debitorum per ipsum obtinent. Et clamant ac dicunt: Benedictus, qui desponsavit Ecclesiam sanctam eamque fecit sponsam gloriosam et proprio sanguine signavit. Et en illi offert dona grata et dilecta, et canit gloriam ipsa cum filiis suis usque in saeculum.

Episcopus imponit manum suam super caput ejus sub disco corporis et orat:

Eja, Domine Deus, a te petimus et clementiam tuam exoramus, demitte gratiam tuam, benedictionem tuam et dexteram tuae divinitatis ac miserationes tuas et clementiam tuam, sanctitatem tuam et majestatis tuae virtutem absconditam, quae descendit super montem Sinai, et illustratus est ea Moyses propheta, ipsa descendat et requiescat cum dextera mea peccatrice super caput hujus servi tui, qui a te accepit hodie gradum magnum et gloriosum ac sublimem sacerdotii. Tu, Domine, concede illi verbum verae fidei et aperitionem oris in scientia tua et puritatem ac sanctitatem atque consistentiam sine reatu coram ministerio sacramentorum tuorum sanctorum ad confirmationem et exaltationem ac aedificationem Ecclesiae sanctae et ad laudem honoremque nominis ad-

---

[1] M Dum autem circumducunt eum, dicunt Pesitam. — [2] M Priora usque huc desunt. — [3] M majestatem (vox syriaca est eadem et significat inhabitationem s. gloriam Domini). — [4] M deest et iterum alleluja. — [5] M loco strophae, quae sequitur post duplex Alleluja haec habet: Per me juravi, dicit Dominus dominorum, quod nolo ego perditionem peccatorum, qui convertuntur. Venite beneficiamus et petamus remissionem, donec sunt misericordiae et apertae portae; quia nemo potest justificari post mortem suam. Omnis homo sollicitus sit de seipso, quia finis ad nos appropinquat. Cantus sequens deest.

orandi et gloriosi divinitatis tuae et ad ministerium ac ornamentum sancti altaris tui et ad assistendum throno glorioso majestatis tuae, cum veneris ad judicandum vivos ac mortuos cum fiducia ac spe, et ad unionem cum sanctis tuis, qui a saeculo placuerunt tibi, per intercessionem et precem Deiparae Mariae et omnium sanctorum. *Amen.*

Et imponit crucem super caput ejus dicens:

Benedictus es, Domine Deus, qui es super omnia, qui per dona varia ornas et exaltas Ecclesiam tuam sanctam, qui elegisti tibi de mundo[1] in Testamento priori et Veteri septuaginta sacerdotes et implevisti eos spiritu prophetiae[2]; et per hoc Testamentum Novum Christi tui posuisti, Domine, in Ecclesia tua primum Apostolos, deinde prophetas, postea doctores et rectores et facientes virtutes et episcopos ac sacerdotes mundos ad ministerium altaris tui sancti. Et nunc etiam, Domine Deus, comple nobiscum gratiam tuam et donum tuum et cum servo tuo isto N. presbytero et tribue ei, Domine Deus[3], ex parte tua cum chirotonia ista, quam accepit a te hodie per illapsum Spiritus Sancti, eum dignum efficiens misericordia tua sacerdotio fungi et offerre tibi oblationes puras cum votis et primitiis et incensis bonis et odoribus jucundis tibi gratis et tuae dominationis voluntati acceptis; et concede ei, Domine, gratiam verbi et aperitionem oris cum scientia, ut corripiat et moneat et arguat omnes illos, qui erraverunt a veritate, orans et intercedens[4] et deprecans pro omnibus fidelibus veris et filiis sanctae Ecclesiae, visitans orphanos et sustentans viduas ac reducens errantes[5]; confortator et sustentator sit peregrinorum, custos mandatorum tuorum divinorum et apostolicorum, tibi tuaeque voluntati adhaerens cunctis diebus vitae suae; peragat autem et opere compleat[6] in conspectu tuo omnia illa, quae convenientia sunt et justa. Nobis vero praesta per tuas perpetuas miserationes, ut gaudeamus et laetemur cum ipso in regno coelesti per orationes et intercessiones ejus, quae mundo genuit lucem, et omnium electorum tuorum ac eorum, qui voluntatem tuam faciunt.

Episcopus manu sua illum apprehendit et admovet altari, ut hoc osculetur et ipsum episcopum, qui pacem eidem tribuit jubetque omnes eundem salutare, tum imponit illi, ut thus adoleat et ordinem communem persolvat.

Prooemium[7]. Illi, qui sacerdotes exornat et pontifices perficit, illi, qui elegit sibi sacerdotes terrenos eosque praefecit aerario regni sui et tradidit eis claves thesauri sui, ut egenis distribuerent opes ipsius. Bono.

Ordo: **Domine noster Jesu Christe, principium deificationis illorum, qui deificantur, et deificator ac sanctificator eorum, qui perfecte sacerdotio funguntur, qui in vita praesenti et futura perpetua eos, qui deifice et recte sacerdotale ministerium tibi exhibuerunt, sacerdotali modo illos consecras, utpote qui fons vitae es et largitor donorum beatificorum: tibi itaque et coram te supplices fundimus preces in hoc instanti, cum peragimus memoriam eorum, qui sacerdotale ministerium exhibuerunt tuis divinis sacramentis quique secundum vitae constitutum termi-**

---

[1] R ex populo. — [2] R sancto. — [3] R deest Domine Deus. — [4] R deest: et intercedens. — [5] R add. nutritor necessitatem patientium. — [6] R deest: et opere compleat. — [7] R deest hoc prooemium et ordo sequens, qui est ordo communis.

num a ministerio hujusce vitae transierunt et defuncti sunt, ut, quemadmodum congruit iis, quorum mors pretiosa est in oculis tuis, eos suscipias atque illorum animas dispone cum coetibus sanctis tuorum sanctorum angelorum eosque exhibe insuperabiles a potestatibus generi nostro adversariis. Complaceat igitur tibi, Domine, et sicuti maximo illos honore condecorasti in vita hac, modo quoque appareant propter gloriam tui sacerdotii ornati stola illa, qua amiciuntur pii, qui a saeculo sunt; et quando veneris ad laborum retributionem faciendam, da et concede illis retributionem beatam et claritatem talentorum evangelicorum; illos a confusione, quam hereditant superbi, libera eosque sub umbra Petri et Pauli, qui pium tibi exhibuerunt sacerdotium, protege, et cum omnibus filiis lucis in Ecclesia primogenitorum coelestium compareant; a cruciatibus gehennae eos salva propter gratiam sacramentorum tuorum; illos, qui tibi sacerdotale officium ministrarunt et spiritualitate ac theoria, quae in ipsis mysteriis continentur, illos, inquam, da suaviter perfrui, cum prophetis exultantes, cum Apostolis glorificantes et cum mystis orthodoxis immortalem et incessabilem gloriam offerentes tibi principi pontificum confessionis nostrae, Jesu Christe, ac Patri tuo.

Et statim episcopus carbonem sacri corporis in calice intingit[1] *et porrigit*[2] *illi eumque jubet, communionem tribuere populo dicens:*[3]

Gratias agimus tibi, Domine noster Jesu Christe Deus omnipotens et omnium Dominator, et confitemur tibi pro omnibus et propter omnes gratias tuas[4] et abundantiam tuorum erga nos donorum. Cumque nos servi tui peccatores adoramus[5], glorificamus et benedicimus nomen tuum sanctum, quod dona confert iis, qui ipsum diligunt, demitte, Domine, gratiam tuam super hunc servum tuum, quem elegisti et promovisti tua clementia, et pro quo nos omnes precamur ac supplices fundimus preces: Sacerdotium ejus perfice ob nostram coram te consistentiam, complaceat tibi in ipso et[6] in chirotonia, quae facta est super eum a manibus nostris peccatricibus, laetentur superi et turbae inferiores ac Ecclesia cum filiis suis in perfectione sacerdotii ipsius et in illapsu Spiritus Sancti, qui descendit super ipsum. Eja, Domine Deus, splendeat servus tuus iste instar Moysis prophetae et instar Aaronis sacerdotis ac instar Phinees et Eleazar et omnium illorum, qui tibi pure ac sancte ministrarunt. Etiam superadde, Domine Deus, huic vocationi electae[7] dona Spiritus et remissionem debitorum atque indulgentiam peccatorum; et nos una cum ipso participes fac abundantiae doni tui et misericordiae tuae; concede etiam illi, Domine, ut superlucretur talento, quod accepit a te hodie et adquirat progressus plurimos[8], quo placeat tibi cum sacerdotibus benedictis, qui sancte et caste tibi ministrarunt; et cum omnibus prophetis ac Apostolis, piis et justis ingrediatur thalamum tuum ac laetetur in regno tuo; nos autem attollamus tibi gloriam et confessionem cunctis diebus vitae nostrae et Patri tuo.

Et convertitur ad altare, ac dicunt: Pater noster, qui es in coelis. *Diaconus:* Et ipsi Deo gloria. *Episcopus orat:*

[1] R signat. — [2] R datque communionem. — [3] R add. Cum id factum fuerit, episcopus conversus ad altare dicit. — [4] R pro omnibus beneficiis tuis; deest omnibus et propter. — [5] R. erga nos, servos tuos, quamvis peccatores: adoramus. — [6] R deest in ipso et. — [7] R et electioni. — [8] R cum lucro abundanti.

Deus deorum Pater, qui misisti Dominum nostrum Jesum Christum, qui sedes in coelo et respicis in terram, et commovetur: convertere ad nos per tuam misericordiam et respice in nos oculo clementiae tuae atque nos per gratiam tuam adjuva, neque nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, quia tuum est regnum et virtus et gloria in saeculum saeculorum. *Amen.*

Et conversus ad populum dicit: Pax vobiscum. *Populus:* Et cum spiritu tuo. *Et orat:*

Deus, qui non deseris eos, qui te in veritate invocant; bone, qui non claudis portam tuam peccatoribus, qui ipsam in vera fide pulsant; misericors, cujus miserationes expansae sunt super eos, qui cum sincera charitate accedunt ad te: tu, Domine, aperi orationi nostrae ostium tuum per tuas miserationes et per tuam clementiam exaudi preces nostras, ac per gratiam tuam suscipe deprecationem nostram et propter tuam benignitatem annue petitionibus nostris et complaceat tibi in nobis et in hoc ministerio nostro; a te enim petimus, Domine Deus, te obsecramus, ut imbecillitatem nostram sustentes, curvitatem nostram dirigas, pusillanimitatem nostram adjuves, paupertatem nostram dites, inopiae nostrae provideas, perditioni nostrae benignus consulas[1], debita nostra dimittas, peccata nostra remittas et ignorantias nostras, atque triumphali tua cruce tuoque brachio excelso nos custodias ab insidiis et nequitia adversarii et inimici, ac per tuam misericordiam[2] nos dignos reddas, qui nostris rectis moribus placeamus divinitati tuae, atque tibi exhibeamus servitutem bonam cunctis diebus vitae nostrae, et in die magna adventus tui timendi ac tremendi, laeti tibi obviam procedamus et exultantes occurramus tibi ac coetibus sanctorum tuorum commixti numeremur cum choris et ordinibus gregis tui et tecum in tuum thalamum introeuntes gloriam canamus gratiae tuae, Pater et Fili et Spiritus Sancte nunc et omni tempore et in saeculum saeculorum. *Amen.*

Et instruit eum de gradu ac ministerio ipsius monetque, ne communicet uxori suae per septem dies, quibus diebus sacrificium quotidie offerat cum sacerdote sapienti, donec rite instruatur[3] *in proprio ministerio, atque legit super illum hanc monitionem, quae omnibus presbyteris congruit.*

Ante omnia oportet, fili mi, te nosse, quod ex pulvere es et in pulverem reverteris; et sicuti intrasti in hunc mundum, quin quidquam tecum esset, sic egredieris ab illo nihil tecum habens, nisi quod feceris sive bonum, sive malum: et qualis est tua negotiatio[4], talis et erit retributio, quia in igne judicat Dominus et igne etiam scrutabitur opera et actiones omnium hominum. Frater noster, audi ergo et intellige, quod non consistas coram me peccatore, verum stes in conspectu Dei omnium[5] qui novit occulta et scrutatur profunda, qui sedet in sublimi coelo et intuetur abyssos inferiores. Noveris itaque[6] et recogita, qualem gradum hodie suscepisti et quale depositum tibi creditum sit a Deo in hoc tempore. Adora, confitere et gratias age Deo, qui te angelum fecit, cum antea homo esses, et victorem te exhibuit, cum antea esses delinquens, teque in sancta Ecclesia fidelem oeconomum constituit, et pro-

---

[1] R miserearis; deest benignus. — [2] R deest per tuam misericordiam. — [3] R desunt reliqua rubricae. — [4] R profectus. — [5] R add. Domino. — [6] R add. frater benedicte.

meruisti mediator fieri in tabernaculo divinitatis, atque pastorem te statuit ovium suarum rationalium, tibique credita sunt talenta utilia, quorum fructus est vita aeterna. Pervenisti autem ad magnum donum, quod angeli videre concupierunt, ac sublimatus es ad ministerium sanctorum mysteriorum, quae abscondita fuerunt a generationibus et tribubus, a patribus, prophetis[1] et praedicatoribus atque praesignatoribus, neque suffecerunt labores eorum ad carbonem vivum corporis et sanguinis Christi Dei nostri et Salvatoris nostri, qui per palmas tuas circumfertur et digitis tuis corporalibus apprehenditur. Confitere Deo propter hoc donum, quod tibi collatum est; ecqua confessio seu retributio sufficiens erit vel exiguo pugillo divitiarum, quas Deus terrenis Adae filiis confert. Et propterea congruum est, frater noster, ut praepares mentem tuam et animam corpusque tuum ad suscipiendum[2] id quod tibi impositum est ab illo, per cujus manus hanc honorabilem vestem induisti. Primum autem esto cogitans illa Christi[3] in evangelio[4] verba: Ego sum ostium et via ardua, quae ducit ad vitam aeternam, ac per me incedunt illi, qui vitam desiderant; qui voluerit animam suam vivificare, illam perdat propter me. Quod si vero hunc sermonem suscipiunt saeculares sine contentione, quanto magis aequum est, ut nos, qui sumus sacerdotes et magistri domus, ipsum suscipiamus et per ipsum lucremur in multis duplicibus[5]. Convenit igitur, mi fili, tibi, ut sis quietus, suavis, humilis, ut divinitas in te mansionem faciat. Tibi elige humilitatem[6] prae omnibus hominibus, ut sis haeres in terra vitae, ut dictum est: Beati humiles[7], quoniam ipsi possidebunt terram; dilige continentiam et castitatem[8], quia quicunque emundat animam suam[9], similis erit angelis Dei; frater esto jejunanti sincero et socius orationi a negligentia remotae; animam tuam longe fac a desideriis hujus saeculi transeuntis, quae nec manent neque proficiunt, ut negotium tuum sit amor divinus, quia quicunque plenus est charitate, legem implevit; praepara animam tuam ad ministerium domus Dei et sacerdotale obsequium praesta altari ejus sancto, quod tibi creditum est; sitque conversatio tua recta, certa, ut sis sine macula, quia officium, quod tenes, ab Altissimo est. Tu enim mediator es Dei et hominum et per manus tuas istis tribuitur expiatio debitorum, et qui fuerit in hoc mediationis officio, oportet, ut is sit instar igneorum sanctorum[10], qui afferunt mysteria abscondita, et instar prophetarum, qui portarunt revelationes[11]. Cave ab insidiis adversarii, et ne sit cogitatio tua in divitiis hujus mundi, sed sit meditatio tua in fine tuo, quia finis uniuscujusque hominis in ejus ostio stat; collige manus tuas fide, per quam meruisti accipere hunc gradum, quaeque fides est patrum nostrorum sanctorum, per quam induisti Spiritum Sanctum per baptismum et per hanc manus impositionem; et ne illam mutes neque declines ab ea nec ad dexteram nec ad sinistram; quodsi autem adversarius te alliciat et ab ea recedens ipsam commutabis et ad aliam fidem declinaveris, eris privatus sacerdotio et presbyteratus exsors, eritque tua portio cum illo, qui accepit unum talentum et effodit ac abs-

---

[1] R missis. — [2] R deest suscipiendum. — [3] R Dominus noster. — [4] R add. suo. — [5] R magis ac magis satagere. — [6] R mansuetudinem. — [7] R mites. — [8] R vitam solitariam et abstinentiam. — [9] R omnis qui illis ornatus est. — [10] R spiritus. — [11] R quorum prophetis manifestatio commissa est.

condit illud in terra; si vero custodieris hoc depositum et curam sedulam geres fidei nec eam mutabis aut[1] ab ea deficies, descendet benedictio coelestis super caput tuum et gratia divina super cor tuum, et portio tua ac hereditas tua erit cum illo, qui accepit quinque talenta et alia quinque superlucratus est, dignusque eris, qui consistas cum coetu illo dextero unacum omnibus patribus sanctis, qui custodierunt suum depositum. Itaque, mi fili, postquam haec omnia auribus tuis excepisti et corde tuo tenuisti, en trado tibi sacerdotium et ministerium altaris ad adoptionem filiorum novorum per baptismum sanctum, et ecce commendo te Deo et gratiae ejus, quae descendit super te hodie, ut ipsa te ducat per viam vitae, et ego quidem immunis sum a tuis peccatis. Ac Deo laus nunc et semper[2] *).

Item chirotonia, qua perficitur periodeuta[3], scilicet visitator.

Primum legat super eum canonem post scrutinium et examen, quod instituit super ipsum, a pluribus inquirens de illius merito ad hunc gradum. Testimonium autem illi reddere debent omnes filii gregis hyparchiae, quod dignus sit, jejunii et orationis studiosus, humilis sit et mitis, doctor, animam suam contineat ab inutilibus et sordidis lucris, castus sit et ingenuus, vir unius uxoris castae et ingenuae, filios habeat subditos et bene morigeros, quibus testimonium reddatur, quod casti sint et ipsi, jejunantes, orantes et humiles ac se ipsos ingenuos exhibentes, cum nemine contendentes, neminem inhonorantes; quod si talis non sit ipse et illi, quin et digni non sint, qui Ecclesiam colligant, impediatur, ne sit magister et doctor, quo dignus sit talis esse ante suam ordinationem et post suam perfectionem. Sitque perfectus in his proprietatibus et in aliis pluribus eorum, quae dicta sunt, alioquin tam ipse quam ipsum praesentans ad hoc ministerium caeci sunt. Et post hasce disquisitiones, siquidem dignus repertus fuerit[4], quem elegit Spiritus Sanctus, ingredietur in Betgazam atque caput suum inclinabit coram pastore ac dicit: Benedic, Domine mi, *manus habens junctas ad pectus suum et caput detectum, indutus vestimenta ordinis sui. Episcopus autem illum genuflectere jubet[5] sine obsignatione* **) *dicens:*

Dominus Deus dextera sua tibi benedicat et hoc alto sacerdotii gradu dignum praestet.

Et tradit illi episcopus crucem in dextera ejus et ampullam chrismatis in sinistra ipsius ac injicit ad collum ejus duo oraria, per quae duo periodeutae ipsum ducunt, et egrediuntur e secretario pulchro et

---

[1] R deest: eam mutabis aut. — [2] R et gloria in saecula saeculorum. Amen. — [3] M vertit: archipresbyteri; sed in ejus textu Syriaco est ipsum nomen periodeutae. — [4] R M desunt haec priora omnia hucusque; et incipit ita: Primus veniet is, quem elegit etc. — [5] R benedicet illum.

*) Haec admonitio arabice e regione exposita legitur, et in fine interpretationis arabica rubrica exstat, qua jubetur episcopus capillos capitis ordinati tondere, coronam in ejus capite designare et fascia caerulei coloris caput illius tegere.

**) Hoc est absque benedictione per signum crucis.

decenti ordine deferentes evangelium, Apostolum, thuribulum et flabella, et egrediuntur dicentes tono simplici:[1]

Super volam manuum Filii aedificata est Ecclesia et super ordines[2] duodecim Apostolorum gloriosorum[3] posita est. Dominus noster dedit illi virtutem et potestatem, ut conterat omnes religiones daemonum. Adnexuit illi arma veritatis crucem vivam et impressionem chrismatis *), cujus consignatione sacerdotes obsignantur. Alleluja[4], iterum alleluja. Domine noster, per tuas miserationes suscipe deprecationem nostram, audi orationem nostram et miserere nobis, Salvator mundi.

Cum perveniunt ad altare majus, ingrediuntur omnes et remanet ipse solus extra portam altaris et benedicitur[5] *ab episcopo et crucis signo signatur ab eo dicente:*

Dominus[6] benedicat tibi inter periodeutas[7] ecclesiae sanctae sancti Domini N. oppidi benedicti N., in nomine Patris † *Amen* et Filii † *Amen* et Spiritus † Sancti in saecula *Amen*.

Et clauduntur portae ecclesiae, ac aufertur ab illo crux, quae ponitur super altare, et unus ex periodeutis portans evangelium stat ad ipsius dexteram et alter portans ampullam chrismatis stat ad illius sinistram. Episcopus inchoat ac dicit:

Praesta nobis[8], Christe Deus noster[9], ut mysticum hoc ministerium hujus sacerdotalis officii impleamus et abundantia donorum[10] tuorum coelestium ac divinorum repleamur. Atque attollamus.

Et dicunt: Gloria Deo. *Episcopus orat:*

Confirma, Domine mi, Ecclesiam tuam sanctam super petram immobilem fidei orthodoxae, et per te corroboretur ac a te accipiat auxilia perfecta et charismata divina, quibus illustrentur filii ejus ad purum[11] ministerium exhibendum in altari[12] tuo sancto; et glorificemus te cum coetibus supernis immaterialibus. Pater.

Et dicunt: Miserere mei, *qui scriptus est in ordine primo. Archidiaconus dicit:*[13]

Stemus recte in oratione et petitione coram Deo deorum et coram Domino dominorum et coram rege regum et coram altari propitiatorio Salvatoris nostri et coram mysteriis gloriosis ac sanctis super ipsum positis et coram hac impositione manus servi tui N. et coram patre nostro electo domino N., per cujus manus perficitur. Per thura, quae imponuntur, misericordiam Domini exoramus.

Episcopus ponit suavitates et dicit prooemium:

Illi misericordi et multae gratiae, qui genus humanum ex nihilo, ut esset, adduxit, cum ipsum creavit et ornavit, et iterum, cum pro-

[1] R canentesque responsoria procedunt ad altare majus (et pergit ut infra). — [2] M lapidibus ordinum. — [3] M deest gloriosorum. — [4] M desunt reliqua hujus cantus, quae post hoc Alleluja sequuntur. — [5] R ad quod reliqui ascendunt, ordinandus solus extra manet et benedictionem petit. — [6] R add. Deus. — [7] R te in periodeutam. — [8] R Praesta nos dignos. — [9] R deest noster. — [10] R donis; deest abundantia. — [11] R. add. et sancte. — [12] R templo. — [13] M. add. benedic Domine.

*) Notat hic recte Morinus, hanc unctionem spiritualiter intelligendam esse.

lapsum esset et cecidisset, salvavit ac suscitavit et dignum fecit, quod ad sublimem dignitatem donorum ipsius divinorum accederet: te, Domine clementia ac misericordia plene, obsecramus et precamur in hoc instanti super hunc aromatum suffitum, ut per ipsas miserationes tuas perpetuas praestes, ut gratus accedat ad ministerium templi tui puri et sancti servus tuus hic, qui modo adstat inclinatus coram throno magnitudinis tuae et exspectat donum, quod ex te est. Tibi enim convenit[1].

Ordo. Deus, qui largitor es donorum ingentium et distributor munerum divinorum, qui gloriosus es in donis et gratiis, tu per miserationes tuas perpetuas motus es, ut non solus fruereris beatitudine tua, sed ut ad alios etiam illa effunderetur et flueret, unde et creasti tibi agmina virtutum coelestium, quos participes tecum efficeres suavitatis visionis tuae[2] neque tibi sat fuit, ut hoc usque constitueres[3], sed et cum hominem fecisti et ad imaginem tuam constituisti[4] et ad finem virtutum intellectualium ordinasti, scilicet anima intellectiva spirituali et[5] rationali ornasti ornamentis virtutum, tu etiam tua suavitate praestitisti, ut super ipsum quoque suavitas bonorum tuorum difflueret ad similitudinem primogenitorum descriptorum in coelis. Nos autem terrenos in ministerio hoc mystico ordinasti et ad ipsum constituisti episcopos, sacerdotes et ministros ac reliquum ordinem universum ecclesiasticum, ut per eum totum populi vulgus accederet ad familiaritatem[6] tuam. Nos quoque, Domine, humiles et peccatores, quos insufficientes licet et immerentes ad hoc ministerium elegisti et admovisti, supplices fundimus preces tuae benignitati, ut non respicias ad impuritatem vitae nostrae et ad motus ac passiones nostras irregulares, neque nos nec ministerium hoc rationale[7] nec populum tuum prives illapsu gratiae tuae divinae; verum parce nobis et universo tuo gregi propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos, et demitte super nos abundantiam donorum Spiritus tui Sancti ad perfectionem plenam ministerii hujus sacerdotalis, nec sit in judicium et condemnationem neque in confusionem coram tremendo illo Christi[8] throno, sed sit in abolitionem, propitiationem et veniam peccatorum nostrorum; sit in sanctitatem, puritatem et nitorem animarum et corporum nostrorum, sit in fiduciam illam, quae servata est iis, qui secundum voluntatem tuam plene perfecti sunt per vocationes divinas sacri hujus ministerii, sit ad laudem nominis tui sancti et honorandi, sit ad aedificationem, augmentum, decorem et exaltationem sanctae catholicae Ecclesiae apostolicae; tibi enim convenit omnis adoratio et gratiarum actio una cum Filio tuo unico ac Spiritu tuo vivo et Sancto. Nunc.

Et dicunt: Ego, ego ***ex primo ordine.*** ***Acceptatio:***[9]

Rogamus te, Domine Deus multum misericors, etiam modo per tuas paternas miserationes benigne suscipias hunc aromatum suffitum, quem obtulimus tuae divinitati altissimae, atque praesta servo tuo, ut in templo

[1] R Episcopus dicit prooemium: Misericors et multae gratiae etc. ut in primo officio. — [2] R felicitatem tuam. — [3] R ut in eo persisteres. — [4] R deest et constituisti. — [5] R deest spirituali et. — [6] R familiam. — [7] R sublime. — [8] R add. tui. — [9] R Ego sum lux vera etc. Deinde oratio susceptionis ut in primo officio. Oratio ipsa: Rogamus te etc. omissa est.

sancto tuo pure ac sancte tibi ministret et una cum sanctis episcopis ac sacerdotibus attollat tibi gloriam.

Archidiaconus proclamat Ephremiticum:

Stemus omnes in oratione coram Deo misericorde et vocibus ipsi gratis ad Dominum clamemus unanimes.

Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando et sancto ac a Spiritu Sancto consolatore arma, quae induerunt veraces.

Deus, qui fecit gradus supernos et infimos et elegit eos, ut ministerium pure et sancte exhiberent.

Novem ordines in coelo, angelos, qui ipsi ministrant, novem gradus sacerdotii in medio Ecclesiae, qui eum glorificant.

Distinxit ordinem ab ordine supernorum et infimorum, et instar ordinis angelorum distinxit gradus sacerdotii[1].

Superni instar Seraphim[2] et medii instar vigilum ac infimi instar angelorum[3] praeclaro typo[4] ministrant illi. Hunc gradum sacerdotii praefigurarunt sacerdotes et levitae[5] Ithamar et Eleazar et Phinees sacerdos ac Zacharias[6].

Parce, Deus, populo tuo et miserere gregis tui et perfice tuum servum tuis charismatibus, et gratia tua maneat in ejus mente[7].

Episcopus orat:

Cognitor occultorum et scrutator cordis ac renum, qui in cordibus habitas et profunda ac abscondita nosti, exaudi per tuas miserationes orationes et supplicationes nostrum famulorum et adoratorum tuorum, qui in tuo sancto nomine congregati sumus et in multis tuis miserationibus fiduciam habemus tuasque divites gratias exspectamus, annue per tuas miserationes petitionibus nostris et aurem tuam accomoda voci deprecationis nostrae ac suscipe praedicationem servi tui diaconi altaris tui, qui in sancto[8] nomine tuo proclamavit, atque propitius esto animabus et nostris et defunctorum nostrorum fidelium. Pater.

Aperiunt portas cancellorum[9] *et dicunt:* Sanctus, *et:* Credimus. *Ac unus e periodeutis illum manu dextera ducit et introducit*[10] *dicens:*

Offerimus sanctitati tuae[11], pater noster religiose et electe Dei Domine N.[12] noster, hunc amantem Dei N., qui hic stat et impositionem manus divinae accipit ex gradu isto presbyterorum ad gradum periodeutarum super altare nominis sancti[13] Domini N. oppidi[14] N.; et est subditus beatitudinis tuae, pater noster religiose Dei. Precantes autem et obsecrantes omnes nos pro illo Deum Patrem[15], clamemus omnes[16] tribus vicibus: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

---

[1] M pro illis: et instar etc. habet: angelos et sacerdotium, ut laudent divinitatem suam. — [2] M ut angelos. — [3] M Seraphim. — [4] M cum tremore. — [5] M Moses et Aaron. — [6] M add. Dominus noster dedit illum Apostolis, et ipsi posuerunt illum in mundo, et ecce in medio Ecclesiae propagatur in omnes ordines sacerdotii. Hoc mysterium sanctum figurarunt nobis pontifices et levitae et hodie in medio Ecclesiae per manus patris nostri perficitur. — [7] M Loco illorum: et perfice etc. habet: vocibusque laudum plenis exclamemus ad Trinitatem. — [8] R deest sancto. — [9] R ecclesiae. — [10] R M deest et introducit. — [11] R Haec praesentatio indicatur tantum primis verbis. — [12] M add. episcope. — [13] M altare sanctum. — [14] M add. benedictae et amantis Christum. — [15] M deest Patrem. — [16] M add. et dicamus.

Episcopus illum flectere utrumque genu jubet ac dicit:

Gratia divina et donum coeleste, quae omni tempore implet defectus nostros et sanat infirmitatem nostram ac alligat vulnera nostra curamque gerit omnium filiorum sanctae Ecclesiae per electionem et oblationem gregis et per mandatum summorum sacerdotum[1], hunc servum Dei[2], cujus anima prostrata est coram altari Dei veri et ad Deum coeli respicit, dum exspectat donum gratiae ipsius, vocat et promovet ipsum ex gradu presbyterorum ad gradum periodeutarum ad altare sanctum sancti Domini N. oppidi N. Oremus igitur omnes diligenter pro eo, ut Spiritus Sancti inhabitatio super eum veniat, et clamemus pro eo tribus vicibus: Dona ei, Domine.

Diaconus: In pace Domino supplicemus.

Episcopus manum suam tremulam movet super caput ejus et inclinatur[3].

Eja, Domine, dignum eum fac vocatione periodeutarum, ut promereatur per tuum erga homines amorem, uti decet nomen tuum sanctum, exhibere tibi servitutem et sacerdotio fungi ad altare tuum sanctum ac invenire misericordiam in conspectu tuo.

Extollit vocem:

Quia Deus misericors es tibique convenit laus, honor et imperium unacum Filio tuo dilectissimo ac Spiritu tuo Sancto. Nunc.

Inclinatur:

Domine[4] Deus fortis, qui posuisti nos in sortem hujus ministerii[5], qui nosti mentes hominum et scrutaris corda ac renes, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum et munda nos ab omni sorde carnis et spiritus: aufer peccata nostra, ut nubem, et ut nebulam iniquitates nostras; reple nos virtute tua et operatione Spiritus tui Sanctissimi; idoneos nos effice, qui simus ministri Testamenti tui Novi, ut possimus, quemadmodum congruit tuo sancto nomini, stare in conspectu tuo ad sacerdotio fungendum et ministrandum tuis divinis sacramentis; neque permittas, nos fieri participes peccatorum alienorum, verum et nostra dele et concede nobis, Domine, ut nihil faciamus inordinate, sed da nobis scientiam ad eligendum eos, qui digni sunt, ut tibi offerantur.

Et extollit vocem:

Suscipe etiam periodeutam et perfice servum tuum hunc, qui hic praesens adest et exspectat donum tuum coeleste, quia suavis es et multum misericors erga omnes, qui invocant te, et fortis est potestas tua et unigeniti Filii tui ac Spiritus tui Sanctissimi. Nunc.

Et ponit manum suam super mysteria et super caput ejus ac dicit: Pax vobiscum. *Populus:* Et cum spiritu tuo.

Episcopus dicit:

Domine Deus vive et fortis, sancte, cujus clementia in sanctis perficitur et sublimitas in humilibus dignoscitur et in justis virtus apparet ac divinitas in sacerdotibus manifestatur; pontifex summe, qui Moysi

---

[1] R episcoporum. — [2] R add. N. — [3] R Episcopus secreto; desunt reliqua. — [4] R deest Domine. — [5] R hanc inclinationem per prima verba tantum indicat et ad ordinationem subdiaconi remittit, subjungit autem elevationem vocis, ut est infra.

dixisti: Aaron ejusque filii erunt mihi sacerdotes, nullius rei indigus, qui[1] eidem potestatem dedisti, ut eos sanctificaret, quo offerrent tibi oblationes Israelis: splendide ac terribilis, cujus voluntati placuit, ut usque ad Apostolos sanctos deduceretur sacerdotium et sacramentum majestatis[2] tuae tremendae, cujus vim sustinere nequeunt creaturae; et te demisisti ac sanctis Apostolis tradidisti eosque docuisti, ut offerrent et eligerent tibi sacerdotes, qui facerent tuam voluntatem: nunc itaque rogamus te in hoc instanti, ut adveniat dextera tua per inhabitationem Spiritus tui Sancti et per potestatem infallibilem, quae a te est, reveletur super servum tuum hunc N., super quem tua dextra cum nostra dextra imponitur, ut ascendat e gradu presbyterorum ad gradum periodeutarum ad altare[3] sancti Domini N. oppidi N., et fac illum, Domine, dispensatorem mysteriorum tuorum sanctorum et vivificantium; et exaltetur divinitas tua per ejus humilitatem, ipsius autem ministerium tuae voluntati sit acceptum et placetur Dominatio tua per ejus sacerdotium, atque per sanctitatem morum ejus gratia tua honorificetur. Et tu, Domine, praesta illi per tuum illapsum super eum, ut veluti custos aerarii praeclarus et magister domus fidelis sit diligenti animatus cura, quae gregis ipsius vitam liberet a cruciatu peccati et praesit gregi, qui ipsi commissus est a te, ut per puritatem ab iniquitate remotam et per sanctitatem a sordibus delictorum odibilium alienam sacerdotio fungatur et consecret[4] super altare[5], quod hic est et supernum in coelo.

Convertitur ad altare et dicit:

Per gratiam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quocum tibi convenit gloria et honor.

Diaconus[6] praedicat Jacobiticum:

Stemus omnes in oratione coram Deo et petamus ab eo clementiam et misericordiam ac remissionem debitorum.

Ipse per miserationes suas suscipiat a nobis etiam ministerium nostrum et aperiat ostium suum, ac orationes nostrae introeant in conspectu ipsius.

Credidit oves suas Simoni Cephae, qui diligebat ipsum; et quia vidit, quod diligebat ipsum, pastorem illum constituit.

Interrogabat eum, si diligeret ipsum, pasceret agnos ipsius, et quia novit, quod multum diligeret ipsum, multum dedit illi.

Agnos, oves et hoedos in manus ejus tradidit, quia existimavit, verum esse illius amorem erga proprium gregem.

Ipse antiquis dedit pontificatum et primatum et ipse novissimis dedit sacerdotium, quod facit virtutes.

Ipse dedit thuribulum Aaroni et Eleazaro ac manus impositionem Simoni Cephae et Joanni.

Erga ipsum sacerdotio fungebatur Melchisedech celeberrimus, ac ad ipsum ascendebant omnia sacrificia filiorum Levi.

Ipsum praesignavit Moyses in sanguine sacrificiorum suorum mystice, et sacerdotes in vino miscent sanguinem ejus populo fideli.

---

[1] R et ne quid deesset; deest qui. — [2] R cultus. — [3] R add. hoc sanctum. — [4] R deest et consecret. — [5] R add. sanctum. — [6] R Archidiaconus.

Apostoli omnes cum illo Cepha principe discipulorum acceperunt Ecclesiam a Domino pastorum.

Propitius esto, Deus, gregi tuo, qui te deprecatur et ter voces laudis attollit nomini tuo [1].

Pastor orat:

Deus, qui a saeculo primitiis et oblationibus placatur et a plasmate manuum suarum illas suscipit; a quo ab initio divina haec gratia et coeleste donum capiti figmenti nostri [2] data fuit; qui sacrificium acceptum [3] et primum de manibus Abelis suscepit; qui ex animantibus et volatilibus, quae in medio arcae erant, de manibus Noe suscepit; qui ab Abrahamo dilecto suo oblationes per Isaacum suscepit; qui per panem et vinum, quae obtulit Melchisedech, super Golgatham induit ejus similitudinem et suscepit ac figuravit mysterium corporis sui ac sanguinis vivi et sancti; qui per humilitatem Moysis principis prophetarum electi ipsius faciem splendidam instar solis reddidit, eique virgam divinam dedit, per quam prodigia fecit et in monte Sinai mandata accepit, deditque sacerdotium Aaroni sacerdoti ejusque filiis, ut oblationes offerrent Israelis; qui per zelum Phinees sacerdotis mortem peccati avertit et Israelem expiavit; qui per sacrificium Eliae pontifices peccati perdidit; qui ossibus per Elisaei prophetae dispensationem donum vitae concessit et per ejus potestatem mortui resurrectionem fecit [4]; qui dedit potestatem Apostolis suis sanctis, ut aegrotos sanarent et virtutem inimici expellerent et serpentes scorpionesque conculcarent, quin ipsis quidquam noceret: nunc itaque, Domine, Dominus prophetarum et Apostolorum, petimus a te tuamque obsecramus misericordiam, ut per orationes ac supplicationes illorum concedas huic servo tuo N. inhabitationem Spiritus tui Sancti, et elevetur ex gradu presbyterorum ad gradum periodeutarum et sit tibi magister domus fidelis et mysteria tua divina sine macula administret ac sancto tuo altari sine reatu ministerium exhibeat atque sine culpa regat Ecclesiam tuam [5] et sacerdotes, qui ipsi subsunt, et advenas suscipiat, infirmos visitet, viduas sustentet ac dexteram suam porrigat omni auxilium ab eo petenti instar Abrahami justi [6] et Jobi sancti [7], nec portam suam in faciem cujusvis occludat, altaria figat et baptisteria, et gubernet gregem suum in aequitate atque recte converseur in dispensatione domus tuae cunctis diebus vitae suae.

Et conversus ad altare dicit:

Per gratiam tuam et per insignem amorem unigeniti Filii tui ac Spiritus tui vivi et Sancti. Nunc.

---

[1] M pro hac proclamatione habet hoc Ephremiticum: Stemus omnes in oratione et oremus eum: cum singultu, cum dilectione et fide inclamamus nomen tuum sanctum. Rogemus verum istum pastorem, qui per crucem suam redemit Ecclesiam suam et in ea constituit novem ordines sacerdotii, qui inserviant ei. Pro redemptione animarum nostrarum, et pro salute, et auxilio bono servi tui qui hic stat exspectans auxilium gratiae tuae. Pro eo, quem Ecclesia elegit, et grex tuus obtulit, ut sit in Ecclesia tua magister domus, ut Moses, et Aaron sacerdos. Parce nobis amator hominum, et perfice nobiscum gratiam tuam, et in corde istius servi tui, quem vocasti, gratia tua inhabitet, oremus, et precemur. — [2] R primo homini. — [3] R antiquum. — [4] R qui ossa Elisaei prophetae per dispensationem vitae donum et potestatem resurrectionis mortuorum habere demonstravit. — [5] R add. sanctam. — [6] R pii. — [7] R justi.

Diaconus praedicat Ephremiticam:

Stemus omnes in oratione et offeramus supplicationem illi pro servo ipsius isto, quem elegit, ut in fide ad te clamet.

Per te, Domine, veniat ad perfectionem et concedatur illi spiritualis [1] ac sacerdotalis impositio manus, o dator mystice [2].

In medio Ecclesiae tuae sacerdos sit et sanctitas ejus impleatur [3], et ex altari propitiationis [4] ipse obtineat etiam perfectionem [5].

Eja, Domine, suscipe illum in numerum vigilum [6]; ordina eum et extolle atque confirma [7] et super gradum proprium etiam ipsum eleva [8],

Parce nobis, hominum amator, et delicta omnium nostrum dimitte, et nomini quoque tuo confitebimur vocibus puris et suspirabundis [9].

Pastor orat: [10]

Deus clemens et propitiator, qui audis gemitum vincti et solvis filios ex morte, audi itaque propter tuas miserationes orationes ac supplicationes servorum tuorum, et suscipe fructus labiorum nostrorum ac benedicito operi manuum nostrarum peccatricium et suscipe per miserationes tuas praedicationem servi tui et adoratoris tui diaconi tui sancti altaris, qui praedicavit de chirotonia hac servi [11] tui N. et propitius esto, Domine Deus noster [12], animabus nostris et fidelium nostrorum defunctorum, Domine noster et Deus noster.

Et inclinatur:

Respice in nos, Domine Deus, in hac hora et aspice [13] in consistentiam nostram coram te, atque complaceat tibi in nobis et suscipe ministerium animarum nostrarum ac benedic operi manuum nostrarum et demitte benedictiones tuas coelestes super hunc servum tuum N. Et placeat tibi chirotonia ista, quae facta est super eum hodie a manibus servorum tuorum peccatorum per tuum signaculum sanctum, et adimple eum [14] gratia tua, ut mereatur per donum hoc magnum stare coram te pure et [15] sine macula et sine reprehensione atque sacerdotio fungi erga te corde mundo, et obtineat miserationes et clementiam per gratiam tuam cum omnibus sanctis, qui a saeculo placuerunt tibi.

Extollit vocem suam:

Quoniam tu vis misericordiam tibique convenit gloria, honor et adoratio ac Patri tuo tuoque Spiritui Sancto. Nunc.

Et erigit eum e terra et super pectus ipsius evangelium portandum tradit, ac ducunt eum duo periodeutae per orarium [16] per ecclesiam circumeuntes et in baptisterium ingredientes ac dicentes cantus convenientes [17].

---

[1] M Spiritusque tuus descendat in vitam ejus. — [2] M et impositione manuum perficiatur sacerdotium, quod ei datum est. — [3] M et habitabit in eo sanctitas tua. — [4] M sancto. — [5] M propitiationem; add. in filios Adam. — [6] M ut sit e numero electorum tuorum. — [7] M deest ordina . . . . . confirma. — [8] M et ex ordine presbyteratus in gradum excelsiorem extollatur. — [9] M pro illis et nomini tuo etc. habet: tres laudis voces offeramus Trinitati. — [10] M add. et insufflat in faciem ejus de Spiritu Sancto. — [11] R hujus adoratoris. — [12] R deest Deus noster. — [13] R deest: et aspice. — [14] R eamque perfice. — [15] R deest pure et. — [16] R oraria. — [17] M Postea circumducunt eum per ecclesiam, dum hymnos dicunt convenientes et canticum, laus huic pastori. Laus huic pastori, qui decoravit gregem suum sacerdotibus, et episcopis et altaribus et oblationibus. Laudate Dominum in

Tonus parvus:

Convivium magnum et sublime fecit sponsus coelestis Ecclesiae sanctae fideli et invitavit ac vocavit omnes populos, ut venirent ac laetarentur in convivio, quod paravit sponsus suae sponsae Ecclesiae, quam desponsavit per propriam crucem. Duodecim scribas in ea collocavit et septuaginta duos lectores et in medio ejus illos constituit, ut ministrarent suae Deitati diebus et noctibus. Alleluja. Parce, Deus, congregationi nostrae, quae te deprecatur.

Cum perveniunt ad baptisterium, illud oleo chrismatis signat suo digito[1] *et regreditur. Ubi vero pervenit ad altare, adorat et benedicitur. Episcopus orat:*

Potestate Verbi[2] tui vivificantis omnia, Domine Deus, praesta huic servo tuo, quem elegisti et promovisti ad hunc praestantem periodeutarum gradum, et da illi, Domine, aperire os suum cum tui scientia et adstare in conspectu tuo tibique sancte ac prudenter ministrare atque omnem voluntatem tuam facere et adimplere in ecclesiis sanctis, in illis baptisteria obsignando, altaria constituendo et eadem ungendo oleo odorifero in commemoratione diei passionis Salvatoris nostri, per quem tibi gloria et Spiritui tuo Sancto[3].

Et aufert ab eo evangelium illique portandum tradit cornu chrismatis, et circumducunt eum in ecclesia dicentes tono solitario:

Christe custodi Ecclesiam tuam, *seu tono parvo:*

Suffitus aromatum sit, Domine, ad tui placationem et ad nostram expiationem et ad commemorationem Genitricis tuae in terra et sursum in coelo atque ad commemorationem sanctorum, qui te dilexerunt ac tua mandata servarunt, et ad commemorationem defunctorum, qui obdormierunt in recta fide; nobis autem propitiationem et veniam concede de tuo thesauro. Alleluja. Suscipe thus nostrum et orationem nostram.

Et ingrediuntur baptisterium, illudque obsignat manu propria[4], *et redeunt ad altare, et ter*[5] *adorat ac benedictionem accipit. Episcopus autem orat, ut supra:* Potestate Verbi tui *etc., et dat illi cornu chrismatis, et aliam processionem instituunt dicentes:*[6] Sanctus es, hominum amator.

Sanctus es, Deus, qui proprium Filium misisti, et desponsavit sibi Ecclesiam sanctam, in qua circumferetur. Sanctus es, fortis, per quem conversus est hic tuus grex ab idolis vanis. Sanctus es, immortalis, qui propria morte Ecclesiam redemit de manu mortis crudelis. Qui crucifixus es, Salvator noster, super Golgatham et Ecclesia tua per tuum sanguinem ab errore redempta est, et ecce hodie filii ejus tua cruce salvati a malo ejusque virtutibus, qui pugnat cum ipsis, circumferunt corpus tuum ac tuum sanguinem pretiosum ipsumque accipiunt et per ipsum expiationem debitorum obtinent et clamant: Benedictus, qui sanctam Ecclesiam desponsavit eamque sponsam gloriosam effecit et proprio

---

sanctitate ejus, qui ornavit gregem suum. Laudate eum in firmamento virtutis suae cum sacerdotibus et episcopis. Propitiare Domine secundum misericordiam tuam peccatis gregis tui, et parce defectibus ejus, qui adorat crucem tuam. Reliqua desunt usque ad lectionem Apostoli. — [1] R deest suo digito. — [2] R a Verbo. — [3] R quia tibi debetur gloria cum eo et Spiritu tuo Sancto. — [4] R ex chrismate cum pollice. — [5] R deest ter. — [6] R hic ponit: Christe custodi Ecclesiam tuam etc.

sanguine eamdem obsignavit; et ecce offert ei munera grata et amabilia atque psallit gloriam ipsa cum filiis suis usque in saeculum.

Et dum pervenit ad baptisterium ipsum manu sua[1] *signat et redit ad altare ac ter adorat et benedictionem accipit. Episcopus orat:* Potestate Verbi tui etc. *Tum ab illo vas chrismatis accipit et dat ei crucem, ac prosequuntur dicentes tonum solitarium.*

Beata es, Ecclesia fidelis, sponsa Filii; Moyses enim vidit typum tuum super montem Sinai, te autem vidit auro purissimo ac terso ornatam et habitum tuum ornamentis picturarum resplendentem et stolam tuam flamma coruscantem. Commotus est, quia vidit tuam pulchritudinem, adeo enim desiderabilis fuisti; et descendit fecitque ad tui similitudinem tabernaculum temporis filiis Israel, qui sacrificia in eo obtulerunt. Hodie vero descendit Spiritus Sanctus ad altaria tua, et filii tui clamabunt laeti ad sponsum tuum. Domine tibi gloria.

Et cum venit ad baptisterium, illud cruce obsignat, et redeunt ad altare, atque adorat[2] *benedictionemque accipit. Episcopus orat:* Potestate Verbi tui *etc. Diaconus proclamat:* Argentum electum.

Benedictus est Christus, qui te desponsavit, Ecclesia, per sui crucifixionem et statuit ac posuit in te altare sanctitatis. Fregit in te corpus suum ac sanguinem vivum ad propitiationem delictorum, ut per ipsum resplendeas instar vigilum. Gloriae purae cum laudationibus et omnibus canticis tibi offerantur in ecclesiis tuis, Domine noster.

Paulus Apostolus ex epistola ad Hebraeos, num. 135:

Fratres mei, quoniam habemus pontificem magnum Jesum Christum Filium Dei, qui ascendit in coelum *etc. usque:* Et factus est omnibus illis, qui ipsi obaudiunt, causa vitae aeternae[3]. Et ipsi.

Laudatio: Sacerdotes tui induantur justitiam et justi tui gloriam. *Alleluja.*

Pastor legit evangelium ex Matth., num. 23:

Et praecepit Jesus discipulis suis ac dixit: In viam gentium non abieritis *etc. usque:* Neque virgam; dignus est enim operarius mercede sua; et gloriam attollimus Patri ac Filio.

Ordinatus abluat manus suas. Diaconus praedicat:[4]

---

[1] R pollice. — [2] R add. ter. — [3] Apud M, qui in extenso habet, finis est in illis verbis: ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. (Hebr. 4, 14 — 5, 1.) — [4] M praemittit litaniae insequenti hanc partem: Christe Deus omnium. Tu ille es, qui elegit sibi in medio Ecclesiae sanctae sacerdotes castos, illustres, et veraces, ut in puritate, et munditia sacerdotio fungantur et unanimiter cum coetibus laudatis Seraphim excelsorum amore commoveantur. Oremus Christe Deus omnium. Tu es ille, qui est cognitor absconditorum et scrutator cordium et renum, qui elegit et obtulit hodie hunc servum suum N. metropolitae; et vocavit, et obtulit eum huic gradui excelso sacerdotii, ut Aaronem, et Ithamar et Eleazar et Phinees. Supplicemus Christe Deus omnium. Tu es ille, qui a Cherubim benedicitur, a Seraphim sanctificatur, ab angelis laudatur, et a spiritualibus celebratur, et ab ignitis exaltatur et glorificatur. Oremus Christe Deus omnium. Tu es ille, in cujus conspectu adstant millia millium et sub cujus curru myriades myriadum Seraphim curvantur et tremunt ministerio suo erga majestatem ejus fungentes. Qui constituit sibi in Ecclesia sancta sacerdotes, et rectores de genere terrenorum, ut omni tempore mundo praedicent evangelium suum. Supplicemus Christe Deus omnium. Verbo tuo vivifico et gratia tua divina jussi sunt sacerdotes veri, ut serio, et diligenter invigilarent, et assidui essent atque parati ad hoc ministerium, ad quod electi sunt et oblati.

Christe Deus omnium nostrum, pro pace et concordia totius mundi fidelis et pro custodia ecclesiarum et monasteriorum et praeclara consistentia pastorum et pro eo, ut auferat Dominus Deus a terra et habitatoribus ejus omnes plagas et virgas furoris, et pro defunctis, qui ex aqua et Spiritu regenerati fuere atque cum recta fide ad te migraverunt, et pro populo isto, qui in nomine tuo sancto convenit nobiscum, adoramus[1].

Christe[2], praesta, ut conscientia pura a sordibus et ardore charitatis tuae assidui simus in cultu tuae sanctae vineae, et cum sanctis tuis venerandis tibi obviam occurramus in altero tuo adventu et clamemus ac dicamus omnes:[3] Deprecamur.

Christe[4], propitius esto et miserere omnium nostrum per tuam clementiam ac misericordiam et pasce ac rege nos secundum tuas miserationes atque perfice consistentiam nostram coram te ac suscipe supplicationes precesque nostras, quas fundimus pro isto periodeuta N., et placeat tibi impositio haec manus, quam hodie accepit, et una voce trina clamemus ac dicamus: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus orat:

Christe Deus noster, qui per tuas miserationes audis angustiam pauperis vincti et solvis filios a morte, exaudi misericors orationem servorum tuorum, qui devincti sunt amore perfecto ac fide tua, retribue eis pro terrenis coelestia et suscipe benignus praedicationem servi tui diaconi altaris tui, et per tuam misericordiam propitius esto peccatis gregis tui, qui adorat crucem tuam et confitetur Trinitatem[5], Pater et Fili.

Et sedere illum facit super gradum medium sedis et erigit illum ter *).

Ad laudem et honorem ac decus Trinitatis sanctae, Patris et Filii ac Spiritus Sancti, et ad aedificationem Ecclesiae sanctae collocamus hunc servum tuum super sedem sacerdotii ecclesiae sanctae sancti Domini N, oppidi benedicti N., cujus districtus presbyteri ac diaconi sunt subditi potestati periodeutici gradus, in nomine Patris †[6] et Filii †[7] et Spiritus Sancti † in saecula. Amen.

Et dicunt: Aequum et justum est ac salutare[8].

Pastor conversus ad altare dicit:

Demitte, Domine, super hunc tuum servum gratiam divinam et perfice cum eo donum coeleste illumque tibi effice sacerdotem verum et magistrum domus fidelem. Nunc.

---

[1] M oremus. — [2] M add. Deus omnium, quod sane indicatur in Syriaco per abbreviatum nomen Christi. — [3] M deest omnes. — [4] M add. Deus omnium. — [5] R add. tuam sanctam. — [6] R add. Amen. — [7] R. add. Amen. — [8] R add. Et pax.

*) Rubrica arabica inserta in textu declarat, hanc erectionem et elevationem faciendam esse a subditis ipsius ordinati.

Et dat illi baculum seu pedum pastorale in dextera ejus dicens:

Dominus, qui dedit Moysi prophetae sacerdotium, prophetiam, castitatem et humilitatem, eique virgam dedit in manu ipsius, quae esset signum prodigii, itemque ipsi praecepit, ut per virgam domui Israelis salutem procuraret; et per virgam Israelitas[1] a servitute Aegyptiorum liberavit et per virgam Pharaonem devicit et filios Israelis eduxit et per virgam fortitudinis pavit filios Jacobi: modo etiam, Domine noster[2] clemens et misericordia plene, benedic huic servo tuo per hunc baculum, quem accepit, ut ipsi signum esset pacis et pignus justitiae. Nunc.

*Hic erigit eum et ducit illum ad portam altaris illique tradit gregem suum et omnes[3] et diaconos subjicit ei et ecclesiam et omnia mysteria *) et admonet eum dicens:*

En trado in manus tuas, periodeuta[4], ecclesiam Dei Domini N. et gregem Christi unacum omnibus sacerdotibus ejus, ministris et antistitibus[5] et omnes filios ejus tuae subjicio potestati; ecce enim in nomine ipsorum perfectus es[6] et per voluntatem Dei et illorum electus es[7]; tu itaque illis et illi tibi sunt. Liga et solve, praecipe et constitue in justitia neque audeas quidpiam efficere, quod aequitatem praetergrediatur, quia non posuit te Deus in contritionem sed ad alligationem et conversionem peccatorum ad poenitentiam. Solve itaque, dimitte et propitius esto, ama et mulce pios, reos autem damna, oppressos adjuva, oppressores vero judica, neque in faciem cujusque respicias, viduas adjuva, aegrotos visita, consule pauperibus et omnibus te postulantibus postulata concede; cave a superbia et ab inani gloria et a fraude, a mendacio, a maledictionibus et imprecationibus; elige autem tibi humilitatem cum longanimitate; haec enim omnia te exaltant et honorabilem reddunt apud Deum vivum et ad dexteram Dei te statuent. Nos vero, fratres nostri, perfecimus vobis periodeutam istum per electionem Ecclesiae sanctae Dei et omnium filiorum ejus, ut pascat et regat et portet onus omnium infirmorum et peccatorum, qui inclinaverunt colla sua coram nobis[8]. Dextera igitur Dei ipsa vos custodiat et regat die ac nocte[9] in hoc saeculo et in futuro per orationes Genitricis Dei Mariae et omnium sanctorum. *Amen.*

Et conversus ad altare dicit:

Gratias agimus tibi, Domine noster Jesu Christe omnipotens et omnia gubernans, propter multitudinem misericordiae tuae, quam erga nos fecisti visitando infirmitatem nostram, opem ferendo paupertati nostrae, nos errantes revocando, dispersos colligendo et in nobis tuae sanctitatis habitaculum statuendo et dominationi tuae nos reconciliando. Adoramus

---

[1] R illos. — [2] R Jesu. — [3] R add. sacerdotes, quod apud A. deest in textu Syriaco, sed est in expositione Arabica. — [4] R add. N. — [5] R diaconis et ministris. — [6] R. electus es. — [7] R deest electus es. — [8] R te. — [9] R add. et omni tempore.

*) Arabica expositio ita habet: Illum erigit e sede et deducit ad portam altaris magnam, eique tradit suum gregem et subdit illi omnes sacerdotes et ministros, qui in ipso sunt, potestatemque ei facit, ut ecclesiam ejusque sacramenta administret.

etiam et laudamus sublimem tuam Deitatem atque supplicamus gratiae tuae diviti, ut inhabitet in nobis et in servo tuo isto N. periodeuta, qui per inhabitationem tuam[1] perfectus est. Rogamus etiam te et obsecramus misericordiam tuam, ut demittas super eum donum tuum misericordia plenum et eum efficias, qui sit in domo tua fidelis et altaris tui minister perfectus ac in medio Ecclesiae tuae integer dispensator, et dignos nos redde per aeternas[2] tuas miserationes, qui stemus in conspectu tuo cunctis diebus vitae nostrae sine ullo reatu, praeclaris moribus et bonis operibus, et obtineamus fiduciam, ut confiteamur Patri tuo et oremus ac dicamus:[3] Pater noster, qui es in coelis.

Populus: Sanctificetur[4].

Diaconus: Coram te, Domine Deus[5].

Pastor orat ac dicit:

Domine Deus spirituum et universae carnis, qui sedes super thronum splendidum regni tui in coelis coelorum altissimis et profundos abyssos intueris, convertere ad servos tuos humiles et peccatores, qui inclinaverunt colla sua coram te, et benedic eos dextera tua plena omnibus benedictionibus et custodi eos virtute tua inexpugnabili, et ne nos inducas in tentationes, sed libera nos a Satana et ab omnibus fraudibus ejus et laqueis ejus et malis[6], quia tuum est regnum et virtus et laus in coelo et in terra. Pater.

Archidiaconus: Ipsi Deo gloria.

Episcopus orat:

Domine Deus noster, miserationibus tuis multis exaudi orationes nostras et suscipe officia nostra et annue petitionibus nostris et exaudi infirmitatem nostram et dimitte nobis et omnibus defunctis nostris fidelibus in Christo. Pater.

Et dicit: Pax vobiscum.

Populus: Et cum.

Pastor signat) ad occidentem ac dicit:*

Pater bone et Domine misericors, cujus miserationes expansae sunt super omnes eos, qui in fide et charitate te invocant, expande ob clementiam tuam miserationes tuas super hunc populum, qui in sancto tuo nomine congregatus est, et protege nos dextera tua potenti et brachio tuo excelso a malitia inimicorum et a fraudibus adversarii et a desolatione[7] et captivitate et fame et peste et ab omnibus correptionibus malis, et tribue nobis gratia tua pacem et tranquillitatem et sanitatem[8] cunctis diebus vitae nostrae[9], atque requiem da fidelibus nostris defunctis et animas eorum fac inhabitare mansiones lucis in locis quietis, quae sunt in superna Hierusalem, unacum omnibus illis, qui placuerunt tuae voluntati, et dignos fac nos servos tuos, qui portavimus jugum tuum

[1] R Spiritus tui Sancti. — [2] R deest aeternas. — [3] R add. Populus. — [4] R deest Populus: Sanctificetur. — [5] R deest Deus; add. capita nostra inclinamus. Populus: Coram te Domine Deus. M Archidiaconus, coram Domino capita inclinemus. Populus. Coram te Domine Deus. — [6] R nequitiis ejus. — [7] R gladio. — [8] R deest et sanitatem. — [9] R ut omnibus diebus vitae nostrae fruamur temporibus tranquillis et jucundis.

*) Hoc est, dicit orationem ultimam, quae est benedictio.

suave et conscripti fuimus tibi servi et super quos nomen tuum sanctum invocatum est, ut stemus coram te juste ac pie cunctis diebus vitae nostrae sine reatu ac sine culpa et ministremus altari tuo sancto pure et sancte et operemur atque lucremur[1] et negotiemur super talentum, quod accepimus a te, in multis duplicibus et in die tremenda adventus tui procedamus obviam tibi in laetitia, portantes lucra operum bonorum et ingrediamur tecum ad thalamum tuum atque attollamus gloriam confessionemque nomini excelso Trinitatis laudabilis in saecula. *Amen.*

Item chirotonia, qua perficitur Churojo, qui est cum episcopo).*

Quoniam sic definiverunt Apostoli in canone, ut sit churojo unus cum episcopo et unus archidiaconus ad nomen Trinitatis sanctae et propterea chorepiscopus vocatus est[2].

Primum[3] *ingrediuntur in Bethgaza ac stant coram altari parvo in Bethgaza, super quod disposita sint corpus et sanguis ac cornu chrismatis et crux. Ille vero, qui electus fuerit, stat ad occidentale latus Bethgazae amictus indumentis presbyterorum. Intrat autem episcopus indutus ordine suo, et omnes sacerdotes ac diaconi proprii ordinis sacris parati vestibus ingrediuntur et unacum eo stant in Bethgaza. Tunc pastor inchoat orationem principii:*[4]

Dignos effice nos, Christe Deus, ministerio hoc mystico, ut sacerdotale hoc exercitium perficiamus et abundantia tuorum charismatum coelestium et divinorum repleamur tibique attollamus.

Et dicunt responsorium:

Miserere mei *ex primo ordine.*

Archidiaconus: Stemus recte. *Episcopus:* Prooemium[5]. *Diaconus*: Ego, ego[6]. *Episcopus:* Acceptationem[7].

Archidiaconus praedicat ex ordine periodeutarum[8].

---

[1] R deest atque lucremur. — [2] R deest canon. — [3] R deest Primum, et rubrica ita incipit: Is, quem eligit Spiritus Sanctus per suffragia ecclesiasticorum et laicorum, veniet, tum pulsabuntur campanae et. — [4] R addit: Praesta nobis Domine Deus amator hominum, ut stemus coram te cum puritate; ut ministremus tibi cum dignitate, inveniamusque misericordiam coram te et referamus laudem Trinitati gloriosae Patri etc. Et dicunt: Laus Deo. Episcopus. — [5] R Episcopus imponit aromata et dicit orationem sequentem prooemii: Ante omnia et post omnia etc. (vide infra in ordinatione episcopi). Sedra: Domine Deus omnipotens, magnum nomen etc. (ibidem). — [6] R Dicitur versus: Ego sum lux vera, tono primo, — [7] R Tum dicitur oratio incensi: Suscipe Domine etc. (ut infra in ordinatione episcopi). M loco omnium, quae inde ab initio hucusque fuerunt, haec tantum breviter habet: Episcopus primum incipit et prosequuntur. Laus Deo. Sequitur versus in primo ordine notatus. Archidiaconus thus offert et dicit: Benedic Domine. Stemus pulchre in oratione. Et reliqua. Episcopus postea precatur, diciturque versus et oratio suffitus. — [8] R deest ex ordine periodeutarum. M ita pergit: Archidiaconus autem inclamat. Benedic Domine. Iterum, atque iterum continuo, et omni tempore Domino supplicemus: Domine pro securitate superna, vitaque et redemptione animarum nostrarum;

*) Apud R. et M. non fit distinctio chorepiscoporum in titulo, neque est nisi unus ritus ordinationis chorepiscoporum, qui cum illo consonat, qui hic ponitur pro chorepiscopis, qui sunt cum episcopo. Unde ab Aldoensi introductum videtur ritus ordinationis discrimen vel certe Syrius introductum.

Episcopus orat:

Gloria tibi, bone exauditor et medice sapiens, Domine noster Jesu Christe, qui audis ex omni loco et auscultas ex omnibus creaturis [1], audi praeconium servi tui diaconi altaris tui, qui praedicavit [2], et propitius esto populo tuo atque gregis tui ovibus. Pater.

Et dicunt psalm. 23:

Dominus pascet me [3] et nihil mihi deerit. Alleluja.

Et super prata fortitudinis collocabit me, et super aquas quietas ducet me. Alleluja.

Animam meam convertit et deduxit me per semitas veritatis propter nomen tuum, etsi ambulavero in vallibus umbrae mortis. Alleluja.

Non timebo malum, quia tu mecum es; virga tua et baculus tuus me consolabuntur. Alleluja.

Disposuisti coram me mensam adversus inimicos meos; oleo caput meum unxisti, et calix tuus inebriat ut vivus. Alleluja.

Gratia tua et misericordia tua praevenerunt me cunctis diebus vitae meae. Alleluja.

Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.

Et psalm. 83:

Quam dilecta [4] sunt tabernacula tua, Domine fortis. Alleluja.

Exspectavit anima mea et desideravit atria Domini. Cor meum et caro mea laudaverunt Deum vivum. Alleluja.

Passer quoque invenit sibi domum et turtur nidum; creverunt pulli ad latus altaris tui, Domine fortis. Alleluja.

Rex meus et Deus meus, beati, qui habitant in domo tua; laudabunt te in saeculum. Alleluja.

Beatitudo homini, cujus adjutor tu es et in cujus corde semitae tuae. Alleluja.

Transierunt per profundum fletus et fecerunt illud locum habitaculi. Benedictionem etiam induetur ponens legem. Alleluja.

Ibunt de virtute ad virtutem; et videbitur Deus deorum in Sion. Alleluja.

---

et corporum, Domino supplicemus. Pro patre nostro sancto et a Deo electo; et in Christo rectore nostro, Domino N. episcopo nostro, et pro stabilitate prosperi sui status cujuslibet, atque opere manuum suarum Domino supplicemus: Domine pro redemptione et auxilio et adjumento et corroboratione servi tui istius N. qui huc accedit et impositionem manus divinae accipit. Da ei Domine. Oremus, precemur, et supplicemus nos omnes cum diligentia amatorem hominum Dominum Deum, ut suscipiat eum sine macula et reprehensione, detque illi gradum decorum sacerdotii per inhabitationem Spiritus Sancti. Omnes pro eo oremus: Sanctam et laudatam et immaculatam Dominam nostram beatam omni tempore Mariam Genitricem Dei commemorantes et Joannem nuntium primum veritatis, et Stephanum caput martyrum et primum diaconorum, et prophetas veraces et Apostolos divinos, et martyres victoria vestitos, et triumphantes, ut Dominus Deus illustribus eorum precibus et orationibus sanctis omnes nos gratia afficiat et conservet et venia donet. Domino supplicemus. Omnes nos Domine, et pro nobis omnibus, et propter nos omnes, et pro servo tuo N., qui accedit expectans donum tuum, te Domine Deus rogamus, oramus et clamamus dicimusque tribus vicibus, Kyrie eleison. — [1] R ex quacunque parte. — [2] R add. de (N.). — [3] R desunt reliqua hujus psalmi. — [4] R desunt reliqua psalmi.

Domine Deus fortis, exaudi orationem meam et auribus percipe, Deus. Alleluja.

Et vide, tu Deus adjutor noster, ac respice in faciem Christi tui. Alleluja.

Quia bonus est unus dies in atrio tuo prae millibus, volui habitare in domo Dei. Alleluja.

Melius, quam habitare in habitaculo impiorum, quia nutritor et auxiliator noster Dominus Deus est. Alleluja.

Misericordiam et decorem dabit Dominus, et non privabit bonis suis. Alleluja.

Eos, qui ambulant in simplicitate, Domine Deus fortis. Alleluja.

Beatus homo, qui in te sperat.

Et dicunt:

Sanctus es *et* Credimus.

Archidiaconus dicit psalm.: Exalta me [1],

Surge illuminare, quia pervenit lumen tuum, sancta Ecclesia fidelis. Exclamavit Isaias filius Amos ad sponsam, quam desponsavit Filius Regis. Ornentur filii tui in medio tui, sicut Aaron et Eleazar, et sacerdotes et episcopi, sicut Melchisedech pontifex illustris. Armentur in te praesules tui, sicut Petrus et Joannes, et laudent Dominum Deum tuum, sicut Thomas et Philippus [2].

Et legunt ex Isaia propheta et ex prima epistola Petri Apostoli.

Oro autem seniores, qui sunt in vobis, ego senior socius vester *etc. usque:* Et induite diligenter humilitatem mentis ad invicem.

Paulus ex epist. ad Galatas:

Fratres mei, fructus autem spiritus sunt charitas *etc. usque:* Vos, qui in spiritu estis, corrigite eum in spiritu humili.

Antiphona:

Sacerdotes tui induantur justitiam et justi tui gloriam [3].

Evangelium ex Matthaeo [4], *num. 52:*

Et vocavit Jesus discipulos suos et dixit eis: Scitis, quia principes gentium domini eorum sunt *etc. usque:* Sed ministrare, ut ponat animam suam pro salute multorum [5].

Archidiaconus praedicat Ephremiticam:

Stemus omnes in oratione coram illo, qui novit occulta [6], et vocibus ipsi gratis clamemus omnes simul [7].

Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando ac sancto atque a Spiritu Sancto consolatore armaturam, quam induerunt discipuli [8].

Gigas, qui per crucem suam mundum sua redemit [9] benignitate, ipse concedat tibi dona [10], quae placant ipsius divinitatem.

[1] R deest Exalta me. M. post proclamationem praecedentem archidiaconi habet: Postea dicit psalmum, qui scriptus est in ordine archipresbyterorum. — [2] R M deest hic cantus: Surge etc. — [3] M post psalmum ab archidiacono dicendum pergit: Et legit Apostolum in epistola ad Galatas, quae lectio in extenso ponitur, ut indicata est apud A. R Deinde lectiones ex Isaia, Actibus Apostolorum et Paulo. Tum Alleluja. — [4] R Episcopus legit evangelium secundum Matthaeum. M Episcopus legit evangelium. — [5] R add. Hymnus. — [6] M Deo misericorde — [7] M add. ad Dominum. — [8] M pro armaturam etc. habet: ut misericordia sua suscipiat orationem nostram. — [9] M qui bonitate tua mundum misericorditer suscepit. — [10] M mores.

Dominus, qui dedit tibi sacerdotium, et coram quo stas in tremore, per manus tuas tribuat expiationem et pascua[1] ovibus tuis[2].

Ipse autem suscipiat de manibus tuis thymiama purum et sanctum, oblationes item et fidem charitatemque puram ac orationem[3].

Virtus et thuribulum, quae sustulit Aaron sacerdos Levita et avertit angelum mortis ab illo populo pristino.

Concedatur tibi et benedicat te ac avertat iram a regione tua, suscipiat sacrificium tuum, munus quoque tuum, tibique placatus te exaltet.

Propitius esto nobis, hominum amator, et defectus omnium nostrum dimitte et a dura ira libera gregem tuum ab adversario[4].

Pastor dicit:

Da nobis, Domine, audire tuum evangelium, custodire tua mandata et meditari tuas leges cunctis diebus vitae nostrae[5].

Archidiaconus tono simplici:

Ite in pace, auditores[6 *]). Ecclesia respondit ac dixit; thalamum enim paravit mihi sponsus et in ejus medio me constituit: et qui vestibus expiationis non est indutus, non potest ingredi et stare in meis ordinibus; et dispositae sunt turbae filiorum meorum in me splendide: et laete clamant dicentes: Tibi gloria, Domine.

Et egrediuntur in processione, sacerdotes quidem thuribula apprehendentes, diaconi vero flabella et luminaria, episcopus cornu chrismatis, unus ex periodeutis corpus et alter calicem; is porro, qui suscipit impositionem manus, portat duas cruces, unam dextera sua, alteram sinistra, et procedunt praeclaro ordine dicentes solitarios seu cantus congruentes, donec veniant ad altare[7]. *Simplici tono*[8].

Super volam manuum Filii aedificata est Ecclesia et super ordines[9] duodecim Apostolorum electorum[10] posita: et Dominus noster dedit illi virtutem ac potestatem conculcandi omnes religiones erroris: conflavit

---

[1] M et remissionem. — [2] M universo mundo. — [3] M deest charitatem . . . . orationem; add. offeras Deo. — [4] M loco ultimarum trium stropharum has exhibet: Virtutem, quam induerunt levitae, et in qua vicerunt angelum mortis, ipse det tibi ministerium, videlicet quod superat omnia mala. Bonus, qui plenus est benedictionibus, et eas ab hominibus non cohibet, nec iis interdicit, ipse det tibi benedictiones plenas misericordia, et gratia. Splendidus, qui dedit Melchisedech, ut stet coram eo splendide, ipse det tibi potestatem et auctoritatem in ordine, quem hodie accepisti. Tibi obediant levitae, et ad nutum tuum contremiscant, timeatque populus coram te nec dispicentur verbum oris tui. A te magnates (dominationes) accipient leges et praecepta, et in omnes generationes terrae diffundetur fama sacerdotii tui. Parce illi amator hominum, et miserere defectuum omnium nostrum; trinisque vocibus laudes offeramus Trinitati. — [5] R add. Pater, Fili etc. — [6] R desunt reliqua hujus proclamationis. — [7] R reliqua rubricae et cantus desunt et adjungitur rubrica, quae post cantus infra sequitur, hoc modo: ubi deponunt sacra mysteria etc. — [8] Haec rubrica apud M. ita brevior est: Diaconus: Procedite in pace, et egrediuntur cum pompa decente, tenentes thuribulum et diaconi flabella flatque in ejus faciem cum dicunt Pesitam. — [9] M add. laudandos. — [10] M deest electorum. —

*) En monumentum antiquissimae disciplinae, quod hic et in baptismo apud Maronitas remansit, cum apud Jacobitas disparuerit. Qua de re confer, quae a nobis in operis praefatione dicta sunt.

illi arma veritatis, crucem vivam et impressionem[1] chrismatis, cujus virtute sacerdotes sanctificantur. *Alleluja,* item *alleluja.* Domine noster, per tuas miserationes suscipe processionem nostram, audi orationem nostram et miserere nostri, Salvator mundi[2].

Alius[3]*:* Ascendit Moyses ad montem Sinai et vidit ibi habitaculum[4] domus Dei et splendorem ex eo induit; deduxit secum typos et similitudines eorum, quae vidit in illa Ecclesia primogenitorum, et descendit aedificavitque tabernaculum temporis, sicut scriptum est, et sanctificatum est a Deo ac in medio ejus ingressus habitavit. *Alleluja,* item *alleluja.* Domine noster, propter tuas miserationes suscipe processionem nostram, exaudi orationem nostram et miserere nostri, Salvator mundi[5].

Tono duplici[6]*:*

Custodi, Domine noster, per tuam crucem gregem rationalem tuo sanguine redemptum, ut non dominetur ei Satana, osor omnis rectitudinis et pulchritudinis; suscita in eo Domine antistites benedictos et pastores, qui faciant tuam voluntatem, eum ducant et regant in semitas rectas ac decoras[7] eumque pascant super prata fortitudinis vitae verae, ut in iis vivificetur atque oblectetur semper. *Alleluja* et *alleluja.*

Et cum perveniunt ad altare, ponunt super illud mysteria ea, et stat, qui recipit impositionem manus, extra portam altaris, et unusquisque suum tenet ordinem[8]*, ac dicit:* Benedic Domine. *Episcopus illum cruce signat in fronte ter dicens:*

Dominus Deus benedicat te et faciat chorepiscopum[9] super altare sanctum[10] sancti Domini N.[11], in nomine Patris ✝[12] et Filii ✝[13] et Spiritus ✝ Sancti in saeculum. Amen.

Deinde episcopus ascendit ad locum suum, et sacerdotes ac ministri ter in processione ecclesiam circumeunt: noviter ordinatus interim deferat duabus suis manibus duas cruces. Sed advertendum est, quod, si noviter ordinandus prius non susceperit officium periodeutae, primum oportet, ut illo perficiatur et in processione prima chrisma portet eoque obsignet baptisterium; et ubi redit ad episcopum, hic manum illi superimponit et super eum recitat orationem propriam periodeutarum dicens: Potestate Verbi tui *etc. Similiter in secunda processione accipiat crucem unam et circumeat, ac ubi pervenit ad baptisterium, illa cruce baptisterium signat; et cum regreditur ad episcopum, crucem ab illo auferunt, et procidit coram eo, qui repetit super ipsum orationem praedictam:* Potestate. *In tertia autem processione duas cruces illi deferendas tradit et tertio super eum recitat orationem:* Potestate *etc. Et post tertiam processionem ponit manum suam super caput ejus dicens*[14]*:*

Dominus Deus benedicat tibi in nomine suo vivo ac forti[15], Dominus vigilum supernorum et virtutum coelestium, quae stant coram ipso et

---

[1] M (melius) sigillum. — [2] M deest item alleluja et strophe haec integra. — [3] M deest Alius. — [4] M majestatem (syr. idem). — [5] M deest haec strophe. — [6] M deest Tono duplici. — [7] M in semitam fidei. — [8] R add. venit qui electus est, caputque inclinans. — [9] R inter chorepiscopos. — [10] R add. ecclesiae sanctae. — [11] R add. urbis N. — [12] R add. Amen. — [12] R add. Amen. — [14] R deest haec rubrica cum orationibus in ea indicatis, praeponitur tantum orationi sequenti: Episcopus. — [15] R Domine Deus vivus et potens; deest benedicat tibi in nomine suo.

subditae sunt ministerio divinitalis ejus atque assiduae ad ejus laudationem, quaeque trementes et festinantes mittunt perpetuas laudes cum canticis dulcibus et praeclaris theologiae vocibus; dulces autem sunt cynarae eorum et lucidus aspectus ipsarum, omnesque insimul incessabili ac perpetua in gloria[1] exultant. Cum vero tu, Domine[2], per tuas multas miserationes ac per tuam gratiam hoc mysticum ministerium ordinasti, eidem praefecisti Apostolos et praesules in pulchritudine doni super prophetas et omnem mensuram eorum, qui fuerunt ante adventum tuum corporalem, nec obtinuerunt videre hoc ministerium[3], quod concessisti per divinitatem et humanitatem tuam.

Et se inclinat[4]:

Et nunc oramus te, emunda nos a sordibus et abominationibus, et sicut dignos nos fecisti, qui tibi assisteremus et ministerium exhiberemus per haec mysteria sancta ac divina, ita concede nobis adstare in conspectu magnitudinis tuae sine ulla reprehensione, et statue nos ante illud tribunal gloriosum divinitatis tuae.

Et vocem attollit[5]:

Et complaceat tibi in nobis, Domine Deus, qui tibi assistimus ac sancto altari tuo in hoc instanti, et suscipe a nobis peccatoribus hanc chirotoniam servi tui hujus; non enim per impositionem manuum nostrarum solum[6] datur ei sacerdotium, sed per gratiam tuam.

Et inclinat se[7]:

Eja, Domine, supplices te rogamus[8], ut concedas servo tuo huic[9] gratiam Spiritus tui per impositionem manuum, quam accepit a nobis hodie in nomine tuo, universorum Domine; et quidquid peccavimus et ignoranter egimus coram divinitate tua, quae dominatur in coelo etiam[10] et in terra, ipsa, Domine, condonet et dimittat debita et peccata nostra; et dignos nos praesta, Domine, ut nihil agamus per praevaricationem[11], sed tibi placentes exhibeamus tibi servitutem bonam cunctis diebus vitae nostrae.[12]

Et extollit vocem suam:

Quia tu es Deus multarum miserationum, tibique gloriam attollimus et confessionem. Nunc.

Deinde collocat eum super sedem in gradu medio et ei tradit pedum pastorale dicens:

Dominus, qui dedit Moysi prophetae sacerdotium et prophetiam et castitatem et humilitatem deditque ei in manum suam virgam, quae signum esset miraculi, et iterum mandavit illi, ut in virga operaretur salutem filiorum domus Israel, eosque per virgam a servitute Aegyptiorum liberavit, et per virgam vicit Pharaonem eduxitque filios Israel, ac per virgam fortitudinis pavit filios Jacob; modo etiam, Domine noster cle-

---

[1] R gloriam canentes. — [2] R deest Domine. — [3] R hoc ministerium spirituale prophetis, et missis, qui praecesserunt adventum tuum corporalem, abscondisti, qui non consecuti sunt, ut illud viderent. — [4] R deest: Et se inclinat. — [5] R deest: Et vocem attollit. — [6] R deest solum. — [7] R deest: Et inclinat se. — [8] R Omnes igitur oremus et deprecemur pro illo; deest: Eja Domine. — [9] R illi; deest servo tuo. — [10] R deest etiam. — [11] R per errorem committamus. — [12] R add. Pater etc.; desunt reliqua hujus orationis.

mens ac misericordia plene, benedic huic servo tuo per baculum hunc, quem accepit, ut ipsi signum sit tranquillitatis ac pignus justitiae. Nunc[1].

Et imponit ei mitram dicens:

Ad laudem, honorem, decus et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis et ad pacem ac aedificationem sanctae Ecclesiae Dei.[2]

Episcopus orat apertis manibus[3] *et conversus ad altare:*

Deus cognitor omnium donorum bonorum, qui intelligis omnia opera filiorum hominum et intueris omnes vias eorum, qui providentia tua comprehendis illos, qui te indigent: supplices te rogamus, auxiliare huic servo tuo et tribue ei gratiam et diligentiam et vigilantiam et discretionem et virtutem et potentiam, ut tibi placeat in hoc ministerio, quod illi commissum est, et praesta illum dignum, qui sine macula ac pure in eo se gerat ad dirigendum in vias rectas et ad judicandum justa judicia et ad rescindendum ab iis, qui sub manus ejus sunt, omnem inclinationem et impetum irrationalem et insipientiam circa[4] fidem orthodoxam, et concede illi conversationem immaculatam et dispensationem irreprehensibilem, ut omnia faciens ad gloriam tuam, Deus Pater, et ad aedificationem Ecclesiae tuae atque ad incrementum populi tui inveniat gratiam et misericordiam coram te et haereditet partem dispensatorum fidelium et sapientium per miserationes unigeniti Filii tui, per quem et cum quo tibi convenit gloria, honor et imperium una cum Spiritu tuo Sancto.

Et conversus ad populum dicit: Pax vobis. *Populus:* Et cum[5]. *Atque manum suam capiti ejus imponit dicens:*

Concedat tibi Dominus[6] Deus, ut sis hominibus bonum exemplar ad incrementum et bonum ordinem fratrum, et concedat tibi etiam intelligentiam intentam ad corripiendum et erudiendum cum fiducia et moderatione eos, qui errant, atque etiam ad suscipiendum in charitate homines, et eos signes cruce et chrismate puro eosdem facias filios spirituales[7], sintque opera tua cum verecundia et castitate, ita ut omnia perficiens ad gloriam Dei et ad profectum fratrum in timore Dei invenias gratiam et misericordiam ac haeredites partem rectorum[8] fidelium et sapientum et cultorum justitiae et sanctitatis per miserationes Domini Dei nostri, cui gloria, et super nos miserationes ipsius sint in saeculum saeculorum.

Et participem eum faciunt sacrorum mysteriorum vivificorum.

Item chirotonia, qua perficitur chorepiscopus.

Canon: Potestas autem exarcatus et nomen hoc sacerdotii non est gradus, sed mandatum solum, ut praesit sacerdotibus et monachis subjectis episcopo et audiat ea, quae praecipit episcopus; qui si senuerit et non potuerit ambulare in eo (exarcatu scilicet), vel si ei acciderit caecitas aut claudicatio aut quidpiam eorum, quae ipsum ab accessu et recessu impediant, aut insania quaevis parva, removetur, et surgit alius ex omnibus ordinibus Ecclesiae aut ex chorepiscopis aut ex periodeutis, quibus est gradus definitus et oratio et titulus ecclesiae et consignatio baptisterii et in fronte; non removetur autem, nisi insaniam, quam ca-

---

[1] R deest haec inthronizatio et traditio baculi cum formula ad eas pertinente. — [2] R deest impositio mitrae cum formula. — [3] R tono simplici. — [4] R argumenta irrationabilia et indiscreta adversus. — [5] R deest: Et conversus . . . . . . Et cum. — [6] R deest Dominus. — [7] R deest homines . . . . spirituales. — [8] R dispensatorum.

nones ostendunt, quispiam eorum contraxerit et mors ei non acciderit, quemadmodum nec patriarcha nec metropolitanus removentur, nisi ob illud impedimentum, quod in morte advenit.

Primum is, quem elegit Spiritus Sanctus, probetur nitide, eique filii gregis sui dant chirographum et edito signo ingrediuntur in gazophylacium quisque in ordine suo. Et tradit episcopus duas cruces ei, qui accipit impositionem manus; et egrediuntur in pulchro ordine e gazophylacio et circumeunt ecclesiam ac revertuntur ad altare, et quisque gradum suum obtinet; is vero, qui electus est, stat extra portam altaris). Et cum ingressus fuerit episcopus, genua flectet coram eo ac ejus dextram osculatur dicens:* Benedic, Domine. *Signabit autem illum signo crucis tribus vicibus in fronte dicens:*

Dominus Deus benedicat te et faciat te chorepiscopum ad altare sanctum sancti Domini N. oppidi N., in nomine Patris † et Filii † et Spiritus † Sancti in saecula. Amen.

Deinde incipit episcopus ritum, qui similis est ordinationi episcopi; sed oportet, ut unusquisque eorum secundum gradum suum appelletur, hoc est inferior appellatur chorepiscopus et superior episcopus sine errore et confusione in appellatione. Et rubricam ac orationem, quae propriae sunt ordinationis chorepiscopi, describemus hic integras; orationum vero, quae recitantur etiam in ordinatione episcopi, initia tantum indicabimus, integrae autem reperientur in chirotonia episcopi.

Oratio initii. Episcopus inchoat ab oratione ex ordine episcopi, atque dicunt responsorium: Miserere mei.

Diaconus: Stemus recte.

Episcopus dicit prooemium.

Diaconus: Ego, ego.

Episcopus: Acceptationem.

Archidiaconus praedicat.

Episcopus: Domine virtutum.

Et dicunt: Sanctus es Deus, *et:* Credimus.

Episcopus: Gloria Patri et Filio ac Spiritui Sancto, et super nos misericordia et clementia sint. Nunc.

Deinde pergunt duo churojo (archipresbyteri) et ducunt eum, unus quidem a dextra, alter vero a sinistra, et archidiaconus dicit:

Offerimus sanctitati tuae.

Episcopus orat:

Gratia divina et donum coeleste Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore implet defectus nostros et sanat infirmitatem nostram ac alligat vulnera nostra et dimittit reatus nostros curamque gerit omnium filiorum Ecclesiae sanctae Dei, vocat et offert hunc N. servum Christi (qui huc accessit et in timore quidem ac tremore veraque fide animam suam inclinavit ante sanctum altare, oculis autem suae mentis respicit **sursum ad te habitatorem coeli coelorum atque exspectat donum coeleste) a gradu periodeutarum sive archipresbyterorum ad gradum chorepiscoporum super altare sanctum ecclesiae Dei sancti Domini N. oppidi**

***) Idipsum arabice exponitur et in fine subditur rubrica, quam nos arabice latine subjicimus. A.**

N. Oremus itaque omnes, ut adveniat super eum gratia ac donum Spiritus Sancti, et clamemus pro eo ter: Dona ei, Domine.

Archidiaconus: In pace Domino supplicemus.

Episcopus: Eja, Domine Deus, dignum effice etc.

Tum episcopus convertitur ad populum et genu utrumque flectere jubet manumque suam imponit capiti ejus dicens:

Deus, qui totam Ecclesiam tuam per hos sacerdotes impositione manus exornas etc.

Deinde manum suam ponit super mysteria et super caput ejus dicens:

Deus deorum et Dominus dominantium etc.

Et imponit manum suam super mysteria ac super caput ejus dicens:

Benedictus es, Domine Deus etc.

Et erigit eum a terra et conversus ad altare dicit:

Praebe, Domine, aurem tuam etc.

Et conversus ad eum ponit manum suam super caput ejus dicens:

Respice in nos in hac hora et in consistentiam nostram etc.

Et deinde assumit binas cruces, alteram in manu dextera, alteram in sinistra, et portabunt cum eo chrisma et evangelium, et circumducunt eum per ecclesiam tribus vicibus, quibus finitis ad episcopum venient, qui hanc orationem Ephremiticam dicet:

Deus, qui tabernaculum suum defixit super montem Sinai excelsum etc. Et sit in domo ejus administrator ac rector fidelis, et constituet eum in gradu Judae ac Bartholomaei etc.

Episcopus:

Potestate Verbi tui vivificantis omnia, Domine Deus, dignum fac hunc servum tuum N., quem elegisti et promovisti ad venerandum hunc gradum chorepiscopi etc.

Archidiaconus dicet psalmum, laudationem et Apostolum.

Episcopus evangelium ex Joanne, num. XXVI.

Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium etc.

Archidiaconus praedicat.

Episcopus: Christe Deus noster, qui audis etc.

Et imponit capiti ejus mitram dicens:

Ad laudem et honorem etc.

Et collocant eum in sede super gradum medium et ter elevant eum.

Episcopus orat: Ad laudem et honorem et adorationem etc.

Et dat illi pastorale pedum atque casulam et orat:

Domine, qui dedisti Moysi sacerdotium etc.

Et erigit eum ac ducit ad portam altaris traditque ei dioecesim ejus et omnes presbyteros et ministros sub potestate ejus et ecclesiam ac omnia hujus mysteria et admonebit eum praecipietque dicens:

Dilecte animae meae et carissime, en dico tibi singulariter ac fratribus tuis sacerdotibus, qui stant nobiscum etc.

Et item:

En modo gratia divina vos, sacerdotes, churoje (archipresbyteros) et periodeutas et presbyteros ac ministros, prout conveniens est, elegit, cum vocavit et sacerdotes promovit in ecclesia sancta Dei ad titulum civitatis etc.

Oratio obsignationis et gratiarum actionis.

Explicit, ac Deo laus perennis.

Item chirotonia

qua perficitur episcopus et metropolitanus atque gradus sublimes sacerdotii. *)

Cum autem dat chirotoniam, et recitat orationem, unumquemque secundum gradum suum appellat; primum probetur nitide, tradentque ei dioecesani ejus subscriptiones suas. **)

Canon sanctorum Apostolorum: Nunc ergo nos XII Apostoli Domini convenientes hos ordines ecclesiasticos definimus vobis, postquam elegimus vasa electa, Apostolos socios nostros Paulum et Jacobum episcopos et hos reliquos septem diaconos. Primum dico ego Petrus: Ille, cujus est chirotonia, sicut praeordinavimus, omnino sine macula sit, bonus et ab omni iniquitate purus. Cumque fuerit nominatus et placuerit, congregabitur populus cum presbyteris et qui congregantur episcopi in die Dominicae; is autem, qui aliis honorabilior est, interrogabit populum et sacerdotes, an ille, qui eligitur ab eis, dignus sit principatu; quodsi eo contenti fuerint addet interrogans eos, an testimonium ab omnibus illi perhibeatur, quod dignus sit hac magna et perfecta dignitate et possideat rectam erga Deum religionem, deinde an rectitudinem observet erga omnes homines. Postea interrogabit de omnibus moribus ejus, an sint sine macula. Et omnes insimul testimonium illi reddant in veritate, quod talis sit: porro testati ubi sunt, quod talis sit sine acceptione personarum, imo quasi coram Deo judice et Christo ac Spiritu Sancto et omnibus sanctis spiritualibus, qui ministrant ei, etiam documentum accipiat, an dignus sit ministerio in veritate, nam in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, et exigent consensum, et cum plene consenserint, obtemperabunt ei. Ubi autem factum fuerit silentium, unus e primis episcopis oblationem perficit et electus cum duobus episcopis stabit ad latus altaris cum silentio.

*) Cum ordinatio, quae in Morini codice patriarchae in titulo dicitur, in suo tenore ordinationem repraesentet, quae a patriarcha peragatur, censuit ipse, hanc ordinationem, quae episcopi vocatur, esse eam, quae a metropolita, illam, quae patriarchae vocatur, esse episcopi consecrationem, quae a patriarcha fiat. Quod ab Assemano emendatur, testante, priorem quidem hanc ordinationem episcoporum esse, cum a metropolita ordinantur; ritum autem alterum eum esse cum vel patriarcha consecratur vel metropolitanus a patriarcha ordinatur. Sic ille in additamento ad notas Morini (Cod. lit. Tom. X. p. 238).

**) Arabica expositio subjecta caractere Syriaco ita habet: significat, quod ritus iste gradibus conveniat et communis sit omnibus praelatorum, sive episcopi, sive archiepiscopi sint, qui electi fuerint ex gradu sacerdotii; quia ordo omnium unus est et discrimen in officio praelaturae tantummodo. Attamen debet synodi princeps in hora impositionis manus et appellationis designare unumquemque eorum nomine dignitatis eidem convenientis.

Canon Patrum: Episcopus chirotoniam non recipiat sine synodo et assistentia metropolitae provinciae: hoc autem omnino aequum est, ut cum ipso inveniantur clerici (textus habet: filii ministerii) provinciae, qui epistolis metropolitani convocandi sunt, quodsi arduus ipsis sit accessus, congregabuntur omnino tres episcopi fiatque cum consensu episcoporum, qui non potuerunt venire. *)

Canon. Non fiat episcopus, nisi ex voluntate metropolitani regionis illius, et cum consensu omnium episcoporum. In Ecclesia autem non praeficiatur, nisi qui noscitur rectus et timens Deum habeatque testimonium bonum ac sciat regere Ecclesiam. **)

Canon de impositione manus. *Quomodo autem patriarcha ordinet episcopos, aequum est describere et indicare. Post tertiam divini officii horam ingreditur patriarcha in gazophylacium altaris et vocat electum et duos episcopos solos cum eo et clauduntur vela portae. Tunc ipse patriarcha imponit capiti electi cucullum et induit eum alba, et imponit ei amictum et vestit eum casula, tenentibus ea omnia episcopis. Tum patriarcha genuflectit coram electo et ita dicit ei:*

Spiritus Sanctus vocat te, ut sis episcopus aut metropolita pro loco N.

Et genuflectunt etiam religiosi (episcopi) ob reverentiam patriarchae debitam; deinde etiam electus procidit in faciem suam coram patriarcha, et dicit:

Consentio et accepto. ***)

Tunc surgit patriarcha eumque in fronte ter signat signo crucis dicens:

Dominus Deus benedicat te dextera sua et dignum te faciat gradu summi sacerdotii super sedem gloriosam civitatis benedictae et amantis Christum N. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti in saecula. Amen.

Et deinde constituunt eum ad latus altaris, et Dominus patriarcha incipit ministerium divinorum mysteriorum, sacrificio autem completo, patres vocatum pluviali exuunt, et manus ante pectus complicatas tenentem

---

Electus autem ad hunc venerabilissimum gradum probetur primum distincte, an sanctus et dignus illo sit, quantum possibile est et exigunt canones sanctae Ecclesiae; item an populo talis dioecesis gratus sit et acceptus, eique tradiderint subscriptiones suas in testimonium, quod ipse dignus sit et quod sub ejus obedientia vivant.

*) Arabica interserta expositio idipsum declarat.

**) Arabica expositio subjecta canonem Laodicaenum exprimit.

***) Sequitur in textu expositio Arabica literalis, in qua haec duo insuper addita leguntur: ac primo quod clausis velis electus in genua flexus manum patriarchae deosculari jubetur ac benedictionem ab eo petere per illa: Benedic, Domine. Secundo verba illa electi consentio et accepto, sic exponuntur: Obediam et adimplebo omnia mandata apostolica et conciliorum, quae a Spiritu Sancto ordinata sunt.

ad conspectum altaris ducunt. Incipit ergo Dominus patriarcha orationem primam et episcopi dicunt modos seu cantus et reliquum officii, uti commemoraturi sumus Deo juvante. Pastor dicit orationem:

Gloria Patri.

Archidiaconus: Pro tranquillitate.

Episcopus: Dignos nos effice, Christe Deus, ministerio hoc mystico, ut liturgiam hanc sacerdotalem perficiamus, et abundantia charismatum tuorum coelestium et divinorum repleamur, et attollemus.

Tum dicunt: Laus Deo.

Episcopus dicit: Confirma, Domine mi, Ecclesiam tuam sanctam super petram immobilem fidei orthodoxae, et per te roboretur et a te suscipiat auxilia perfecta et dona divina, quibus illustrentur filii ejus ad serviendum pure in templo sancto tuo et glorificabunt te cum choris immaterialibus, supernis, Pater.

Et dicunt tonum: Miserere mei.

Archidiaconus: Stemus recte.

Episcopus ponit aromata et dicit prooemium:[1]

Ante omnia et post omnia digni efficiamur, qui offeramus gloriam, honorem, adorationem et gratiarum actionem illi regi regum et Domino omnium dominationum, illi, cujus thronus coelum est et scabellum sub pedibus ejus est terra, illi, qui gratia sua condidit saecula et sua sapientia statuit fundamenta terrae, illi, qui aedificavit Ecclesiam sanctitatis super palmam manuum suarum sanctarum et posuit fundamenta ejus prophetas et Apostolos et martyres et confessores, eique promisit, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam, atque in ea constituit pastores et antistites ac rectores, qui illam custodirent per magnam virgam crucis vivificae a malo et omnibus virtutibus ejus. Bono.

Ordo. Domine Deus omnipotens, nomen magnum et sanctum unice, ens aeternum omnia continens sine termino, qui erudis et arguis omnes, misericors, longanimis et multus in miserationibus et veritate. Tu, Domine, clemens suscipe suavitates hasce, quae nomini tuo sancto offeruntur in hoc instanti pro animabus tibi traditis et super quas signatum est signaculum tuum vivum et sanctum; potissimum autem pro servo tuo hoc, qui praeparavit se hodie ad accipiendum tuum sanctum signaculum et collum suum inclinavit ad portandum jugum tuum mite et suave, et ut scribatur dispensator tuus fidelis, utque desponset animam ac mentem suam ministerio nominis altissimi Trinitatis sanctae.

Tu ergo, Domine omnipotens et omnium creator, suscipe illas (suavitates) per tuam benignitatem pro remissione transgressionum nostrarum, qui sumus infirmi servi tui minimi et peccatores in omni hora, et juste, benigne ac divine complaceat tibi atque concede gratiam Spiritus vivi et Sancti super hunc servum tuum, qui factus est particeps mysteriorum tuorum sanctorum, et dignus effectus est, qui susciperet donum plenum auxiliis et vita nova. Redde eum, Domine, plantam benedictam in domo tua plena auxiliis, dantem fructus, cujus folia non decidant, et per accessum ad clementiam, quae non evacuatur, prohibe ab illo omnia

---

1 M Primum oratio principii et psalmus consuetus: Miserere mei. Archidiaconus offert incensum et dicit: Benedic Domine. Stemus pulchre in oratione. Et reliqua. Episcopus ponit aromata et precatur.

opera mala et odibilia, quae fastidit Spiritus Sanctus; et sit alienus perfecte ab omni haeresi, quaecumque ea sit, atque errori gentilium haudquamquam consentiens, sed et eruditum ipsum effice in omni sua conversatione irreprehensibili post hoc donum. Sciens et rectus ac perfectus inveniatur in omni aequitate, amore perfecto doli experte, invidia et fraude vacuo semper ornatus adpareat; praecinge eum, Domine, virtute Spiritus tui Sancti et armatura invincibili, ut pugnet semper contra adinventiones et fraudes daemonum, ut pure et sancte coram te in hoc saeculo fungentes hoc ministerio digni reddamur post translationem nostram ab hoc mundo ad habitationem illam, quae est in mansionibus desideratis et in tabernaculis istis coelestibus commorari et locis mundis adscribi, sanctorum domicilio uniri, cum justis laetari, et cum prophetis ac Apostolis exultare in lumine, quod non transit, in pace perpetua suscipi, in coelestibus deliciis habitare, ubi paratum est refugium desiderabile, unde diffugiunt angustiae et passiones et dolores ac gemitus atque suspiria; ubi cum Abraham, Isaac et Jacob omnes illi, qui in praeclara religione et convenienti opere vitam transegerunt, gloriam ineffabilem perpetuo colligunt. Custodi itaque illum semper et ubique confirmatum, sanum, probatum, fidelem, irreprehensibilem, sine errore, sine contritione, sine passione, sine tristitia, sine dolore, et cum omnibus sanctis omnes insimul mereamur vitam haud senescentem, quia tu es bonus et misericors, tibique convenit gloria et honor cum Patre tuo et Spiritu tuo vivo et Sancto. Nunc.

Et dicunt tono: Ego sum lux. [1]

Cum susceperunt Apostoli donum Spiritus Sancti Paracliti [2], egressi sunt, docuerunt et praedicaverunt in creatura fidem veritatis, et ordinaverunt gradum sacerdotii, ac statuerunt in eo pastores qui pascerent oves Christi in aequitate et justitia usque ad finem et consummationem. Benedictus sit, qui magnificavit gradus sacerdotii in terra et desuper in coelo et dedit ei potestatem magnam in altissima et infirma et quidquid est in eis, et ecce in medio Ecclesiae deducitur et celebratur in summo sacerdotio, in gradibus supremis et infimis diaconorum et sacerdotum et pontificum ac pastorum [3]. Ne commovearc, Ecclesia fidelis, quia nocumentum ad te non accedet, neque te commutabo cum alia, quia non commutasti me cum alio. Et cum fuerit consummatio atque coelum dissolvetur et terra, tibi non erit timor, quia thronus tuus dispositus est inter Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Propter clementiam tuam exalta, Salvator noster, cornu Ecclesiae fidelis, et per crucem tuam custodi dilectos ipsius a damnis et adversitatibus, esto cum illa, quia te secuta est, et defende eam, quia tibi desponsata est, atque solare filios ejus, quos insequitur et angustiis premit Satanas, ac tua cruce salva vitam eorum.

Acceptatio.

Suscipe, Domine, per miserationes tuas tuamque benignitatem suffitum hunc suavitatum, quem obtulimus coram te in hoc instanti et emitte Spiritum tuum Sanctum super nos et super servum tuum hunc, qui ex-

---

[1] M Interea dicitur: Ego sum lumen. — [2] M in coenaculo Spiritum Sanctum Paraclitum. — [3] M Desunt reliqua hujus cantus.

spectat donum, quod ex te est; et pro his gloriam et honorem attollemus tibi, dominator Domine noster Jesu Christe, veritatis pontifex, et Patri tuo thesauro omnium benedictionum ac Spiritui tuo Sancto et consummatori omnium donorum. Nunc.

Archidiaconus praedicat: [1]

Etiam atque etiam, perpetuo et semper Domino supplicemus. Domine, pro pace superna et vita atque redemtione animarum et corporum nostrorum Domino supplicemus, pro patre nostro religioso et electo Dei et rectore nostro in Christo, Domino N. episcopo et pro universo clero ejus impositione manus Domino supplicemus. Domine, pro salute, auxilio et adjutorio ac confirmatione servi tui hujus N., qui hic stat et impositionem manus divinae accipit; concedat illi Dominus, supplicemus.

Oremus, supplicemus et obsecremus omnes insimul attente amatorem hominum Dominum Deum, ut suscipiat illum sine macula et reprehensione eique concedat honorandum sacerdotii gradum per illapsum Spiritus Sancti, omnes pro eo supplicemus. Sanctam, gloriosam et impollutam Dominam nostram et omni tempore Virginem beatam Dominam Mariam, Dei Genitricem, commemoramus et Joannem, legatum primum et cursorem verum, Stephanum protomartyrem et archidiaconum atque prophetas veraces, Apostolos divinos et martyres victoria amictos, ut Dominus Deus per orationes eorum puras et preces sanctas nobis omnibus clemens adsit et nos custodiat atque expiet, Domino supplicemus. Omnes et pro omnibus nobis atque pro servo tuo isto N., qui stat et exspectat donum tuum, te, Domine Deus, precamur et obsecramus clamantes et dicentes ter:

Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus inclinatur.

Domine virtutum coelestium et divinarum, qui erudis mentes hominum et scrutaris corda ac renes, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum et munda nos ab omni labe carnis et spiritus, aufer peccata nostra veluti nubem et veluti nebulam omnes iniquitates nostras; reple etiam nos virtute tua et gratia unigeniti Filii tui atque operatione Spiritus tui Sancti et dignos nos effice, qui simus sacerdotes Testamenti tui Novi, ut possimus, uti congruit nomini tuo, stare coram te et ministrare ac sacerdotio fungi erga tua mysteria divina, et ne nos permittas participes fieri peccatorum alienorum, quin et haec nostra dele ac tribue nobis, Domine, ut nihil agamus inordinate, sed concede scientiam ad eligendos hos, qui digni sunt.

Et extollit vocem suam.

Et suscipe, Domine mi, per tuam benignitatem hunc episcopum, qui hic praesens adest et exspectat etiam donum coeleste per amorem erga homines unigeniti Filii tui ac Spiritus tui. [2]

Deinde duo episcopi adducunt ordinandum ad pinnaculum altaris in latere australi et imperat ei patriarcha, ut legat volumen, quod ipse ordi-

[1] M Diaconus clamat Ephremiticum. Verte retro quatuor folia in ordine chorepiscoporum et illud invenies. — [2] Huc pertinet, quod apud M additur: tum dicunt: Sanctus es Deus.

nandus antea propria descripsit manu, quod non transgredietur canones praescriptos. *)

Ego humilis N., filius N., qui vocatus sum gratia Dei et misericordia illius ex gradu presbyteratus ad episcopatum super civitatem N., corde credo et ore confiteor, quod Dominus et Deus noster (cujus nomen et memoria sanctificetur et exaltetur) est unus Dominus aeternus et ab aeterno sine fine et sine principio, qui creavit omnia creata verbo suo et sua potentia omnia existentia ipse continet, praeter quem non est Dominus nec Deus. Item credo et confiteor hunc Dominum, qui unus est in essentia, esse trinum in personis ab aeterno; sunt autem personae: Pater et Filius et Spiritus Sanctus; porro Pater est ante saecula genitor ingenitus, et Filius genitus, non genitor, Spiritus vero Sanctus nec genitor, nec genitus, sed procedens ex Patre Filioque, tamquam ab unico indivisibili et inseparabili principio. **)

Item credo et profiteor, quod Filius, qui est secunda persona sanctissimae Trinitatis, absque eo quod a paterno sinu et sede gloriae suae discederet, descendit solus in uterum Mariae semper Virginis et induit corpus nostrum et homo similis nobis factus est, perfectus in spiritu et corpore et in omnibus proprietatibus naturae nostrae humanae excepto peccato et natus est ex ea Deus perfectus et homo perfectus, in utraque natura divina et humana perfectus; et quod quaelibet ex duabus naturis operatur, quod ipsius proprium est quoad voluntatem et operationem et reliqua. Et sicut tres divinae personae unam habent naturam indivisam, ita et in Christo Domino duae naturae, divina et humana, in una persona Filii sine divisione aut confusione copulantur.

Item credo, quod Christus Dominus effusione sanguinis sui super trabem crucis destruxit corpus peccati, quod ad nos derivatum est a patris nostri Adae transgressione praecepti Creatoris sui, et per eum (sanguinem suum) liberavit nos a servitute diaboli, et abrogatis victimis antiquae legis dedit nobis lavacrum baptismi et sacramentum poenitentiae atque oblationem corporis et sanguinis sui pretiosi cum ceteris sacramentis ad haereditatem possidendam vitam aeternam. Qui ergo pie custodierit ea, merebitur in translatione sua ab hoc saeculo visionem veritatis gloriosissimae et altissimae, et qui ea contempserit et male tractaverit, punietur cum infidelibus in gehenna, cujus ignis non extinguetur et vermis non morietur. Qui autem pie moriuntur et aliquae habent delicta et canones, quibus plene adhuc non satisfecerunt, punientur ad

*) Arabica expositio adjecta idem sonat: Chirographum autem juramenti et fidei, quem ordinandus de se ipso scripsit, quod sub obedientia praesulis Antiochenae sedis permansurus sit et fidei canones omnes secuturus, sequenti continetur formula Arabica, quam Arabice Latine subjicio.

**) Vox Arabica literaliter exponenda erat: causa, sed quia Latinis auribus terminus iste non bene, sicuti Orientalibus atque Graecis, audit, cum de Trinitatis mysterio sermo est, hinc vertimus, principio. Vid. Florentinum in Decreto de Processione Spiritus Sancti et theologos in Tract. de Trinitate, cujus ratio inde petitur, quod vocabulum αἰτία causa Graeci et Orientales latius usurpent quam Latini, et nihil aliud eo designant, quam quod Latini vocabulo principii.

aliquod temporis spatium, donec ab omni macula emundentur aut sublevented a fidelibus orationibus suis et oblationibus; tum elevabuntur ad quietem aeternam cum coetu sanctorum. Item credo et amplector omnia, quae sanxerunt sancti patres in conciliis generalibus, quorum primum est concilium Nicaenum, quod anathematizavit Arium et omnes sectatores illius corruptae opinionis, quod Filius esset recenter factus et quod non esset aequalis Patri in substantia et essentia. Similiter suscipio secundum concilium, quod fecerunt patres 150 in urbe Constantinopolitana contra Macedonium, ejusdem civitatis patriarcham, qui asseruit, Spiritum Sanctum creatum esse, neque Patri Filioque consubstantialem. Similiter etiam suscipio concilium tertium, quod habitum est in Ephesina civitate praesentibus CC patribus, qui sententiam tulerunt de Nestorii depositione a sede Constantinopolitana et eum ab Ecclesia sancta removerunt, quia dixit, quod Christus Dominus, qui natus est ex Domina sancta Maria, non erat Deus, sed homo; et quod divinitas in eo habitaverit eumque sibi templum fecerit, et consequenter eum in duos filios dividebat, quorum unus aeternus esset genitus a Patre, alter vero temporalis natus ex Maria, qui duo filii uniti fuerint voluntate et amore, non autem hypostatice. Item suscipio concilium quartum, quod celebrarunt patres DCXXX in civitate Chalcedonensi adversus Eutychetem archimandritam et Dioscorum patriarcham Alexandrinum, eo quod negarunt duas Christi naturas et dixerunt, unam in ipso naturam esse post unionem. Similiter quoque recipio concilium quintum, quod Constantinopoli convocatum fuit contra Severum patriarcham Antiochiae et Petrum episcopum Apameensem, qui in Christo dicebant unam esse naturam ex duabus naturis et voluntatem unam. Praesides autem hujus concilii, quorum numerus fuit 165, hanc perversam sententiam anathematizarunt pariterque segregarunt Petrum Fullonem, Antiochenum patriarcham, quia attribuit passiones naturae divinae et quaternitatem Trisagio adjunxit. Simili etiam modo recipio sextum concilium, quod celebrarunt patres DXXXVII in urbe Constantinopolitana adversus doctrinam Sergii, ejusdem civitatis patriarchae, et Cyri, patriarchae Alexandriae, qui Severi deliria secuti dixerunt, in Christo Domino unicam esse voluntatem et operationem unicam divinam. Patres igitur ostenderunt, Christi humanam naturam perfectam fuisse in voluntate et operatione sicut in ceteris hominibus, concordem et non repugnantem voluntati illius divinae. Pariter suscipio concilium septimum, quod Niceae convocatum fuit propter cultum imaginum; episcoporum autem, qui in eo convenerunt, numerus fuit 367. Excommunicationis vero sententiam tulerunt adversus eos, qui impugnabant cultum crucis Domini et imaginum Matris ejus et sanctorum ejus. Et similiter recipio ac profiteor singula concilia recepta in Ecclesia catholica, quae collecta fuere in Spiritu Sancto in partibus orientis et occidentis; recipio autem omnia, quae receperunt, et anathematizo ac damno, quidquid damnarunt et anathematizarunt. Item profiteor atque suscipio omnes libros revelatos a Deo in Veteri et in Novo Testamento et quidquid in eis continetur juxta traditionem sanctorum patrum in suis conciliis et eorum interpretationem in suis sanctis sermonibus. Praeterea credo et profiteor, Dominum Salvatorem dedisse vicem suam Petro Apostolo eumque constituisse caput et rectorem totius Ecclesiae; ille autem erexit primum sedem patriarchalem in civitate Antiochiae magnae,

deinde se Romam, ad urbium matrem, contulit; in hac vero suum martyrium complevit et facta est mater omnium sedium, quae in tota christianitate sunt. Nec desierunt successores ejus, in ea sibi succedere unus post alium usque ad pontificem maximum, caput capitum et Dominum nostrum Papam N. Et ad hujus similitudinem deducta est successio Apostoli in sede Antiochena ab uno ad alium usque ad sanctissimum patrem, nobis hoc tempore praepositum Dominum N. Deus confirmet principatum amborum super nos; profiteor ergo et promitto coram Deo et coram pretioso ejus corpore et angelis assistentibus et coram hoc sancto concilio, me ipsis et eorum successoribus subditum fore et obsecuturum corde et ore neque cooperaturum nec consensurum neci eorum, aut mutilationi membri ex eorum membris, aut injuriae iisdem illatae, nec illius praepotentis opem imploraturum ad infringendas ipsorum constitutiones aut ad imminutionem honoris iis debiti aut ad impediendum sive immiscendum in iis, quae spectant ad ipsorum dioeceses et jurisdictionem, sed imo eorum legibus ero obediens, illis congruum honorem praestabo, legatis eorum opem feram, suscipiam, quemcunque susceperint, et excommunicabo, quemcunque excommunicaverint. Quodsi quidpiam eorum, quae commemoravi, transgressus fuero, reus sim correptionis patrum sanctorum et conciliorum sanctorum. Quod autem spectat ad ecclesiam, cujus regimen mihi credetur gratia Dei et sanctissimi Domini nostri patriarchae beneficio, omnem navabo operam et sollicitudinem omnem meam ponam ad adificationem ejus et bonorum illius augmentum ac directionem sacerdotum et animarum in ejus districtu existentium, et haec est voluntas mea, fides mea et juramentum meum caractere manus meae, et Deus fidejussor sit super id, quod dico, et Deo gloria in aeternum. Scriptum fuit in loco N., mense N., anni N.

Deinde procedunt duo episcopi eumque adducunt unus a dextera, alter a sinistra ejus) et unus ex eis dicet:* [1]

Offerimus sanctitati tuae, o pater sancte et electe Dei, Domine N., rector noster [2], hunc amantem Dei N., qui huc accessit, ut a te suscipiat impositionem manus divinae ad gradum sublimem episcoporum ad titulum regionis N. pro urbe N. [3] et est subditus beatitudinis tuae. [4] Oremus ergo omnes [5] et deprecemur Deum pro eo et dicamus ter: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Episcopus eum flectere genua jubet et capiti ejus manus imponit ac orat. [6]

Gratia divina et coeleste donum Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore implet defectus nostros et sanat infirmitatem nostram ac nostra alligat vulnera nostrosque dimittit reatus et curam gerit omnium filiorum sanctae Dei Ecclesiae, vocat et promovet hunc N., servum

---

[1] M post illud Sanctus, ita pergit: Et cum ducunt duo chorepiscopi, unus a dextra ejus, et unus a sinistra. Tum archidiaconus dicit. — [2] M metropolita; deest noster. — [3] M et impositionem manus divinae accipit ex ordine chorepiscopi, qui excelsior est, et dignior archipresbytero super altare sanctum Domini sancti N urbis benedictae et Christum amantis N. — [4] M add. Pater noster. — [5] M deest omnes. — [6] M hic habet: Episcopus precatur et flat in faciem ejus.

*) Arabice idem exponitur et Syro caractere subjungitur rubrica subjecta.

Christi, qui hic adest et cum timore, tremore ac fide vera animam suam coram sancto altari humiliavit et oculos mentis suae in altum attollit ad te, qui habitas in coelis coelorum, et exspectat donum coeleste a gradu presbyterorum aut periodeutarum aut chorepiscoporum ad gradum episcoporum ad altare sanctum sancti Domini N. urbis N. Oremus ergo omnes, ut adveniat super eum gratia et donum Spiritus Sancti, et clamemus ac dicamus ter: Dona ei, Domine, dona ei, Domine, dona ei, Domine.

Archidiaconus. In pace Domino supplicemus.

Pastor imponit manus suas super corpus et super calicem) et orat inclinatus.*

Eia, Domine Deus, dignum hunc servum tuum effice miserationibus tuis et promove eum ad vocationem hanc episcopi, ut sit exemplar et dignus sit nomine tuo sancto et operibus ministerii, dono gratiae tuae et Spiritus tui Sancti, per puritatem et sanctitatem.

Et extollit vocem suam.

Et inveniat misericordiam coram te et accipiat etiam auxilium a gratia tua donumque remissionis a te suscipiat.

*Et convertitur ad ordinandum et ponit super caput ejus ac metitur, episcopi autem manibus suis tenent sanctum evangelii librum super manus pastoris et alii sustinent flabella super evangelium; et tunc pastor elevat manus suas et extendit brachia sua et demittit tribus vicibus super caput ejus, qui ordinatur.**)*

Et pastor orat.

Deus, qui universam Ecclesiam tuam per istos pontifices in manus impositione exornas, tu, qui omnia potes, etiam hunc servum tuum, quem dignum praestitisti, qui a te recipiat sublimem episcoporum ordinem, exorna omnibus virtutibus et stabilitate ac pace sustine eum et imple omnibus fidei proprietatibus et charitate ac virtute et sanctitate per illuminationem Spiritus tui vivi et Sancti atque vivificantis, et non jam per impositionem manus meae infirmae, sed per illapsum Sancti Spiritus, ut simus immunes ab omnibus peccatis nostris in die tremendo judicii et sine macula stemus coram te ac recipiamus mercedem veram per annuntiationem tuam.

Et conversus ad altare dicit:

Gratia tua et miserationibus ac benignitate unigeniti Filii tui et Spiritus tui Sanctissimi, boni.

---

*) Arabica inserta expositio sonat, quod praeses convertitur ad altare ambasque manus extendit easque ter motat super corpus ac ter super sanguinem; deinde diaconi operiunt manus ejus velo magno.

**) Arabica subjecta expositio habet. Et convertitur ad electum et extendunt velum et motat manus suas super caput ejus tribus vicibus cruciformiter, et postquam sublatum fuerit velum, episcopi teneant librum evangeliorum apertum super caput vocati ad num. 26. Joannis: diaconi autem sustinent flabella hinc et inde super evangelium. Et cum praeses elevat ac demittit manus super caput vocati cruciformiter, sustineant etiam episcopi evangelium illudque elevent super manus praesidis, eodemque modo flabella agitanda erunt super evangelium motu tremulo.

Episcopus: Pax vobiscum.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Et imponit manum suam super mysteria et super caput ejus dicens:

Deus deorum et Dominus dominantium, qui sedes super currum gloriae tuae in altissimis et voluntas tua in infimis abyssis perficitur, qui conjunxisti ad honorem ministerii tui coetus ardentes flammae mirabiles aspectibus et similitudinibus stupendos et constituisti mundos lucis innumerabiles et agmina spiritus indefinita, quae sanctificationes proferunt et laudes mittunt atque glorificationes attollunt tibi, Domine, ad locum, in quo tabernaculum tuum commoratur, et quia multae tuae insunt miserationes, terrenos quoque infirmos et humiles effecisti participes glorificationis majestatis tuae et ministerii divinitatis tuae, et ex his constituisti prophetas et deinde Apostolos, post hos doctores et patratores virtutum, ut participes essent ministerii magnitudinis tuae et conjuncti coetibus lucis et mysteriis divinitatis tuae. Et nos etiam infirmi et peccatores servi tui, qui suscepimus gradum sacerdotii sublimissimi, cum digni non essemus, ut calcaremus limen tui sancti templi, supplices tibi fundimus preces teque rogamus per orationes Deiparae Mariae, ut inclines clementiam divinitatis tuae ad nos et acceptes hoc ministerium et chirotoniam hanc, quae facta est super servum tuum istum per paupertatem nostram. Eja, Domine, esto nobis rector die ac nocte et omnibus momentis et liberator ac redemptor a fraudibus adversarii, concede, tibi sit placens in omnibus moribus suis neque declinet ad dexteram neque ad sinistram a via tua, quae ad vitam indefectibilem ducit; nullo pacto contristet Spiritum tuum Sanctum, verum gratia tua, Domine, stabiliatur et confirmetur et consummet cursum agonis sui pie ac juste cunctis diebus vitae suae, atque etiam in novissimo die adventus tui terribilis et tremendi laetus tibi occurrat portans lampades lucis opera sua bona et ingrediatur tecum ad accubitum canatque gloriam nomini tuo venerabili. Pater.

Archidiaconus praedicat Ephremiticum.

Stemus omnes in oratione et supplicemus cum suspirio et in fide atque charitate clamemus ad Trinitatem. Petamus a Patre abscondito et a Filio laudando ac sancto atque a Spiritu Sancto consolatore armaturam, quam induerunt discipuli. Bonus, qui plenus est benedictionibus neque eas denegat hominibus, ipse det tibi benedictiones plenas miserationibus et bonis. * Dator optimus, qui dedit Melchisedek, ut in conspectu ipsius staret et pontificatum etiam ministraret, sicut Dominus noster in ipso praefiguratus fuit. Tibi obediant etiam sacerdotes et ex conversatione tua decorem accipiant et ex doctrina tua sancta: obtemperent humilitati tuae. A te discant leges et sis rectum exemplar, et in omnibus tuis temporibus vulgetur fama castitatis tuae. Propitius esto nobis, hominum amator, et condona defectus omnium nostrum et ab ira dura libera gregem tuum ab adversario.

Et imponit manum suam super mysteria et super caput ejus ac dicit:

Benedictus es, Domine Deus, qui es super omnia, qui variis donis exornas filios hominum et exaltas Ecclesiam tuam sanctam, quam tibi elegisti ex populo in Testamento primo et antiquo septuaginta senum et implevisti eos spiritu prophetiae, et per hoc Novum Testamentum Christi tui posuisti, Domine, in Ecclesia tua sancta primum Apostolos et

post hos prophetas, deinde doctores et rectores et episcopos, qui implerent ministerium altaris tui sancti. Etiam nunc, Domine Deus, perfice nobiscum gratiam tuam tuumque donum et cum servo tuo hoc N. episcopo, et concede ei, Domine Deus, cum impositione manus ista, quam hodie a te suscipit, illapsum Spiritus Sancti, dignumque illum praesta, qui misericordiam a te obtineat, et sacerdotio fungatur offeratque tibi sacrificia pura cum votis et primitiis ac thura bona et odoramenta suavia, quae placeant voluntati tuae et satisfaciant divinitati tuae. Concede etiam illi, Domine, gratiam verbi et eloquentiam in scientia, ut reprehendat, corripiat et increpet omnes illos, qui a cognitione veritatis aberrarunt; sit visitator pupillorum, sustentator viduarum, reductor errantium; provideat egenis, consoletur advenas, custodiat mandata tua divina, adimpleat leges tuas apostolicas et adhaereat tibi tuaeque voluntati cunctis diebus vitae suae in conspectu tuo ea omnia faciens et exsequens, quae congrua sunt et justa; atque per tuas miserationes aeternas dignos nos redde, qui laetemur et exultemus cum eo in regno tuo coelesti per orationes et supplicationes Genitricis lucis et omnium facientium voluntatem tuam. Pater.

Et erigit eum a terra ac convertitur ad altare dicens:

Inclina, Domine, aurem tuam et audi orationes servorum tuorum peccatorum et pauperum et suscipe per misericordiam tuam deprecationes nostras et da servo tuo huic N. fidem et sapientiam in his, quae sibi concredita sunt a tua gratia et a grege tuo rationali, ut faciat omnem voluntatem tuam et promereatur regnum tuum coeleste. Tu es enim adorandus et gloriosus Deus noster et Spiritus tuus vivus ac Sanctus.

Et convertitur ad ipsum manumque suam imponit super caput ejus ac dicit:

Respice in nos in hac hora et in nostram consistentiam coram te, et tibi complaceat in nobis ac suscipe exercitium animarum nostrarum et benedicito operi manuum nostrarum et mitte benedictiones tuas coelestes super servum tuum hunc episcopum N. et placeat tibi chirotonia, quae hodie facta est super eum a manibus nostrum servorum tuorum peccatorum per tuum sanctum signaculum, et perfice eum, ut per hoc magnum donum mereatur pure, immaculate et irreprehensibiliter consistere coram te et mundo corde sacerdotale ministerium tibi exhibere, quo obtineat miserationes et clementiam a gratia tua cum omnibus sanctis, qui a saeculo tibi placuerunt. Et tibi gloria et honor et adoratio ac Patri tuo et Sancto ac vivo tuo Spiritui. Nunc.

Tunc manibus suis duas cruces portat et deferunt cum ipso chrisma et evangelium ac circumducunt tribus vicibus illum per ecclesiam dicentes cantus.)*

Tono simplici[1]. Benedictus sit, qui sacerdotium dedit duodecim

[1] M Circumducuntque eum per ecclesiam dicentes Pesitam.

*) Arabica rubrica adjecta haec habet: Deinde processionem instituunt sacerdotes et clerici juxta morem. Et unus episcoporum portabit vas chrismatis, alter vero librum evangelii, vocatus autem duabus manibus suis duas deferet cruces. Et si e simplici presbyteratu fuerit electus, unget baptisterium chrismate tribus vicibus in primo circuitu clericis concinentibus.

Apostolis eosque in universum misit et ita eis dixit: Si ligaveritis, ego ligabo, et si solveritis, ego solvam; ecce dedi vobis potestatem[1] altitudinis et profunditatis, gradus sacerdotii ordinate in omnibus ecclesiis[2]. Alleluja et iterum alleluja. Domine noster, misericordia tua suscipe ministerium nostrum, exaudi orationem nostram et miserere nobis, Salvator mundi.

Alius tono: Deprecationem[3].

Tibi laus, Deus Domine coeli et terrae, qui dedisti famulo tuo donum gubernandi secundum voluntatem tuam, laetetur in eo Ecclesia sanctitatis[4] et ex doctrina ejus exultent filii ejus[5]; et cum apparuerit divinitas tua, obviam tibi laetus occurat.

Definitionem fidei[6].

Gaude et laetare multum ac lauda, o sancta Ecclesia fidelis, quia ecce disposita est in te mensa deliciarum et corpus ac sanguis Christi hodie in te gloriose effertur in remissionem debitorum et peccatorum filiorum tuorum, et ecce verus pontifex stat in capite gregis sui in similitudinem Simonis principis Apostolorum, et sacerdotes instar angelorum circumdant sanctum altare, alleluja et Spiritus sanctificat illud.

Et dum perficiunt et veniunt ad principem sacerdotum) et pastor orat:*

Potestate Verbi tui, Domine Deus, qui omnia clementia tua fecisti, et fundasti orbem voluntate Unigeniti tui, qui largitus es nobis intellectum veritatis et notum fecisti nobis Spiritum tuum suavem, illum Sanctum, illum principalem; qui Filium tuum dilectum, Deum Verbum Jesum Christum Dominum coelestium et terrestrium, dedisti pastorem et medicum animabus nostris, et sanguine ejus pretioso stetit Ecclesia et universus ordo sacerdotii; et constituisti ac dedisti nobis dirigentes ad id, quod placet tibi per agnitionem illam nominis Christi tui, quam multipliciter effudisti super omnem orbem: tu Domine, mitte super hunc tuum servum Spiritum tuum Sanctum et principalem ad hoc, ut pascat et visitet ecclesiam sibi creditam et ordinet in ea sacerdotes et diaconos constituat et consecret altaria ac ecclesias; domos benedicat et perficiat invocationes efficaces, sanet et judicet, gubernet et liberet, solvat et liget, exuat et induat et infigat et segreget cum omni potestate, quam dedisti Apostolis tuis, ita ut sit summus sacerdos ad ministerium et quidem in honore Aaronis, in ordine Phinees, in virtute discipulorum tuorum, in operatione Jacobi religiosi tui, in sede principis patrum Petri, ut populum tuum, oves haereditatis tuae sublevet per hunc servum tuum; concede etiam ei, Domine, sapientiam et scientiam, ut discat voluntatem tuae majestatis et peccata dignoscat et sciat definitiones justitiae et judicium et solvat adinventiones profundas et expellat omnia ligamina iniquitatis, quia

[1] M claves. — [2] M reliqua hujus Pesitae desunt. — [3] M deest tono: Deprecationem. — [4] M add. et in praeceptis ejus. — [5] M add. omnes. — [6] M deest cantus sequens.

*) Arabica expositio adjecta habet: Et cum primum circuitum perfecerint, vocatus flectit genua sua, et omnes episcopi imponunt manus suas super caput ejus.

tu es dator bonorum et largitor sapientiae et charismatum divinorum, tibique gloriam attollimus nunc.

Deinde secundam processionem instituunt, qua peracta vocatus genua flectit coram praeside. Episcopi evangeliorum librum apertum teneant super caput ejus pariterque diaconi flabella agitent super evangelium. Praeses vero extendat brachia sua sub libro super caput electi et retrahat illa, elevet et circumagat huc et illuc cruciformiter tribus vicibus et orat:

Domine creator omnium, qui sanctam Ecclesiam tuam ubique sanguine pretioso unigeniti Filii tui erexisti et in ea omnem sacerdotii ordinem constituisti, etiam nunc, Domine fortis, cum praesentia pontificum adesto tu quoque et cum evangelii tui sancti impositione, tu etiam dexteram tuam potentissimam impone et obumbra eum illapsu magnae et divinae virtutis tuae et servum tuum hunc N., qui hic suscipit chirotoniam istam, fac principem ecclesiae sanctae super civitatem N. Sapientia et gratia et tota tua coelesti virtute imple illum et humilitate et fortitudine exorna eum cum magnanimitate et mansuetudine; tribue ei, ut sit vigil, castus, longanimis, diligens, nec argenti cupidum ipsum ostendito; omnibus eum virtutibus exorna, omnem Sancti Spiritus operationem in eum emitte, adveniat super eum virtus evangelii, donum prophetiae, operatio virtutum, ut per manus impositionem daemonia ejiciat, sanitatem infirmis largiatur et signa atque prodigia in populo tuo ad sancti nominis tui gloriam faciat, quoniam tu, Dominus dominator noster, in omnibus es fortis, tibique convenit honor et gloria una cum Filio tuo dilecto ac Spiritu tuo Sancto nunc.

Deinde tertiam processionem peragunt, qua finita omnes ingrediantur, et praeses sumat ab electo binas cruces et tradat sanctum evangeliorum librum clausum eidem genuflexo, et hanc dicit orationem.

Domine rex, omnium Pater et Deus, tu miserere servi tui hujus, qui praeelectus est, ut sit pastor gregis tui rationalis. Nos enim, Domine, causa tua*) et possibilitas virtutis tuae sumus, quibus auxilium praestatur, tu autem auxiliator es et medicus et Salvator, murus, spes et locus refugii, gaudium et exspectatio et vita; tu, Domine, ades nobis in omnibus, quae nobis auxilium praestant, qui ante saecula es et in saeculum saeculorum permanes sine principio et sine fine tuae antiquitatis.**)

Precamur, Domine, adjuva nos et complaceat tibi ac perfice, omnia enim potes, quia tu es princeps omnium principum et Dominus omnium dominantium, rex regum et imperator imperantium. Tu tribue potestatem per Spiritum tuum Sanctum servo tuo huic N., qui accepit impositionem manus, solvendi, quae solvenda sunt, et ligandi, quae liganda. Tu sapientem redde illum, tu dirige eum, tu per evangelium,

---

*) Hisce expressionibus declaratur, quod Deus sit prima et unica causa et virtus, quae rebus essentiam et virtutes, auxilia et cetera bona omnia creaturis obvenientia dat et efficit, homines vero sint secunda et instrumentalis causa ac organum divinae potentiae et operationis, per ipsos enim Deus usque modo operatur omnia omnibus intime praesens.

**) Allusio fit ad illos Scripturae expressiones, in quibus Deus antiquus dierum audit.

quod est in manibus ejus, Ecclesiam sanctam sicut sponsam dilectam exorna et custodi, quia tibi per omnia convenit gloria et honor una cum Filio tuo dilecto et Spiritu tuo Sancto et consubstantiali, nunc.

Deinde accipit de manu ejus evangelium et orat:

Tu es, Domine Deus, qui omnia contines, qui solus es sine principio et sine fine, qui in saeculum permanes et ante tempora existis, qui in nulla re deficis et causa omni superior es, qui incomparabilis es, qui nosti, quod erit, antequam fiat, et cui nota sunt ea, quae sunt occulta, qui super omnia es, qui es Dominus et Deus et Pater unigeniti Jesu Christi Filii Dei, Salvatoris nostri, qui fecisti omnia, cui cura est omnium populorum, qui es Pater misericordiarum et Deus totius creaturae, qui habitas in excelsis et humilia respicis, qui dedisti definitionem Ecclesiae tuae per adventum corporalem Christi tui testificans de Paraclito per Apostolos. Et nos harum rerum doctores gratia tua constituimus episcopos sicut eos, quos ab initio definiisti propter stabilimentum populi tui antiquitus, Abelem et Seth et Enos et Cainan et Malalaielem et Jared et Henoch et Matusalem et Lamech et Noe et Sem et Melchisedech et Job. Qui apparuisti Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Moysi et reliquis patriarchis cum illis fidelibus tuis et tibi placentibus, Aaron sacerdote et Eleazaro ac Phinees, ex quibus constitit sacerdotium et lex testimonii; qui Samuelem elegisti sacerdotem et prophetam et super vasa sanctuarii, quae ad ministerium tuum elegisti, ipsum constituisti, ut glorificaretur nomen tuum in eis.

*Hic ungit caput ordinati chrismate tribus vicibus in crucis formam *) dicens:*

Complaceat etiam modo tibi, Domine Deus noster, et per oleum tuum † perque manus nostras effunde virtutem praefecturae Spiritus tui super hunc famulum tuum N., ut ministerium exhibeat Filio tuo dilecto Domino nostro Jesu Christo, qui voluntatem tuam sanctam honorificavit seu declaravit Apostolis tuis, ó Deus saeculorum. Da huic servo tuo, ut pascat oves tuas, huic (nempe) quem elegisti, ut esset episcopus et primitias sine reatu offerret; purus in conspectu tuo ministerium exhibens die ac nocte et congregans oves, quas redemisti, offerat tibi oblationes in Ecclesia sancta.

Deinde iterum pontifex hic ungit volas manuum ejus in crucis formam a pollice dexterae ad indicem sinistrae et a pollice sinistrae ad indicem dexterae, tum utramque claudit dicens et orans:

Et da ei, Domine Deus omnipotens, per unctionem tuam † laetitiam Spiritus tui Sancti, ut potestatem habeat dimittendi peccata secundum verbum tuum et concedat propitiationem juxta promissionem tuam et det confirmationem juxta praecepta tua et dissolvat ligamina juxta potestatem, quam dedisti Apostolis tuis, placeatque tibi in mansuetudine et caritate et in corde puro sine mutatione et macula et sine ignorantia offerens tibi sacrificia pura et incruenta; tu, qui per unguentum ordinasti mysteria Testamenti Novi in odorem suavem per Filium tuum Jesum Christum,

---

*) Unctiones hic introductas fuisse a Stephano Aldoensi, saec. XVII. exeunte vel XVIII. ineunte, vidimus T. I. p. 137.

Deum Salvatorem nostrum, per quem tibi convenit gloria et honor et adoratio et Spiritui Sancto aequaliter.

Et erigit eum ac orat Ephraemiticam precem:

Deus, qui habitaculum suum defixit super altum Sinai montem et dedit spiritum prophetiae Moysi, maximo prophetarum, fortis, qui dedit sacerdotium Aaroni, sacerdoti veraci illumque ornavit pontificatu et dignitate summi sacerdotii, Creator, qui effudit miserationes suas super tentorium levitarum, super Eleazarum sanctum et Ithamar illum fidelem, qui elegit Samuelem et David, prophetam magnum eosque constituit in medio domus suae sapientes et rectores.

Laudabilis, qui demisit dexteram suam et habitare fecit virtutem Spiritus Sancti super discipulos suos sanctos in coenaculo et in monte olivarum, et fecit eos secundum gratiam suam thesaurarios divinitatis suae deditque in manus eorum potestatem et sacerdotium et prophetiam. Et tradidit eis claves coeli et thesaurum divinitatis suae, ut solverent et ligarent ac expiarent hominum peccata. Et deductum est ab eis ac venit sacerdotium a generationibus in generationes. Et accepi ab eis sacerdotium, quod venit et pervenit ad infirmitatem meam, et suscepi illud per gratiam ejus, cum mea imbecillitas esset indigna, et ecce sto hodie ad portam divinitatis et peto ac supplices in suspirio fundo preces bonitati ejus, ut immittat clementiam gratiae suae et auxilium divinitatis suae. Et donum Spiritus Sancti et dexteram essentiae suae absconditae super servum suum hunc, quem elegit, ut sit pastor gregis sui, et concedat illi puritatem et mores praestantes sitque in domo ejus dispensator et rector fidelis. Et constituat eum super illum gradum Simonis, Jacobi et Joannis, qui sublimes fuerunt in moribus sanctimoniae, et descendat super eum Spiritus Sanctus, cum impositione manus mei peccatoris, sicut descendit super ejus discipulos in medio coenaculi benedicti; et sit ei sacerdos rectus et rector sapiens et mediator plenus sapientia, qui aemuletur bona opera. Et in die, qua apparueris, ut unicuique homini retributionem des suam, exeat in occursum adventus tui in lampade lucis operum suorum, et introeat tecum ad accubitum psallatque gloriam gratiae tuae, Pater, Fili et Spiritus Sancte, unus Deus verus.

Diaconus praedicat ut in ordine archipresbyteri seu Churoio, vel: Argentum electum.

Benedictus est Christus, qui te, Ecclesia, desponsavit in sua crucifixione et disponens constituit in te altare sanctitatis, fregit in te corpus suum et sanguinem vivum in remissionem peccatorum, ut eo splendeas instar vigilum. Laudes purae cum psalmis et cantibus tibi offeruntur in Ecclesia tua, Domine noster[1].

Paulus ex epistola ad Hebraeos.

Fratres mei, quoniam ergo habemus pontificem magnum, Jesum Christum Filium Dei, qui ascendit in coelum. *Et cetera usque:* et factus est omnibus, qui obediunt ipsi, causa vitae aeternae. Et ipsi.

Antiphona.

Diffusae sunt gratiae super labia tua, propterea benedixit te, Deus, in aeternum. Alleluja.

---

[1] M. Psalmus, Laus ei. Et Apostolus epistola ad Hebraeos: ista scribuntur in ordine archipresbyteri. Episcopus autem legit evangelium ex Johanne.

Pastor legit evangelium ex Joanne n. 26.

Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium *et cetera usque*: Numquid daemonium potest aperire oculos caeci. Et pax.

Hic praeses abluat manus suas, ordinatus vero caput suum et manus. Archidiaconus praedicat:

Christe Deus omnium nostrum, tu es ille, qui elegit sibi in medio Ecclesiae suae sanctae sacerdotes castos et veraces, ut cum puritate sacerdotio fungantur et concorditer cum coetibus Seraphim superiorum tremulo circumagant motu *), precamur.

Christe[1], qui es cognitor occultorum et scrutator cordis et renum, qui elegisti et obtulisti[2] hunc servum suum[3] N. ad ordinem excelsum et sublimem Aaronis, summi sacerdotis levitarum[4], adoramus[5].

Christe, qui a Cherubim benediceris et a Seraphim sanctificaris et ab angelis glorificaris et a vigilibus exaltaris ac ab igneis collaudaris atque a spiritualibus celebraris, deprecamur[6].

Christe, cui assistunt mille millium et myriades myriadum subjectae sunt et celeres ad ministerium dominationis tuae; et constituisti tibi in Ecclesia sancta sacerdotes et antistites[7] de genere terrenorum, ut tibi perpetuo sacerdotio fungerentur teque laudarent, supplicamus[8].

Christe, qui verbo tuo vivifico et gratia tua divina praecepisti omnibus sacerdotibus, ut diligenter vigilarent et parati essent in hoc sacerdotio, ad quod promoti sunt et quod acceperunt, precamur.

Christe, condonator debitorum et propitiator peccatorum, qui peccatrici remisisti et latroni propitiatus es et Zachaei misertus fuisti[9] atque Simonem suscepisti et super David misericordia motus es, hunc etiam servum tuum per sanctam tuam obumbrationem propitiatione dona, adoramus[10].

Christe, altissimus, qui tremere facit supernos et infernos terrore percellit, ipse secundum miserationes suas suscipiat preces et orationes nostras[11] et dignos efficiat nos omnes, qui misceamur et inseramur turmis et ordinibus eorum, qui faciunt voluntatem ejus[12], obsecramus.

Christe, propitius esto nobis secundum misericordiam tuam et rege nos clementia tua ac pasce nos gratia tua et[13] deprecationem nostram perfice[14] pro servo tuo isto, quem elegisti, et suscipe[15] psalmodiam, collaudationes, lectiones et praedicationes nostras atque impositionem manuum, quam hodie accepit, et unam vocem trinam, qua placatur divinitas tua, mereamur emittere tribus (scilicet) vicibus, Kyrie, Kyrie, Kyrie[16].

---

[1] M add. Deus omnium; et ita porro, quod sane indicatur per literam Mim, quae per modum abbreviationis hic ponitur in Syriaco. — [2] M add. hodie. — [3] M Dei. — [4] M deest levitarum; add. et primi Patrum. — [5] M Oremus. — [6] M Supplicemus. — [7] M deest et antistites. — [8] M Oremus. — [9] M Zachaeum justificavit. — [10] M Oremus. — [11] M tuas. — [12] M bona. — [13] M add. perfice stationem nostram, quae est in conspectu tuo et. — [14] M suscipe. — [15] M deest quem elegisti et suscipe. — [16] Hic explicit M.

*) Expressio mihi videtur alludere ad caeremoniam saepius expressam in Ritualibus, qua praescribitur, ut manus tremulas circum mysteria agant et motent, quo ritu designatur commotio et ardor animi in tractandis sacris atque reverentia non absimilis ab illa, qua Seraphim tremulo motu alas suas symbolicas agitant, dum divinae essentiae obsequia exhibent sua.

Episcopus dicit:

Christe Deus noster, qui gemitum vincti audis et filios solvis a morte, exaudi, Domine, propter misericordiam tuam orationes servorum tuorum, qui colligati sunt charitate et fide, quae in te est, et retribue eis coelestia pro terrenis ac suscipe secundum gratiam tuam praedicationem servi tui diaconi altaris tui, et condona peccata gregis tui, qui adorat crucem et confitetur Trinitatem tuam.

Et imponit dexteram suam capiti ejus et in fronte eum signat voce suavi dicens):*

Ordinatur in Ecclesia sancta Dei.

Et respondet unus episcopus:

N. pro ecclesia sancta civitatis N. dioecesis benedictae.

Et dicit pastor:

N. episcopus sanctae ecclesiae orthodoxorum, quae praenominata est, in nomine Patris † Amen. Et Filii † Amen. Et Spiritus † Sancti in saecula. Amen.

Et erigit eum dextera sua et dicit unus episcoporum tribus vicibus (in alio Ms. codice legitur Kyrie Eulogion*)* Kyrielogion *et qualibet vice respondeat populus* Kyrie eleison. *Deinde accipit planetam et induit eum dicens:*

Ad gloriam et honorem et decorem et exaltationem Trinitatis sanctissimae et consubstantialis et ad pacem aedificationemque Ecclesiae sanctae Dei.

Et imponit ei mitram dicens:

Ad gloriam et honorem et decorem et exaltationem Trinitatis sanctissimae.

Et post ipsum respondent episcopi et universus clerus et collocant eum in sede in gradu sublimi versa facie ad occidentem et prosequitur (praeses) orans:

Ad gloriam et honorem et adorationem et decorem Trinitatis sanctissimae, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad aedificationem Ecclesiae sanctae collocamus hunc servum tuum super sedem sacerdotii ecclesiae sanctae Dei et sancti Domini N. civitatis N. cum potestate episcopi super periodeutas et super presbyteros et diaconos subjectos ei in tota hyparchia illius. In nomine Patris † Amen. Et Filii † Amen. Et Spiritus † Sancti in saecula. Amen.

Et apprehendunt episcopi ac presbyteri sedem illamque ter elevant post pastorem inchoantem respondentes: Axios, dignus et justus. *Et similiter populus ter clamet:* Axios, dignus et justus. *Deinde tradit ei baculum in dexteram ejus et clamant:*

Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion, et dominaberis super inimicos tuos.

Pastor orat et dicit:

Domine, qui dedisti Moysi sacerdotium et prophetiam et dedisti ei virgam in manum, ut esset signum prodigii, et praecepisti ei, ut in virga

---

*) Rubrica arabica concilii praesidem dexteram imponere debere super ordinati caput declarat, ei alta claraque voce dicendo, quod sequitur, eumque in fronte ter signare ad Trinitatis invocationem praescribit.

sua liberaret populum tuum a servitute Aegyptiorum, et in virga fecit (Moyses) signa stupenda in terra Aegypti et in virga vicit Pharaonem et eduxit filios Israel. Tu (Domine) etiam nunc per gratiam tuam et clementia mansuetudinis tuae, benedicito huic servo tuo per baculum istum, quem accepit, et fiat ei in signum pacis et arrhabonem justitiae, nunc.

Et erigit eum ducitque ad portam altaris et tradit ei gregem ejus et omnes sacerdotes et clericos sub manu ejus et ecclesiam et omnia mysteria ejus et admonet eum omnibus audientibus et dicit *).

Dilectissime mi, ecce nunc dico tibi singulariter et fratribus tuis sacerdotibus adstantibus nobiscum in hoc instanti, qui participes fiunt nobiscum horum sanctorum et divinorum, hoc est sancti et honorabilis et praestantis sacerdotii. Nunc itaque audite omnes, quae ab exiguitate nostra vobis dicuntur, dilectissimi mei. Ecce nunc divina gratia vobis, pontifices, archipresbyteri, periodeutae, presbyteri et diaconi, prout dignum est, elegit, vocavit et episcopum ordinavit in ecclesia sancta Dei ad titulum civitatis benedictae N. Ergo, uti homines, qui electi et illuminati sunt operatione et virtute Spiritus Sanctissimi, qui vitae principium est; diligenter ac sollicite intenti curate in meditatione assidua et frequentibus cogitationibus perficere verba divina et librorum sanctorum ac vivificantium, praesertim vero ut, prout Deo dignum est, Deo, qui vocavit vos, cultum exhibeatis et servitutem implentes omnia bona opera consequentia et congruentia vocationi huic magnae et in omnibus admirandae. Omnem igitur inanem gloriam hominum et superbiam atque arrogantiam a vobis procul abigite et prohibete atque abjicite a vobis omnem contumeliam et convitia, quae in vobis acciderint, ut omnia et singula verba mendacia ac falsa esse comprobare haud solliciti studeatis **); sed potius, cum vituperamini, laudate; cum iniqua sustinetis, super iniqua agentes bene cogitate semper et in omni tempore et pro iis omnibus, qui vos exagitant et opprimunt, deprecamini et orate Dominum et honorem pro contumelia retribuite iis, qui vos injuria afficiunt; et cum haec ita feceritis et impleveritis in justitia, mereamini illam beatitudinem, quam Dominus noster edixit: Beati vos, cum vituperaverint vos et persecuti vos fuerint et dixerint de vobis omne verbum malum mentientes; gaudete tunc et exultate, quia merces vestra multa est in coelo. Atque etiam in alio loco dixit; Orate pro illis, qui in violentia vos ducunt et persequuntur vos, ut sitis filii Altissimi. Et sanctus Apostolus dixit: Nolite dare locum irae, sed vincite in bono malum, servum enim Dei non decet esse litigiosum, sed oportet, ut sit mansuetus et humilis erga omnem hominem. Et adhuc alio in loco dixit: Regnum Dei non habetur per cibum et potum, neque per contradictionem et discordiam, sed per pacem, quietem et charitatem et concordiam Spiritus Sancti: neque serviatis passionibus ferarum propriis et naturae extraneis,

*) Hic expositio arabica inseritur, quae versio literalis syriacae rubricae non male dici potest.

**) Versio arabica e margine adjecta hanc periodum ita exponit: et nullum omnino verbum mendax a vobis prolatum audiatur, sed imo, si quis vobis maledixerit, gratias agite.

dico scilicet de ira ferarum propria et ebrietate vini, quae mensuram et rectum ordinem praetergreditur, de voracitate, de inani gloria, luxuria, tyrannide, amore pecuniae, ventris concupiscentia; desideria autem temporis et confusionis contemnentes, rapinam bonorum, et horum raptores, qui modo existunt, sine murmuratione et sensu sustinete; ad haec spernite et sustinete omnia tormenta mortem inferentia, ipsam etiam mortem quieti sustinentes; et cum in his omnibus fueritis parati ad sustinendum ea, quae vobis acciderint, alacriter adeo, ut ne in uno quidem verbo simplici rei sitis, neque in cogitatione veritatem orthodoxam deseratis, aut ab amore illius separamini et alieni sitis. Amodo cum tenemur providere et dirigere supplementum omnium defectuum Ecclesiae, gaudentes in potestate vestra et vestro ad Deum accessu, vocamus vos et ducimus et promovemus ad sacrum altare et ad ministerium divinorum sacramentorum, sperantes, quod sufficientes et digni futuri sitis vocatione hac sancta Dei, ad quam vocati et promoti estis. Vestrum igitur est modo, et vobis imposita est obligatio, ut recte satagatis et diligenter impleatis omnia ea, quae Deo placent, sed et pro acto honore retribuatis charitatem honorantibus et promoventibus vos. Ego autem aliam etiam obligationem impono vobis supplicatione charitatis, non coactione, ut quandocumque imponetis jugum Christi super colla et accedetis ad hoc sanctum ministerium, memores sitis meae imbecillitatis coram Deo. Attendite etiam, dilectissimi, ne propter verbum, quod audistis dictum a nobis, in judicio enim et vindicta periculum eorum erit, qui admoverunt vos*), vocet vos cogitatio indisciplinata et ad vitam mollem atque remissam vos trahat, ad implenda desideria carnis, existimantes, quod vobis peccantibus ab aliis peccatorum vestrorum ultio exigatur. Nolite errare, sed bene scitote, quod aequum et justum est judicium Dei, qui in veritate et justitia reddet unicuique juxta opera ejus: et ipsi sit gloria ac super nos misericordia ipsius in saecula Amen.

Episcopus convertitur ad altare et dicit:

Gratias agimus tibi, Domine noster Jesu Christe omnipotens et omnium Domine, quia multiplicasti erga nos misericordiam tuam, ut visitares infirmitatem nostram et ditares paupertatem nostram nosque errantes revocares et habitaret in nobis sanctitas tua nobisque placaretur miseratio tua ac in nobis voluntas tua impleretur. Etiam nunc confitemur et adoramus divinitatem tuam et tuam gratiam supplices oramus, quae super servum tuum hunc episcopum N. descendit et per ejus illapsum consummatus est, precamur et obsecramus te, ut perficias cum eo donum tuum plenum vita et facias eum in domo tua oeconomum fidelem et pro altari tuo ministrum perfectum et in medio Ecclesiae tuae dispensatorem purum, et elige nos et illum in bonum et virtute tua averte mala a nobis et dignos nos effice per tuas aeternas miserationes, qui adstemus tibi cunctis diebus vitae nostrae sine reprehensione ulla, et moribus praeclaris ac bonis operibus possideamus fiduciam coram te, ut audeamus et confiteamur Genitori tuo et dicamus ac oremus.

---

* Paraphrasis arabica habet: Scilicet, quod vindicta erit iis, qui vos promoverunt.

Et dicunt: Pater noster, qui es in coelis.

Diaconus: Capita nostra Domino inclinemus.

Pastor:

Domine Deus spirituum et universae carnis, qui sedes in pulcherrimo throno magnitudinis tuae in excelsis altissimis et abyssos infimas introspicis; convertere ad servos tuos infirmos et peccatores, qui colla sua tibi humiliaverunt, benedic eos dextera tua plena omnibus benedictionibus, et custodi eos virtute tua inexpugnabili, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo et ab omnibus fraudibus ejus et a laqueis ac operationibus ejus, quoniam tuum est regnum et virtus et laus in saeculum saeculorum. Amen.

Archidiaconus: Ipsi Deo gloria.

Pastor orationem completorii:

Pater bone et Domine misericors, cujus miserationes expansae sunt super omnes illos, qui invocant te in fide et charitate; expande propter benignitatem tuam miserationes tuas super hunc populum, qui in nomine tuo congregatus est, et funda nos atque confirma dextera tua potenti et brachio tuo excelso a nequitia hominum malorum et ab adversariis atque a tentationibus inimici, a gladio, captivitate, fame et peste et ab omnibus malis flagellis, et concede nobis secundum gratiam tuam pacem, tranquillitatem et sanitatem cunctis diebus vitae nostrae, et quietem praesta defunctis fidelibus; et in mansionibus lucis, in locis sanctis, in Hierusalem coelesti cum omnibus, qui placuerunt voluntati tuae, inhabitare jubeas animas obdormientium, qui ex hac congregatione exierunt cum vera in te fide, et dignos redde nos servos tuos peccatores, qui suave tuum jugum portavimus et domestici etiam tui conscripti fuimus et nomen tuum sanctum invocatum est super nos, ut in pietate ac justitia stemus coram te cunctis diebus vitae nostrae sine macula et reatu atque pure et sancte ministremus altari tuo sancto et in justitia proficiamus atque talentum, quod a te accepimus, negotiemur ac superlucremus multa duplicia et in die tremenda adventus tui laeti occuramus tibi portantes lucra bonorum operum nostrorum; atque tecum ingrediamur ad thalamum attollamusque gloriam et confessionem nomini excelso Trinitatis sanctissimae, Patri, Filio et Spiritui Sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Chirotonia patriarcharum.

Item ordo sublimis chirotoniae laudandae in consummatione perfectionis charismatum sacerdotalium spiritus deificantis, per quam patriarchae electi ordinantur in suo gradu primo in celsitudine suprema, et metropolitani ac episcopi in suis gradibus per manus patriarchae inthronizantur.

Primum autem nobis convenit modum ostendere electionis et ordinationis patriarchae, hoc est Patris principum. Quando itaque illius, qui eligitur in Spiritu Sancto, facta fuerit electio per commune votum totius Ecclesiae Dei, dignoscitur divina esse, quemadmodum per magnum Dionysium praedocuit Spiritus Sanctus; convenit, si fieri possit et per tempus licuerit, ut omnes episcopi, qui in Ecclesia Dei reperiuntur in toto orbe, praesentes adsint in synodo seu concilio: quodsi vero multi legiti-

mas ob causas impediantur ab adventu in synodum, horum consensus praecedat oportet et mittatur cum his, qui ad synodum veniunt.

Et parato praefecto synodi cum 12 plus vel minus episcopis convenientibus, quique consensum reliquorum religiosorum (episcoporum) habeant, promovent patriarcham ipso ordine chirotoniae, hoc est, iisdem precibus et ministeriis, quibus patriarcha promovet metropolitas, et episcopi ordinent illum, quia una est virtus et unum est donum pontificatus, gradus autem distinguuntur ordinibus suis. In chirotonia ergo patriarchae tria ejusdem propria sunt. Primum eo, quod forte seu consensu omnium episcoporum eligitur et hoc demonstrat, eum esse patrem communem totius Ecclesiae et patrem patrum. Secundum autem invocatio Spiritus Sancti, quae adscribitur Clementi, quam inferius describemus, super patriarcham tantum dicitur ab episcopis eum consecrantibus. Tertium hasta, hoc est pastorale pedum tenendum est ab omnibus episcopis, ab unoquoque juxta antiquitatem suam, et deinde assumitur dextera ejus, qui in patriarcham eligitur, et super manus omnium collocatur: hoc demonstratur, quod ex voluntate et consensu totius Ecclesiae, in qua bene complacuit Spiritui Sancto, tradita illi sit potestas unica super omnes ordines Ecclesiae sanctae Dei et ideo, quando scribet manu sua et publice recitabit scripturam suam juxta legem, definitionem confessionis orthodoxae servare se debere declarat, aequitas enim ac recta ratio postulat, ut servet canones apostolicos, suscipiat patres probatos, quatuor synodos et reprobet ac detestetur haereticos nominatim ac seipsum tradat labori et sollicitudini pro pace et conservatione totius Ecclesiae Dei et vocet ac reducat schismaticos ad fidem atque his similia promittat; non autem scribit, nec ullatenus debet dicere, se subditum fore mandato alicujus ex eorum numero, qui ipsum consecrant, quemadmodum illi sunt ipsi subjecti, quoniam nullo omnino modo possunt eum judicare, nisi lapsus fuerit in confessione orthodoxa. Quomodo autem promoveatur et ordinetur patriarcha, edicimus.

Post tertiam ingrediuntur episcopi omnes cum praefecto synodi ad altare et adducunt electum et imponunt capiti ejus cucullum novum et induunt eum alba et orario inferiori et manipulis et imponunt ei amictum, deinde casulam, praefecto synodi una cum omnibus episcopis simul omnia tangente. Deinde praeses synodi et omnes insimul religiosissimi metropolitani et episcopi procidunt in terram coram vocato et dicit praeses: Spiritus Sanctus vocat te, ut sis patriarcha, hoc est pater antistitum super civitatem magnam Antiochiae et ditionis totius throni apostolici, id est pater omnium nostrum. *Vocatus tunc genuflectit coram illis ac dicit:* Consentio et accepto.

Episcopi erigunt illum ac statuunt in parte interiori in ipso altaris ambitu et praeses synodi vel unus e senioribus celebrat sacrum, et post oblationem adducunt vocatum et consistit ante altare amictu indutus, et incipit unus e senioribus ac dicit orationem principii, cumque hymni cyclici recitantur, unusquisque episcoporum orationem dicit, quae ipsi a communitate patrum designatur; et ita ordinatim quisque recitat ac ministrat, prout ei praescribitur, ut omnes participes fiant ipsius ministerii. Alter dicit orationem, alter precem remissionis (seu prooemium), alter lectionem; et post totum officium omnes imponunt manus suas super caput illius, qui ordinatur, tempore impositionis manus, et omnes dicunt oratio-

nem invocationis Spiritus et eo tempore, quo tradunt ei baculum, omnes illum tenent unusquisque secundum antiquitatem suam et statim apprehendunt dexteram promovendi tempore impositionis manus eamque elevant super manus omnium, ita ut ipse verticem baculi teneat, et ita consummatur ac perficitur pater patrum).*

Oratio principii, quae recitatur super patriarcham.

Gloria Patri. Praesta nobis, Domine Deus, ut pure et sancte stemus coram altari tuo sancto, tuam misericordiam exorantes, ut sis nobiscum et inter nos, nobisque largiaris effusam tui divini doni opem in hoc etiam instanti, ita ut secundum voluntatem tuam perficiamus ministerium perfectionis hujus principis sacerdotum et attollamus.

Kyclion tono (ἦχος) tertio, dicunt psalmum hunc.[1]

Domine, in virtute tua laetabitur rex. Alleluja, et in salutari tuo exultabit valde.

Et respondent: Desiderium cordis ejus tribuisti ei, Alleluja, et praeparatione labiorum ejus non prohibuisti eum.

Et mutant illi, qui incoeperunt.

Quia praevenisti eum in benedictione bona, Alleluja et Alleluja, et posuisti in capite ejus coronam gloriosam.

Et dicunt hanc stropham (stanza):

Tu Deus Verbum, qui apparuisti cum Patre super illum montem Sinai et in mysterio Moysi levitae dedisti legem cultus ministerii, temporis; tu in coenaculo Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum et perfecisti atque consummasti eos, ut mirabiliter praedicarent, et fecisti eos magis clamare et dicere: Sacerdotes omnes, benedicite, laudate, confitemini summo pontifici veritatis Christo in saecula.

Respondent: Vitam petiit a te et dedisti ei, Alleluja et Alleluja, longitudinem dierum in saeculum saeculi.

Et si libuerit, canant dicentes:

A te fluit sanctitas, sanctus es et pontificatus per te traditus est. Tu es acceptator victimarum de manibus sacerdotum, servorum tuorum, et condonator delictorum ad te revertentium. Tu per miserationes tuas concedis et peccatum totius mundi per occissionem tuam deletum est, o Agne Dei. Sacerdotes omnes benedicite, laudate et confitemini summo pontifici veritatis Christo in saeculum.

Magnus factus est in salutari tuo, gloriam et decorem posuisti super eum.

Item dicunt antiphonam stichon:

Salomon in proverbiis loquens, quisnam est, dixit, dilectus tuus, pulchra, quo valde gloriaris; dilectus meus electus ex multis millibus, cujus vinea Israel est, albus prae vite Jacob et rubens prae unguento nardi,

---

[1] M Primum dicit clerus hunc hymnum: quia Dominus est spes nostra. Tunc locutus est in visionibus cum justis suis, sanctis suis; et exaltavi electum de populo meo. Propter hoc unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae et gaudii, excellentius, quam participes socii tui. Reliqua omnia desunt usque ad lectionem Actuum.

*) Arabica adjicitur expositio, in qua explicantur ea, quae syriace et latine retulimus, pro iis, qui syriacae linguae ignorantia laborant.

subtilis prae cedris Libani, similitudo est Dei, quem laudamus, quoniam laudabilis est.

In eodem. Quia fecisti eum in benedictionem in saeculum saeculi et laetificasti eum laetitia vultus tui.

Stropha. Mysterium hoc Samuel mystice designavit, dum accessit et de cornu unctionis filium Isai unxit; cum autem vidit Davidem in similitudine illius, qui venit, ut incarnaretur, dixit, quod unxisset eum in similitudine Domini, qui solus est sanctus et hominum amator.

Gloria Patri et Filio. Stichon.

Adjuravi vos, filiae Hierusalem, per cervos prophetas cives vestros et per capreas errantes in campis, Apostolos, qui evangelium praedicaverunt, ne excitetis, neque evigilare faciatis vocibus vestris objectum amoris mei; sinite dilectum meum dormire usque dum velit; myrrha et aloe me unxit: transiit hyems et imber abiit et advenit aestas resurrectionis. Gloria tibi, Deus hominum amator, a creaturis tuis.

Unus episcoporum orat dicens:

Renova in nobis quotidie deposita tua divina et splendores donorum tuorum spiritualium, Spiritus Sancte et omnia sanctificans; et per te ac a te illuminemur et decoremur donis tuis coelestibus et sanctis. Nunc.

Kyclion tono quarto. Canon.

Eructavit cor meum eloquia bona: Alleluja et Alleluja, et dicam opera mea regi.

Respondent: Lingua mea calamus scribae sapientis, Alleluja et Alleluja, cujus aspectus pulcher est prae filiis hominum.

Variant illi, qui coeperunt.

Diffusae sunt gratiae super labia tua, idcirco benedixit te, Deus, in aeternum. Alleluja et Alleluja.

Stropha. Cum se insinuasset et opertus fuisset nube ille impeditioris linguae, velociter pronuntiavit legem a Deo scriptam, cum excussit illusionem corporis, etiam a mente sua tum incrementa sumsit et mysteria edoctus fuit per Sancti Spiritus scientiam et ordinavit divino modo laudes.

Respondent: Accingere gladio super femur tuum potentissime, decor tuus et gloria tua magna est, Alleluja et Alleluja.

Stropha: Dixit illud os terribile, sanctum et gloriosum; non sit in vobis, qui separet et prohibeat amicos et socios meos, quia ecce ego sum super thronum gloriosum, in quo cum Patre sedeo et effundo ipsum donum Spiritus Sancti super illos, qui desiderant eo illuminari.

Gloria Patri et Filio.

Super montem cum ascendit Verbum veritatis, aspectu suo glorioso implevit corda eorum; cum perfecisset opere sermones suos, laetificavit dilectos suos flatibus validis, quoniam in forma linguarum ignis distribuit Spiritum Sanctum Christus, sicuti pollicitus fuerat.

Oratio. Deus, qui perfecisti Apostolos tuos Spiritu tuo, nos etiam instrue charitate tua et infirmitatem nostram veritate tua praecinge; et imple mentes nostras et conscientias lumine sancto tuo coelesti, Pater et Fili.

Psalmus tono septimo: Deus judicium tuum regi da. Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Respondent: Ut judicet populum tuum in justitia. Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Stropha. Christe, praecepisti discipulis tuis dicens: Donec induamini virtute ab alto, vos permanete in urbe Hierusalem; ego enim alium Paraclitum similem mihi, Spiritum meum Sanctum et Patris, mittam ad vos, quo confirmabimini et confortabimini. Spiritus, cujus virtute conceptus est universorum Dominus, in ventre mundo prophetarum, et apparuit etiam super terram. Spiritus ille salutis, qui a Patre procedit et per Filium super nos fideles descendit et requievit et est dator vitae ac sanctitatis omnibus illis, qui in vera fide digni fuerunt illum suscipiendi. Gratia illa, qua repletus fuit Isaias propheta a Deo pacis, eadem nobis etiam concessa est. Te Christum Deum novimus: Tu enim solus terram et inimicitiam mortalem, quae cum Patre erat, mutasti sanguine tuo pretioso, quem effudisti pro salute nostra.

Episcopus orat: Gratia perfecta Spiritus Sancti implevisti corda sanctorum Apostolorum, Christe Deus, et promissionem illis factam adimplevisti per illapsum Sancti Spiritus; praesta nobis, ut ejus divinis charismatibus ac virtute ipsius illuminatrice et salutari repleamur. Nunc.

Psalmus tono octavo. Memento, Domine, David et omnis humilitatis ejus. Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Stropha. Aperi os meum in proverbiis tuis sapientia plenis, explana et doce, ut meditetur judicia tua. Tu, Domine, qui aperuisti coelum, debilem linguam meam dulcedine imbuito verbo tuo vivifico, et meditari me fac pretiosos concentus legis tuae sanctae. Tu enim, et non est alius sanctus extra te, omnium Domine. Benedicite pueri mundi aequales numero Trinitati creatrici saeculorum Deum Patrem, confitemini Verbo, quod descendens venit pro salute nostra et commutavit flammam cum Spiritu roris refrigerantis. Populi omnes benedicite et confitemini nomini datoris vitae omni spiritui, Spiritui omnia sanctificanti semper et in saecula saeculorum.

Gloria Patri. Qui est absconditus et super omnia elevatus, cui ministrant sine intermissione angelorum ministeria; laudate eum pueri in religione praeclara, sacerdotes eum benedicite omni momento, populi confitemini illi et benedicite nomini ejus in saeculum saeculorum.

Unus episcopus ponit suavitates et thuribulo incensat altare ac totam ecclesiam, duo autem sacerdotes ac duo diaconi cum luminaribus et flabellis ipsum circumstant ad honorem; et alius episcopus dicit prooemium.

Laus incomparabilis et non intermissa essentiae prae omnibus essentiis excelsae et omnem essentiam creatrici; confessio non interrupta bonitati excedenti omnem bonitatem et donatrici donorum perfectorum, adoratio mentalis divinitati trinae in personis sanctis et Dominae sanctitatum, cujus splendoribus illuminantur omnes virtutes angelicae et purificationibus ab ipsa ordinantur in suo pontificatu intellectuali. Quae, et ipsa est illa, quae perficit pontifices et exornat sacerdotes, donat formas et obsignat sacramenta divina, quae suscipit sacrificia et largitur dona spiritualia; quae sublimiter in ecclesiis supernis fideliter et mentaliter glorificatur et in ecclesia, quae est hic, mystice celebratur et exaltatur ab episcopis, sacerdotibus et ministris suis, quae in Patre ingenito et Filio genito ac Spiritu procedente cognoscitur et adoratur ab omnibus virtutibus intellectualibus et sensibilibus. Cui convenit.

Ordo. Deus, qui supra omnem comparationem et formam exsistis et absconditus es ab omni mente creata, Pater aeternus Verbi Dei geniti et aeterni ac fons essentialis Spiritus procedentis et essentialis, qui largitor es omnium principalium charismatum et donorum bonorum. Tu es, qui bonitate essentiali et incomparabili virtutes intellectuales et naturas primus ad esse ex non esse adduxisti et confirmasti, et cum pulchritudinem ordinis convenientis mentibus intellectualibus administratoriis incorporalibus tribuisses, etiam locupletasti eas purificando, illuminando et perficiendo donis tuis divinis, ut juxta ordinem summi sacerdotii emundarentur et emundarent, illuminarentur et illuminarent, perficerentur et perficerent et ad elevationem, quae ducit ad perfectionem luminis gratiae tuae, sublimarentur. Et nos terreni ac humo devincti suspiramus in hac hora sanctissima consummationis hujus sacerdotalis ministerii sancti, ut eadem bonitate ubique effusa et omnia locupletante convertaris benigne et clementer ad deprecationes nostrum servorum tuorum infirmorum, quibus credidisti assistentiam pastoralem et dedisti ministerium sanctum doni perfecti, et charismata perfecta Spiritus tui illius boni et distributoris divinorum thesaurorum servis tuis largiaris, qui modo coram te inclinati ad te habitatorem coeli oculo mentium suarum suspiciunt; et dum debita erroresque eorum transfers veluti nubes et veniam ac emundationem tribuis eis, qui per nostram tenuem mediationem accesserunt ad te, reple eos clementia gratiae tuae et splendoribus tuis illustra mentes eorum. Complaceat tibi itaque, o Domine, in accessu illorum ad te ac suscipe eos, ut ministerium exhibeant domui tuae sanctae ac purae, et quemadmodum benignus acceptasti ministeria sanctorum tuorum, quos a saeculo segregasti et praeposuisti officio ac ministerio sanctorum tuorum sacramentorum ineffabilium, quales fuerunt Moyses et Aaron, illi gloriosi inter pontifices, et Samuel, ille electus et celeberrimus, et Isaias, ille spectator gloriae tuae, et Jesus ille magnus et Josedech et in fine beati Apostoli, illi spectatores et ministri evangelii Unigeniti tui, Verbi Dei, qui novissime Spiritu tuo Sancto mundati ministerium evangelicum ac plenum gratia spirituali susceperunt; simili etiam modo hos servos tuos suscipe, in eis tibi complaceat et perfice eos dono tuo sanctissimo juxta virtutem vocationis eorum ad ministerium et conversationem coram magnitudine tua, ut dum per hos gradus divinos a virtute in virtutem elevantur, et mysteriis eruditi et eorundem magistri inerrantes effecti beati sint, et ita crescente Ecclesia tua et bono illius ordine divinis donis adaucto omnes ordines et status eorum, qui ministrant, offerant tibi laudem perpetuam verbo et opere et tecum ipsi unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo ac Spiritui Sancto et vivo. Nunc.

Et dicunt tono. Ego Ego.

Cum suscepissent Apostoli donum Spiritus Sancti Paracliti, egressi docuerunt et praedicaverunt in orbe creato fidem veritatis et ordinarunt gradus sacerdotii et in eo constituerunt pastores, qui oves Christi in aequitate et justitia pascerent usque ad finem et consummationem. Benedictus sit, qui magnificavit gradus sacerdotii in terra et sursum in coelo eique dedit potestatem magnam in altitudine ac profunditate et omnibus, quae in eis sunt; et ecce in medio Ecclesiae propagatur et celebratur per summum sacerdotium in gradibus altis et inferioribus ministrorum, sacerdotum, pontificum ac pastorum.

Acceptatio. Christe, virtus et sapientia Patris, qui obtulisti te ipsum pro nobis in odorem suavitatis et victimam acceptabilem et unxisti ac replesti suavitate odoris tui spiritualis animas juvenculas*) amantes tui, suscipe cum suavitatibus istis laudes et confessiones nostras, et gratiam tuam copiosam huic servo tuo coram te prostrato largire, ut caliginem scientia carentem ab ovibus tuis pellat et super candelabrum evangelicum in praeclara cathedra apostolica splendeat ac laetus tibi tradat talentum cum duplicatione fructuum. Domine Deus noster, tibi gloria in saecula.

Patriarcha: Pax vobiscum.

Populus: Et cum.

Clerici dicunt hymnum:

Quia Dominus est spes nostra et sanctus Israel rex noster, tunc locutus est in visionibus cum sanctis suis et dixit: Posui auxilium viro et exaltavi electum de populo. Ideo unxit te, Deus, Deus tuus oleo laetitiae et jucunditatis prae consortibus tuis.

Psalmus. Exalta me.

Surge illuminare, quia venit lumen tuum, Ecclesia sancta fidelis, clamavit Isaias, filius Amos, sponsae, quam desponsavit filius regis. Exornentur filii tui in medio tui, sicut Aaron et Eleazar; sacerdotes autem et pontifices, sicut Melchisedech pontifex gloriosus. Armentur et instruantur in te antistites tui, sicut Petrus et Joannes, et laudent Dominum, Dominum tuum, sicut Thomas et Philippus.

Et unus ex episcopis legit Acta.[1] **)

Ex Actibus Apostolorum sanctorum.

1. Charissimi, postquam praecepit Apostolis, quos elegit in Spiritu Sancto, iis, quibus se ipsum manifestavit, dum viveret, postquam passus est in signis multis per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei, et cum manducaret panem cum eis, praecepit eis, ut de Jerusalem non discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis a me, quia Joannes baptizavit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post dies multos. Illi igitur cum congregati essent, interrogaverunt eum, dicentes ei: Domine noster, num hoc tempore restitues regnum Israeli? Dixit eis ipse: Non est vestrum hoc, nosse tempus aut tempora ea, quae Pater posuit in potestate sua; sed cum venerit Spiritus Sanctus super vos, accipietis virtutem et eritis mihi testes in Jerusalem et omni Judaea atque etiam Samaria et usque ad fines terrae.

2. Et cum orarent, dixerunt: Tu Domine, qui nosti, quod est in cordibus omnium, ostende unum illum, quem ex his duobus eligis ut ipse accipiat sortem ministerii Apostolatus, a quo discessit Judas, ut ab-

---

[1] M Unus autem ex episcopis legit Acta. Dilecti, postquam praecepit Jesus Apostolis etc. Est eadem fere lectio atque apud A, aliquibus tamen versibus vel versuum partibus omissis, quibusdam etiam aliter adaptatis: nempe Act. 1, 2 med. — 9. 24—26; 2, 1. 2. 4 med. 14. 22. 33. 39; 6, 2—6; 8, 14. 15. 18—21 med.; 12, 25; 13, 2—4.

*) Scilicet juvenum, qui instituuntur.

**) Expositio arabica adjecta sonat, quod in ordinatione patriarchae omnes episcopi concurrere debeant ad illam, et unusquisque eorum legat partem ex Actibus Apostolorum et epistolis Pauli, ut disponitur.

iret in locum suum. Et jecerunt sortes et ascendit super Matthiam et adnumeratus est cum XI Apostolis.

3. Et cum congregati essent omnes simul, factus est repente sonus de coelo velut spiritus vehementis, et repleta est eo omnis domus, in qua sedebant, et apparuerunt eis linguae, quae dispertiebantur velut ignis, et sederunt super singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sanctitatis et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat eloqui illis.

4. Postea surrexit Simeon Cephas cum XI Apostolis et elevans vocem suam dixit eis: Viri filii Israel, audite haec verba: Jesus Nazarenus homo, qui a Deo erat, et visus est apud vos in virtutibus et signis et praeclare factis, quae Deus fecit in medio vestri per manum ejus, sicuti vos nostis. Hunc ad hoc segregaverat Deus in praescientia et voluntate sua et accepit a Patre promissionem de Spiritu Sancto et effudit hoc donum, quod videtis.

5. Vobis enim facta est promissio et filiis vestris et omnibus longinquis, quos ipse Deus vocabit.

14. Et vocaverunt XII Apostoli universum populum et turbam discipulorum et dixerunt eis: Non est bonum, nos relinquere verbum Dei *et usque* et crescebat numerus discipulorum in Hierusalem valde.

23. Et cum audissent Apostoli, qui erant in Hierusalem, quod accepissent Samaritani verbum Dei *et cetera usque* quia cor tuum rectum non erat coram Deo.

36. Barnabas autem et Saul reversi sunt ex Hierusalem Antiochiam, postquam consummaverunt suum ministerium *et cetera usque* et cum introissent Salaminam urbem, annuntiabant verbum Domini nostri.

Ex epistola 2. Petri num. 54[1].

Charissimi, propterea praecingite lumbos mentium vestrarum et vigilate perfecte *et cetera usque* ut cum apparebit princeps pastorum, accipiatis ab eo coronam gloriae immarcescibilem.

Et episcopus alter legit Apostolum in epistola prima ad Timotheum num. 138[2].

Frater mi, hoc praeceptum commendo tibi secundum prophetias antiquas, quae factae sunt de te, ut per eas ministres ministerium hoc bonum in fide et conscientia bona.

140. Fidelis est sermo. Si quis desiderat presbyteratum, opera bona desiderat *et cetera usque* qui enim ministraverint, gradum bonum ipsi sibi acquirent et fiduciam multam in fide Jesu Christi.

142. Fidelis est sermo et omni acceptione dignus, haec doce et praecipe *et cetera usque* ad revelationem Domini nostri Jesu Christi, quem manifestaturus est Deus benedictus, cui gloria et imperium in saecula. Amen.

---

[1] M deest titulus; annectit autem lectionem ex epistola Petri lectioni ex Actibus per haec verba: Et dixerunt eis: Fratres accingite etc. I Petr. 1, 13, 15, 16. Vobis itaque data est gloria ista, qui credidistis. Dixit autem eis Petrus. Rogo ego presbyteros etc. 5, 1—4. — [2] M iterum legit episcopus alius (non alium) Apostolum ex epistola ad Timotheum. Fratres. I Tim. 1, 18. 19 med.; 3, 1—7. 13; 4, 9. 11. 12. 14. 16 med.; 5, 1—3. 19—22; 6, 11—14, qui est judicaturus vivos et mortuos: ipse est, cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

Antiphona. Alleluja et Alleluja, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae sociis tuis, Alleluja[1].

Patriarcha legit evangelium stans super gradum, qui est ante mensam vitae, et facie ad occidentem conversa. Et accedit ordinandus facie ad orientem conversa capite inclinato, et ponitur evangelium super humeros et collum ipsius promovendi usque ad finem lectionis evangelicae). Legit evangelium Math. 40.*

In illo tempore, cum venisset Jesus in regionem Caesareae Philippi, interrogabat discipulos suos *et cetera usque*: Tunc praecepit discipulis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Christus.

*Post haec sedet patriarcha super thronum suum et unusquisque episcoporum secundum gradum suum; et tunc episcopi praesentant promovendum, qui consistet ad latus altaris australe, et jubente patriarcha**) legit syngrapham a se scriptam, quod non sit transgressurus canones praescriptos; postea eandem syngrapham seu volumen confessionis fidei patriarchae tradit, ut conservetur [2]***).*

Ego humilis talis, filius talis, Dei miseratione et electione hujus sanctae synodi vocatus ad sublimem patriarchalem dignitatem impar licet meritis, firma fide credo corde et ore coram Deo et coram sancta hac synodo, quod Deus Dominus meus, Creator omnium creaturarum sit unus in essentia et trinus in personis. Quod Pater ingenitus et expers alterius causae ab aeternitate genuit Filium, qui genitus a Patre instar verbi mentis genitor non est, et quod Spiritus Sanctus non est genitor nec genitus, sed procedens a Patre et Filio instar voluntatis. Hi autem tres, etsi Deus unus sint in natura et substantia, operatione et voluntate, eorum tamen unusquisque habet personalitatem propriam, per quam a ceteris discernitur, ut Pater alius sit a Filio, et Filius alius sit a Patre, et Spiritus Sanctus alius sit a Patre et Filio, et iidem tres unus Deus sint, unus rector et unum nostrae adorationis objectum. Item credo, quod Filius Dei persona secunda, ut genus humanum a diaboli servitute et perditione mortis liberaret, corpus nostrum induerit et homo factus sit similis nobis in omnibus praeter peccatum, et quod ipse una sit persona, unus Domi-

[1] M Postea dicitur laudatio, et patriarcha legit evangelium; reliqua rubricae desunt. — [2] M Post lectionem autem evangelii sedet patriarcha super thronum suum et unusquisque episcoporum secundum gradum suum. Tunc offerunt ei illum, qui ordinatur. Stat autem versus alam altaris ad latus dexterum; et cum jubet patriarcha, legit volumen confessionis, quod prius manibus suis ipse scripserat. Et quum tradidit patriarchae volumen quod scripsit, ut illud conservetur, episcopi adducunt eum coram altari, et flectit ambo genua habens super se ornatum presbyteratus sui. Deinde cidarim (syriace est Maznaphtho) ab eo detrahunt usque ad tempus suum.

*) Arabica expositio adjecta idipsum declarat.

**) Vel librarii error est, qui loco patriarchae scribere debebat: praeside synodi; vel eadem promotio aptanda est metropolitanis, qui jussu patriarchae hanc fidei professionem emittere debent, quae a patriarcha asservanda est.

***) Arabica expositio habet: Post lectionem sancti evangelii patres in suis sedent locis et duo ex iis adducunt electum ad cornu altaris australe et hic legit formulam fidei, quam sequentibus verbis is propria scripsit manu.

nus et unus Christus perfectus in duabus naturis et voluntatibus et operationibus divina et humana, sine confusione aut mixtione.

Item credo, quod Dominus Salvator per mortem suam in carne super crucis patibulum genus humanum Deo Patri reconciliaverit, abolita enim idololatria et legis ritu sublato, tradidit nobis benignus legem evangelicam et Ecclesiae sacramenta ad salutem et haereditatem vitae aeternae omnibus custodientibus illa.

Item affirmo et profiteor me amplexurum et impleturum omnes canones apostolicos et definitiones synodorum quatuor, quae fuerunt coactae Niceae, Constantinopoli, Ephesi et Chalcedone et aliarum sanctarum synodorum, quae in Spiritu Sancto congregatae fuerunt in reliquis partibus universi habitabilis: quidquid ab illis reprobatum est, reprobo, et quidquid receptum fuit, suscipio.

Item suscipio et veneror patres sanctos Ecclesiae columnas, Sylvestrum, Julium, Coelestinum, Leonem et Agathonem, Romanae sedis antistites; Ignatium, Eustathium, Flavianum et Joannem Maronem, Antiocheni throni praesules; Athanasium, Cyrillum, Alexandrinae sedis pontifices; Gregorium, Joannem Chrysostomum et Ignatium, Constantinopolitanos pontifices; Sophronium, Juvenalem, sedis Hierosolymitanae episcopos.

Item Basilium, Jacobum Nisibenum, Ambrosium Mediolanensem, Ephrem et Isaac Syros et ceteros patres electos, qui sanctis suis doctrinis et magnis laboribus Ecclesiam Dei confirmarunt, destructis novitatibus et haeresibus, quas haeretici disseminarunt, scilicet Manes, Sabellius, Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, Petrus Fullo, Severus, Petrus Apameensis, Acacius, Sergius et Macarius et reliqui novatores, qui schismata in Ecclesiam Dei invexerunt. Illos ergo anathematizo et reprobo, uti et abominor omnes eorum pertinaces asseclas antiquos et recentes. Postremo promitto, me veneraturum et obtemperaturum principi pontificum, sedis Romanae antistiti electo, secundum canones ecclesiasticos hodie et in futurum, et ejus legibus inhaesurum sicut patres, qui nos in gratia praecesserunt in hac sancta Antiochena sede, meque caritate et honore ejus legatos et decreta prosecuturum, neque consensurum omnino in iis rebus, quae illum in vita vel in honore laedant, meque omnem operam navaturum pro pace et stabilitate Ecclesiae Dei totius. Ad confirmationem autem hujus promissionis et professionis meae scripsi hanc syngrapham charactere manus meae, et Deum fidejussorem eorum, quae dico, constituo. Datum in loco N. anni N. die tali mensis N., et Deo gloria in aeternum.

Tum accipiunt ab eo volumen et custodiunt ipsum in archivo sedis.

Item dicunt secundum officium[1].

Oratio principii. Deus Spiritus Paraclite, qui divinis donis tuis terrenos fecisti coelestes et dispensatores fideles ac prudentes, exaudi nos etiam nunc invocantes te et illabere super servos tuos, qui exspectant donum tuum coeleste, et attollemus.

---

[1] M Tunc patriarcha surgit a sede sua et accedet in conspectum altaris; incipitque ministerium secundum.

Et dicunt responsorium psalmi Miserere mei, *ex ordine superiori usque ad:* Laudate Dominum in sancto ejus[1]. *Et incipit patriarcha ac dicit prooemium*[2].

Laus unica et in splendoribus triplex, commendatio unica et trina in radiis, exaltatio unica ac in luminibus triplex, uni lumini de lumine et fonti luminis et a quo lumen accipiunt virtutes supernae et intelligibiles illuminantes atque illuminatae et sunt icon et exemplar Ecclesiae nostrae terrestris; qui lumine scientiae suae et donis Spiritus Sancti illuminavit suos divinos Apostolos et cognitione mysteriorum suorum sanctorum eosdem perfecit, eisque concredidit potestatem charismatum spiritualium, ut illis exornati splendescerent illi, qui a Spiritu Sancto eliguntur et perficiuntur per manus eorum atque consummantur dono, quod a conspectu Patris luminum descendit et per illapsum Spiritus Sancti conceditur. Ad quem suspicimus supplicatione, quae ex corde offertur, ut aperiat nostris precibus portam suarum miserationum et hunc electum per manus nostras perficiat et impleat atque vas utile gloriae suae constituat in Ecclesia sua sancta, adeo ut in ejus puro ministerio sibi complaceat eumque ut dilectum suscipiat de manibus nostris; qui illum promovemus, quique pro dono ipsius nobis concesso confitemur et adoramus et glorificamus in hoc momento et in omnibus momentis.

Ordo. Supplices fundimus preces purae suavitati miserationum tuarum in omnibus effusarum et prae omnibus sublimium in omni tempore, Domine Dominus noster, misericordia plene, creator, factor et conditor omnium. Tu, Deus noster, qui ab angelis adoraris et laudaris perpetuo et a summis sacerdotibus religiose coleris ac stupende et divine trinis sanctificationibus sanctificaris a Seraphim atque cum tremore, uti Dominus, exaltaris et glorificaris ab omnibus agminibus virtutum spiritualium et immaterialium, tu, inquam, exaudi nos terrenos et in pulvere detentos in hoc sancto instanti, quoniam hominum amator es, et summa tibi est cura filiorum hominum. Tu enim clemens et multae bonitatis per miserationes, quae naturaliter tibi insunt, voluisti, ac tibi complacuit, ut laudis spiritualis, quam benigne coelestibus elargitus es, participem efficeres nostram humanam ac corpoream naturam. Quoniam autem Apostolis sanctis, quos elegisti, credidisti ordines coelestes, typum illorum, quae per Moysen et prophetas praesignata fuerunt mystice atque in umbra; per Filium vero tuum dilectum Dominum Deum ac Salvatorem nostrum Jesum Christum tradidisti veritatem manifestam atque consummatam lucem Simoni vertici apostolico et Apostolis electis et per eos toti Ecclesiae sanctae usque ad consummationem saeculi. Eja, Domine, etiam modo per easdem tuas miserationes et per eandem tuam benignitatem da, concede et dignum fac servum tuum istum, qui suscipiat donum magnum summi sacerdotii, ac sit rector bonus et antistes strenuus ac pastor spiritualis tui benedicti gregis. Complaceat tibi, Domine, in iis, qui illum praesentant, neque nos repellas nec abomineris, eo quod indigni sumus; verum miserationibus tuis visita nos, gratia tua suscipe deprecationem nostram, te ad nos inclina et imple ac perfice servum tuum istum vas

---

[1] M Dum autem precatur, dicunt hymnum Miserere. — [2] M Patriarcha vero dicit ordinem.

ad ministerium tuum, emundans eum ab omnibus iniquitatis et peccati sordibus; sanctitate et puritate animae et corporis ac spiritus nitore bonisque moribus illum exorna, in fide orthodoxa ipsum confirma, ne haeretico commercio contemptus fiat ac despectus; concede ei, Domine Deus, ut humili corde accedat ad hoc angelicum ministerium atque in timore et tremore exerceat opus sanctum tuorum divinorum mysteriorum, ut in eis inveniat redemptionem perfectam vitae suae et expiationem debitorum ac veniam peccatorum universi gregis tui rationalis et sacerdotalis, qui occulto divinitatis tuae judicio eidem concreditus est, gratia et miserationibus Filii tui ac Spiritus tui Sanctissimi, boni, adorandi, vivificantis tibique consubstantialis. Nunc.

Hymnus tono Protegite nos [1].

Laudate Dominum in sancto ejus. Sanctus, qui habitaculum suum demisit in monte Sinai ipsumque sanctificavit; habitatio tua descendat super servum tuum atque benedicatur tua providentia. Laudate eum in fortitudine ejus. Inclinavit se Altissimus super montem Sinai et manum suam demisit super Moysen, et Moyses illam Aaroni imposuit ac deducta est ad Joannem.

Laudate eum in tympanis. Spiritus Sanctus, qui descendit super Apostolos in coenaculo, ipse veniat, descendat et maneat super servum tuum per manus impositionem.

Gloria. Spiritus, qui locutus est per prophetas et venit ac illapsus est super Apostolos, ipse adveniat, illabatur et maneat super servum tuum, Domine, qui sanctificetur.

Gloria Patri. Gloria Patri sancto, qui sanctum suum Filium misit et per Spiritum suum Sanctum dat sanctitatem sanctis.

A saeculo.

Bone, qui tradidisti Apostolis tuis potestatem altitudinis et profunditatis, habitaculum tuum manere fac in servo tuo, qui coram te est inclinatus et sanctificetur.

Oratio thuris. Dignitati gloriae magnitudinis tuae altissimae in sua natura obtulimus has suavitates, quae per fumum thuribuli elevantur et ex profundo terrae limosae et a motibus mentalibus super palmas intellectus acuti visus offeruntur ad placandam majestatem tuam. Tu ergo bone et suavis et hominum amator, donis divinorum charismatum tuorum animas peccatis inquinatas emunda et sanctifica et hunc, qui per nos vocatus est, perfice et imple gratia tua, ut cum illo talento, quod a dominatione tua ei traditur et cum lucris videtur duplicari, augeantur illi et nobis cum istis praesentibus etiam futura, et gloriam ac honorem attollemus tibi Patrique tuo et Spiritui tuo vivifico. Nunc.

Et prosequitur ipse patriarcha hanc orationem pro seipso inclinatus.

Domine Deus virtutum, qui nos in sorte ministerii hujus constituisti, qui mentes hominum nosti et corda scrutaris ac renes, exaudi nos propter miserationes tuas et emunda nos ab omni inquinamento carnis et

---

[1] M. Unus autem ex episcopis antiquioribus circumit cum thuris suffumigatione et altare et universam ecclesiam, eumque comitantur duo presbyteri, et duo diaconi cum luminaribus et flabellis, dicuntque: Sanctus, qui majestatem suam habitare facit super montem.

spiritus. Transfer peccata nostra velut nubem et veluti nebulam iniquitatem nostram, reple nos clementia tua sanctissima et gratia unici Filii tui ac operatione Spiritus tui, dignos nos fac, qui simus ministri Testamenti Novi, ut possimus, sicuti congruit nomini tuo sancto, adstare coram te et sacerdotio fungi myteriorum tuorum divinorum; ne permittas, nos participes fieri peccatorum alienorum, verum et haec nostra dele, atque da nobis, Domine, nihil inordinate agere, quin et tribue nobis scientiam ad eligendos et offerendos tibi dignos.

Extollit vocem suam.

Et suscipe principem principum ac perfice servum tuum hunc, qui hic adest et exspectat donum coeleste, quoniam suavis es et multum misericors omnibus te invocantibus, et fortis est potestas tua ac unici Filii tui et Spiritus tui Sancti. Nunc.

Et tunc episcopi adducunt promovendum ante altare eumque presbyteratus casula et amictu spoliant usque ad tempus, promovendus autem genu utrumque flectit facie ad orientem conversa. Deinde patriarcha stans super gradum, qui ante altare est, facie ad occidentem versa dicit:

Pax vobiscum.

Populus: Et cum.

Et praecipit patriarcha uni episcoporum ac dicit:[1] *)

Gratia divina, quae infirma sanat et defectus implet cuique cura est de Ecclesia, vocat et promovet N. amantem Dei super benedictum gregem Antiochiae civitatis Dei[2]. Oremus igitur omnes, ut veniat super eum gratia et illapsus Spiritus Sancti, et clamemus ac dicamus ter: Kyrie, Kyrie, Kyrie.

Patriarcha[3] *manus suas ponit super corpus et super calicem et orat inclinatus:*

Eja Domine, dignum eum fac vocatione summi sacerdotii, ut mereatur per tuam benignitatem, sicut congruit nomini tuo, tibi ministrare et altari tuo sancto et pascere gregem tuum pure, sancte et juste.

Et dum perficit, manus ejus cooperiunt velo, et extollens vocem dicit:

Et consequatur haereditatem sanctorum tuorum per miserationes unici Filii tui, per quem et quocum attollemus tibi gloriam et confessionem ac Spiritui tuo vivo et Sancto.

Et convertitur ad electum ac demittit super caput ejus (manus scilicet) easque ei committitur (seu accomodat), duo autem episcopi manibus suis sustinent sanctum evangelii librum[4] *super manus patriarchae: alii*

---

[1] M Patriarcha dicit: Pax vobiscum. Populus: cum spiritu tuo. Tunc patriarcha jubet uni ex episcopis, ut alta voce hoc edictum pronuntiet (et proclamat proclamationem hanc). — [2] M deest Antiochiae civitatis Dei. — [3] M hanc rubricam, omissis orationibus, cum duabus sequentibus in unam conjungit, pauca coaptans, ceteroquin eodem tenore reddens. — [4] M add. apertum.

*) Arabica expositio sonat, quod duo episcopi electum deducere debent ac illum spoliare praedictis vestibus; tum synodo praefectus uni episcoporum praecipit, ut manu capiti ejus imposita dicat sequentem orationem. Cetera autem consonant rubricae syriacae.

vero sustinent flabella super evangelium. Et tunc patriarcha elevat manus suas et expandit brachia sua et[1] *demittit tribus vicibus super caput illius, qui ordinatur. Tum vero episcopi super manus patriarchae elevant ac deprimunt evangelium*[2] *et alii flabella super evangelium commovent. Patriarcha autem orat inclinatus*) ac dicit precationem invocationis Spiritus Sancti.*

Deus, qui virtute tua omnia coelestia fecisti et orbem fundasti voluntate Unigeniti tui, qui dedisti nobis intellectum veritatis et notum nobis fecisti Spiritum tuum benignum, Sanctum ac principalem, qui dilectum Filium tuum, Verbum Jesum Christum, Dominum gloriae largitus es pastorem et medicum animabus nostris et sanguine ejus pretioso constituisti Ecclesiam tuam et in ea posuisti totum sacerdotalem ordinem, nobisque tribuisti directores ad hoc, ut placeremus tibi per agnitionem nominis Christi tui, quam multipliciter effudisti super universum orbem. Tu mitte super hunc servum tuum Spiritum Sanctum et spiritualem, ut pascat et visitet oves sibi concreditas, utque ordinet sacerdotes, constituat diaconos et consecret altaria et ecclesias et benedicat domos faciatque invocationes efficaces; sanet, judicet, gubernet, liberet, solvat, liget, exuat, induat, figat, segreget, et omnem potestatem sanctorum tuorum da illi, quam dedisti Apostolis unigeniti Filii tui, ut sit princeps principum gloriae in honore Moysis, in gradu Aaron, in virtute discipulorum tuorum sanctorum, in operatione Jacobi sancti, in sede patriarcharum, ut confirmentur populus tuus et oves haereditatis tuae per hunc servum tuum, da illi sapientiam et scientiam et doceat voluntatem dominationis tuae ac peccata dignoscat sciatque definitiones justitiae ac judicium et dissolvat adinventiones profundas et solvat omne vinculum iniquitatis.

*Item alia oratio invocationis Spiritus Sancti, quae est Clementis: recitatur solum, cum ordinatur patriarcha: interpretatio ex libro Clementis de electione pontificis. Die Dominica suscipiat manus impositionem omnibus congregatis et consentientibus ordinationi illius et ponentibus super eum**) cum omnibus presbyteris et episcopis; et ablutis primum manibus taceant in timore sursum corda habentes in silentio: debent autem episcopi congregati singuli manus imponere super eum sic dicentes:*

Imponimus manus nostras super servum Dei istum, qui electus est in Spiritu ad statum firmum et religiosum Ecclesiae, cujus principatus monarchicus est atque indissolubilis, indefectibilis est ac invisibilis Dei,

---

[1] M add. elevat et. — [2] M cum manibus patriarchae attollunt evangelium super manus illius (patriarchae) deprimunt(que) illud.

*) Arabica expositio habet: Conversus ad electum manus suas motitat super caput ejus, tum duo episcopi tenent librum evangelii apertum super manus ejus, duo vero flabella commovent super evangelium. Deinde attollit manus suas, extendit brachia et iis elatis ac depressis motitat super caput electi idque tribus vicibus, quod faciunt et episcopi ter attollentes ac deprimentes super manus ejus et alii episcopi flabella super evangelium commoventes.

**) Expositio arabica idem sonat: sed addit claritatis causa, quod interea episcopi manus suas super caput electi impositas habere debeant.

datoris judiciorum verorum et sanctarum revelationum divinorumque charismatum, dogmatum fidelium Trinitatis per crucem, per resurrectionem, incorruptibilatem in Ecclesia sancta Dei, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Post haec unus episcopus praeceptum habens ab episcopis reliquis imponat super eum manus dicens invocationem ipsiusmet ordinationis sanctissimae.

Inclinatio. Deus, qui omnia in virtute fecisti et firmasti ac fundasti conceptu mentis orbem habitabilem, qui ornasti coronam omnium rerum a te factarum, qui dedisti nobis in timore custodire mandata tua, qui tribuisti nobis intellectum veritatis et manifestasti nobis Spiritum tuum illum bonum, qui Filium tuum dilectum misisti unicum Salvatorem nostrum immaculatum pro redemptione nostra, Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in puris altis habitas perpetuo, qui es altissimus, laudabilis, terribilis, magnus et omnia videns, qui omnia, antequam fiant, nosti, apud quem omnia, antequam sint, jam erant *), qui illuminationem dedisti Ecclesiae per gratiam unigeniti Filii tui, praedefiniens ab initio illos, qui cupiunt aequitatem et faciunt, quae sancta sunt, habitare in mansionibus tuis **); qui elegisti Abraham, qui placuit tibi in fide, et Henoch sanctum thesauro vitae donasti, qui principes et sacerdotes ordinasti in sanctuario tuo altissimo, Domine; qui vocasti eos ad laudandum et glorificandum in loco gloriae tuae nomen tuum et Unigeniti tui; Domine Deus, qui non reliquisti sublime sanctuarium tuum sine ministerio ante constitutionem mundi; sanctuaria tua exornasti et decorasti principibus (pontificibus) et sacerdotibus fidelibus juxta formam coelorum tuorum. Tibi, Domine, etiam placuit modo laudari in hoc servo tuo, et dignum effecisti eum, praeesse populo tuo; illumina eum et effunde super eum gratiam et intelligentiam Spiritus tui principalis, quam tradidisti dilecto Filio tuo, Domino nostro Jesu Christo; da ei, Deus, sapientiam laudabilem, fortitudinem, virtutem, unitatem spiritus ad faciendum omnia per tuam cooperationem. Concede ei, Deus, Spiritum tuum Sanctum, qui datus fuit sanctis tuis, confirma Ecclesiam tuam puram et sanctam et omnem locum tuum sanctum, largire etiam, Domine, ut servus tuus iste, qui placuit tibi, sit ad enarrationem gloriae et laudem incessabilem, ad glorificationes perfectas et tempori aptas, ad orationes acceptas, postulationes fideles, cogi-

---

*) Hisce expressionibus futurorum praesentia in aeternitate Dei significatur, qua de re vid. Eminentissimum Card. Aguirre in Theol. disp. 44. sect. 3. et S. Th. I. p. q. 14. art. 13.

**) S. Th. I. p. q. 23. art. 5. — dicendum ergo, quod effectum praedestinationis considerare possumus dupliciter et uno modo in particulari, et sic nihil prohibet aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem quidem prioris secundum rationem causae finalis, priorem vero posterioris secundum rationem causae meritoriae, quae reducitur ad dispositionem materiae. Sicut si dicamus, quod Deus praeordinavit, se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod praeordinavit, se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari praedestinationis effectus in communi et cetera.

tationes rectas, cor humile, ad actionem vitae et humilitatis ac veritatis, ad scientiam rectitudinis. Pater, qui nosti corda omnium, effunde virtutem tuam super hunc servum tuum, quem elegisti ad patriarchatum, ut pascat universum gregem tuum sanctum et summo sacerdotio fungatur sine querela, die ac nocte tibi ministrans, et concede, ut illi appareat facies tua, eumque dignum redde, qui tibi attente et cum omni timore offerat oblationes Ecclesiae tuae sanctae, et impertire ei totam potestatem, quam dedisti sanctis Apostolis tuis, ut potestate Spiritus tui solvat omnia ligamina, quemadmodum iisdem Apostolis tuis concessisti, et ut placeat tibi in pura humilitate, caritate illum imple, scientia, discretione, disciplina, perfectione, magnanimitate cum puro corde, dum orat pro populo, dum contristatur pro his, qui stulte agunt, eosque ad auxilium trahit, dum offert tibi laudes et confessiones ac orationes in odorem suavitatis per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum dilectum, per quem tibi gloria, honor et imperium una cum Spiritu tuo Sancto ab aeterno et nunc et omni tempore et in generationem generationum et in saecula infinita. Amen.

Et dum perficit, conversus ad altare extollit vocem suam.

Quia tu es dator bonorum et largitor scientiarum et charismatum divinorum, tibique laudem attollimus, Pater.

Et conversus ad populum dicit:

Pax vobiscum.

Populus: Et cum.

Inclinatus:[1] Respice in nos, Domine, et in ministerium nostrum et munda nos ab omnibus inquinamentis, concede de coelo gratiam summi pontificatus servo tuo, ut dignus sit per donum tuum, qui sine reatu pascat oves tuas et stet pro Ecclesia tua.

Extollit vocem suam:

Quia, Deus, volens misericordias es tibique convenit ab omnibus honor et adoratio et Filio ac Spiritui Sancto. Nunc.

Episcopi elevant ac removent ab eo evangelium et patriarcha) signat eum pollice in fronte voce dicens:*[2]

Ordinatur in Ecclesia sancta Dei.

Respondent episcopi:

N. patriarcha[3] pro ecclesia sancta civitatis Antiochiae[4] dioecesis benedictae.

Patriarcha repetit praeconium dicens:

N. patriarcha pro ecclesia sancta orthodoxorum praenominata. In nomine Patris † Amen et Filii † Amen et Spiritus Sancti † Amen[5].

---

[1] M Et dum consummat precatur iterum. Pax vobiscum. Populus, et cum spiritu tuo. Postea patriarcha sese inclinat. — [2] M deinde cum redierit ad eum, qui ordinatur, episcopi attollunt evangelium et avertunt ab eo. Patriarcha signat eum et dicit. — [3] M episcopus et metropolita. — [4] M: N. — [5] M deest haec iterata proclamatio.

*) Arabica expositio adjecta habet: Et praeses synodi ad invocationem Trinitatis ter illum in fronte signet.

Et ad unamquamque invocationem crucem format super frontem ejus, et tunc patriarcha (seu praeses synodi, ut Arabica expositio adjecta habet) erigit eum dextera sua, uno ex episcopis interea praedicante et ter dicente: Kyrie Ologhion*), *ac populo ter pariter respondente:* Kyrie eleison. *Tunc patriarcha imponat super caput ejus cidarim et dicit:*[1]

In laudem et gloriam et honorem et exaltationem Trinitatis sanctae et consubstantialis et in securitatem ac aedificationem Ecclesiae sanctae Dei.

Et respondent post eum episcopi et clerus universus eodem tono[2]**). *Deinde accipit patriarcha planetam et induit eum dicens:* In laudem; *tum orarium dicens:* In laudem, *et mithram ter motitans super caput ejus ac dicens:* In laudem, *idem post eum respondentibus.*

Tunc admovent thronum et dicitur lectio: In laudem. *Dum is, qui promotus est, sedet in throno, collocatur autem ita, ut facies ejus versa sit ad occidentem, deinde episcopi et presbyteri apprehendunt thronum attolluntque eum ter, et unaquaque vice incipit patriarcha et respondent post eum omnes atque dicunt:* Axios, dignus et justus[3]***). *Tum si ordinatus sit patriarcha, stans legit evangelium et quoties dicit illa:* Ego sum pastor, *clamat populus:* Dignus et justus est. *Si autem ordinatus non fuerit patriarcha, unus ex episcopis legit evangelium.*

Evangelium ex Joanne num. 26.

In illo autem tempore respondit Jesus et dixit: Amen, Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile *et cetera usque:* numquid daemonium potest oculos caeci aperire[4].

Et in fine sedet in throno usque dum dicant Litaniam et reliquas orationes et unus ex episcopis intonat:[5]

---

1 M. Tunc apprehendit patriarcha manum ejus dexteram, ut erigat eum, et unus ex episcopis clamat et dicit: Kyrie ologon et respondent: Kyrie eleison. Tunc patriarcha imponit super caput ejus cidarim et dicit. Formula sequens integra est etiam apud M. — 2 M Respondent episcopi et universus clerus. — 3 M ea, quae ad induendum ornatum referuntur, singillatim non habet, sed ita pergit post impositum Maznaphtho: Postquam autem vestivit eum, tunc deducunt eum ad sedem throni, atque ita collocant eum, ita ut facies ejus sit versus occidentem. Deinde apprehendunt episcopi et sacerdotes sedem ejus attolluntque eum et circumducunt tribus vicibus et unaquaque vice incipit patriarcha, dignus, et respondent post eum: Dignus et justus. — 4 M loco istorum omnium, quae ad evangelium legendum referuntur, habet: Tunc unus ex episcopis legit evangelium. — 5 M et post evangelium alius (unus) ex episcopis alta voce pronuntiat haec verba (proclamat proclamationem hanc).

*) Male scripta est in codice haec formula graeca, quae latine sonat: „Domine, benedic", unde scribenda erat: Κύριε εὐλόγησον.

**) Idem arabica expositio sonat.

***) Arabica expositio habet: Ubi electum collocarunt in supremo gradu altaris super sedem pretiosam, episcopi et sacerdotes illum in sede elevant et circumducunt tribus vicibus. Et unaquaque elevatione synodi praeses canat una cum episcopis Ἄξιος, quae graeca vox retenta in syriaco textu est, ac exponitur dignus et justus, quod idem post illos canunt ministri altaris et populus.

Stemus recte omnes in oratione cum attentione et vocibus, quae Deum nobis placatum reddant.

Pro Ecclesia sancta et unica catholica, apostolica, quae est a finibus orbis terrarum usque ad fines ejus, Dominum rogemus[1]. Ut sine scandalo, sed a gratia electio sit, Dominum deprecemur. Pro N. isto patriarcha[2], qui adstat, Domino supplicemus. Pro firma stabilitate ejus[3] Domino supplicemus. Ut placeat Deo, sanctos oremus. Pro ecclesia, quae ipsi commendata est, Dominum rogemus. Pro honestate et decore vitae ejus et ejus tranquillitate et humilitate et scientia recta Deum oremus. Ut nos omnes dignos reddat victoria vocationis supernae, Dominum deprecemur. Omnes pro omnibus et pro invicem studiose Dominum rogemus.

Patriarcha conversus ad altare dicit orationem gratiarum actionis inclinatus:[4]

Gratias agimus tibi, Domine omnipotens, in omnibus et pro omnibus, et laudamus atque glorificamus nomen tuum sanctum, quia magnificasti facere nobiscum et effudisti gratiam tuam super hunc servum tuum; precamur itaque et obsecramus te, Domine, exaudi nos propter multitudinem miserationum tuarum, complaceat tibi in chirotonia ista summi sacerdotii, quae facta est super famulum tuum religiosissimum N. per adventum Spiritus tui Sanctissimi, adde super hanc vocationem electionem, sanctitatem et gratiam bonitatis tuae et da illi, ut superaddat talento, quod accepit.

Et extollit vocem:

Ut cum omnibus illis, qui a saeculo placuerunt tibi et fecerunt voluntatem tuam, accipiat mercedem oeconomorum fidelium et prudentium in adventu Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, cum quo tibi convenit gloria, honor et potestas, una cum Spiritu tuo Sanctissimo, bono, adorando, vivifico tibique consubstantiali. Nunc.

Et iterum convertitur patriarcha ad illum, qui promovetur, manum ejus apprehendens illumque erigens e sede. Et affertur baculus, cujus summitatem apprehendit patriarcha sive praeses synodi, et subter manum patriarchae apprehendit eum unusquisque ex episcopis juxta ordinem suum et subter hos omnes apprehendit eundem baculum ille, qui promovetur; et patriarcha dicit alta voce cum cantu:

Virgam fortitudinis mittet tibi Dominus ex Sion et dominaberis inimicis tuis.

Et post eum respondent episcopi et omnes clerici[5]. *Et accipiens praeses synodi dexteram patriarchae elevat eam super omnium episcoporum manus, ita ut singuli teneant baculum sub ejus manu quisque in ordine suo; et iterum secundo et tertio dicit patriarcha.* Virgam fortitudinis. *Et elevat dexteram ejus, qui promovetur, super dexteras omnium, qui prosequuntur, dicentes* τὸ Virgam *et cetera. Et per hoc ostenditur magis,*

[1] M add. Pro hac congregatione nostra a Domino petamus. — [2] M episcopo; deest N. — [3] M add. et timore Domini, qui est in Spiritu Sancto. — [4] M Patriarcha orationem dicit eucharisticam. — [5] M hanc rubricam inde a verbis: affertur baculus, et formulam: Virgam etc. integras eodem tenore habet; desunt autem mox sequentia, quae ad patriarchae consecrationem peculiariter referuntur.

quod ex voluntate eorum cum voluntate Sancti Spiritus data est ei potestas super omnes et super totam Ecclesiam: et tum relinquunt baculum in manu ejusdem promovendi et postea admovent illum mensae vitae [1], *cui aurem inclinanti submissa voce dicit praeses synodi**):

Ecce stas in conspectu Dei et coram altari ejus propitiatorio et coram coetibus sanctorum angelorum et hominum horum circumstantium, et verbum promissionis et definitionis Dominicae coram eis pollicitus es, quod vere est foedus et testimonium bonorum operum, quae exigit a te vocatio divina haec, ad quam vocatus es per manus nostrae humilitatis. Quamobrem adjuro te per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum et angelorum coetum, ut pure ac sancte te ipsum custodias et consulas gregi huic tibi commisso, satagens ex tota virtute tua pascere illum juxta legem apostolicam non accipiens personas, nec mercede vendens Deum, aliquid (scilicet) accipiens pro chrismate aut pro sacra tabula aut pro chirotonia, et exinde reus exsistas in tuo ministerio, quod, oramus Deum, ex similibus laesionem nullam patiatur. Si autem ausus fueris et conculcaveris conscientiam tuam ac deturpaveris fidem tuam et offenderis in ordine apostolico, tu rationem dabis Deo in die judicii, et nos amodo innocentes sumus a damnatione tua. Oramus, ut concedat tibi Dominus, ut te ipsum exhibeas victimam puram et sanctam et gregem tuum illustres et enutrias moribus puris et sanctis et laetifices Deum ac humilitatem nostram in custodia sancta ejus, quod accepisti.

Et hanc orationem recitat:

Deus, qui elegit Moysen servum suum et per manus ejus fecit signa et prodigia in regione Aegypti, qui etiam Davidem elegit de gregibus ovium ac de post foetantes accepit eum, pascere Jacob populum suum et Israel haereditatem suam, qui divinos Apostolos elegit et praecones evangelicae annuntiationis fecit ac per manus eorum signa gloriosa patravit et omnia prodigia; ipse etiam nunc apprehendat manum tuam dexteram et pascat tecum gregem rationalem tibi commissum, instruens te artibus probati pastoris et bene dirigentis, et complanet ante te omne asperum et offendiculum per orationes Deiparae Mariae, divinorum Apostolorum, patrum sanctorum et doctorum orthodoxorum in saecula, Amen.

Et statim unus episcoporum intonat Litanias clero universo assistente coram altari cum silentio [2]. *Post Litaniam vero inchoant cantica alicujus doctoris, quibus nominatim exornetur et commendetur ordinatus et patriarcha ac episcopi* [3]**).

[1] M et post haec adducunt eum ad mensam vitae. Precatur autem patriarcha. — [2] M add. Et alternant cum (antiphona): Christe Deus omnium nostrum. — [3] M haec pars altera rubricae ponitur post litaniam.

*) Arabica interseritur expositio pro captu eorum, qui syriacam linguam ignorant; uti et e margine adjicitur expositio admonitionis et orationis seqq.

**) Hoc ipsum arabice expositum legitur. Dicitur autem commendari patriarcha, siquidem iste fuerit ordinator, et chirotonia sit metropolitani; si enim fuerit patriarchae inthronizatio, tunc is nomine patriarchae venit, qui praeses synodo est.

Christe Deus omnium nostrum[1], qui in personis scilicet et in proprietatibus notionalibus distinctus, non divisus, trinus intelligeris, in aequalitate autem substantiae, in natura, honore, potestate ac voluntate[2], una divinitate, unicus crederis et cognosceris, Pater aeterne a saeculis et Fili genite sine principio ac Spiritus Sancte, non quantus in qualitate, una Unitas, quae in Trinitate adoratur, Trinitas in Unitate ab omnibus intellectualibus et sensibilibus cum confessione creditur; oramus te, Domine Deus, exaudi nos[3 *]).

Christe Deus omnium nostrum, cui in coelestibus sublimibus throni scilicet sedes stabiles cum timore et tremore ministrant, quin tamen majestatem tuam intueri audeant. Quique in terra summos sacerdotes nostros communicatione dignatus es, quum sacerdotio suo spirituali fungentes specie ejus maxima delectantur; atque etiam te in volis suis circumferunt, dum coelum et terra nutu voluntatis tuae consistunt. Precamur.

Christe Deus omnium nostrum, qui cum Patre possides et cum Spiritu Sancto substantialiter divinitatem et principium deificationis illuminativum; et propter tuum erga homines amorem cum hominibus conversatus es et summus pontifex noster appellatus es et ministerium hoc summi sacerdotii hominibus terrenis tradidisti, quos ministros conferentes et imitatores summi sacerdotii coelestis eosque deificantes atque perficientes super terram declarasti. Supplicamus.

Christe Deus omnium nostrum. Tu, qui piscatoribus scientiam dedisti et idiotas illustri apostolico cursu decorasti et magnificasti, summum sacerdotem istum, quem elegisti, ut oves tuas pasceret, dirige et erudi etiam divinis tuis donis, ut flumina spiritualia secundum veram tuam promissionem diducat, et oves tuas rationales abundanti effusione potus spiritualis alat et enutriat. Deprecamur.

Christe Deus omnium nostrum. Tu, qui Apostolos tuos sanctos instar solis in mundo exhibuisti et terram universam per rete doctrinae suae attraxerunt et ad lumen cognitionis verae theologicae admoverunt, tu (*inquam*) summum sacerdotem istum illustra et magnifica, ut eos, qui in tenebris ignorantiae sedent, illuminet et ad lumen scientiae transferat. Adoramus.

Pro securitate et concordia totius mundi fidelis et pro conservatione ecclesiarum et monasteriorum et bono pastorum statu, atque ut avertat Dominus Deus a terra et incolis ejus omnes plagas et virgas furoris; et pro defunctis, qui ex aqua et Spiritu nati sunt et in orthodoxa fide ad te discesserunt, et pro populo isto in nomine tuo sancto nobiscum congregato, deprecamur. Concede nobis, Christe Deus noster, ut pro isto mystico sacerdotali ministerio, quo dignos nos reddidisti licet immerentes, digni efficiamur dono illo, quod est perfectio omnis perfectionis, atque ut in ecclesia primogenitorum coelestium ministerio magno

---

[1] M Stemus pulchre omnes ante eum. — [2] M deest et voluntate. — [3] M Oramus. Christe.

*) Sequentes strophas hujus litaniae, cum in suo codice deessent, ex codice Morini syriace et latine nova versione edidit Assemanus p. 252.

sacerdotali fungamur et laudem aeternam cum choris angelicis offeramus et cum omnibus sanctis spirituali gaudio gestientes clamemus et ter dicamus: Kyrie eleison.

Praeses synodi et episcopi dant ei pacem et adducunt eum ad fores altaris, ibi populum benedicit baculo, qui in manu ejus est, signum crucis ter ducens: et reliquus coetus osculantur manum dexteram ejus benedictionem recipientes, et postea mysteria vivifica suscipiunt, et oblationem (sacrum missae) perficit is, qui promotus est, atque praeses synodi commendat seu dimittit populum solemnibus formulis[1].

Ordinationes Nestorianorum.

(Ritus ordinationum, quibus Nestoriani utuntur, ordinaverunt Marabas I. patriarcha, qui anno 552. defunctus est, Jesujabus Adjabenus patriarcha (650—660), teste Ebedjesu in catalogo (c. 74. p. 140), Cyprianus episcopus Nisibis, qui claruit anno Christi 767, testante eodem Ebedjesu (c. 74) et denique Gabriel metropolita Bassorae circa annum 884. Horum nomina praeferre solent pontificales libri Nestorianorum, ut codd. Vat. 18. et 19. et cod. 11. Amidensis. Quae omnia sunt ex Bibl. Orient. T. III. P. I. p. 113. not. P. II. p. 661, 788. In codice, quo usus est Badger, tribuuntur ordinationes saltem lectorum, subdiaconorum, diaconorum et presbyterorum Cypriano metropolitae Nisibis, Jesujabo patriarchae et docto Mar Israel Utrum haec corrupta sit lectio loco Gabrielis inducta, decidere non possumus. Occurrit autem inter celebriores Nestorianos duplex Israel, quorum alter magister fuit in schola Maris, deinde monachus, episcopus Cascarae, metropolita Mosulanus, denique 962. patriarcha creatus, eodem anno nonagenarius obiit (Bibl. Orient. T. III. P. I. p. 199, 618); alter vero, episcopus Cascarae qui fuit et anno 877. obiit, inter scriptores refertur, quod librum de fundamentis fidei ediderit (Ibid. p. 512. sq.). Primus Morinus in opere suo de sacris ordinationibus Nestorianorum ordinationes ex codice Vaticano syriace et latine edidit, in nonnullis tamen pro eorum temporum conditione, in quibus linguarum orientalium studia vix ex incunabilis progrediebantur, minus correctam versionem exhibuit. Quae jam a Renaudotio (Perpetuité l. 5. c. 7 sqq.), ubi de Nestorianorum ordinationibus agebat, ex parte sunt castigata. Post vero Assemanus senior Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 667. sqq., ex eodem quo Morinus usus fuerat codice alteroque, easdem syriace latineque edidit, sed ut plurimum nonnisi quoad

[1] Assemanus ex codice Morini rubricam post litaniam sequentem ita reddit: Post litaniam vero incipiunt et dicunt hymnos cujusdam ex doctoribus, cujus nomine insignitur is, qui impositionem manus accepit. Tum patriarcha et episcopi dant ei pacem, reliqua vero congregatio benedicitur dextera ejus (scilicet dexteram ejus osculantur ceteri et ita benedictionem ab eo accipiunt). Postea illum adducunt ad portam altaris, ubi universum populum obsignat baculo pastorali et populus ab eo benedictionem accipit et sanctorum mysteriorum participatione donatur.

rubricas, formulas praecipuas orationumque initia. Tum junior Assemanus integras in Codicis Liturgici Ecclesiae universae Tomo XIII. edidit suique patrui fere intactas notas addidit. Denique anglice textum ordinationum edidit G. Percy Badger in sui operis: The Nestorians and their rituals Lond. 1852. T. II. p. 322. sqq. Nos Assemani junioris versionem hic recudimus, additis variantibus quibusdam senioris Assemani et Badgeri, cujus collationem superaddimus. Morini versionem plane transmisimus, quod mendosa sit in quibusdam eodemque codice usi fuerint Assemani. Adhibuerunt autem ad ordinationes ut infra edimus, usque ad ordinationem sciaharae exclusive, codicem Vaticanum inter Amidenses 11. scriptum a. 1701. Romae a Josepho I, Chaldaeorum patriarcha. Ordinationes diaconissae, sciaharae et chorepiscopi ex codice Syriaco Vaticano 19. a Josepho, Indorum metropolita, saeculo XVI. mediante scripto. Perfectio episcopi a catholico desumpta est ex codice Vat. Syr. 18. descripto ab eodem Josepho in Masambich urbe apud Aethiopiam a. 1556. ex eo codice, quem Abrahamus, in coenobio Achae in Zebedaea insula scholae magister, a. 1529. exaraverat. Qui codex ille est, quo usus fuerat Morinus. Hunc et Amidensem 11. senior Assemanus ad edendum ritum consecrationis patriarchae adhibuit.)

1. Ordinationes Nestorianorum ex Assemanis.

Ordinatio lectorum, subdiaconorum et diaconorum.

Virtute Domini nostri Jesu Christi incipimus scribere impositionem manus diaconorum *), Domine noster adjuva me et ad perfectionem perducito. Amen.

Primum accedunt ordinandi coram episcopo, qui tondet eorum capillos et cingulo praecingit lumbos eorum **). *Ipsi autem stant ante cancellos* ***). — *Episcopus vero altare ingreditur et incipit:*[1] Pater noster, qui es in coelis[2]: *Archidiaconus statuit ordinandos ante gradus cancellorum, sublatis exterioribus eorum vestibus, junctisque manibus, tomos lectionum et oraria uno ex diaconis gestante. Tum archidia-*

[1] A incipiunt. — [2] Badger: Gloria in excelsis etc. Pater noster.

*) Nota. lectoratum, subdiaconatum et diaconatum simul conferri a Nestorianis. Unde hic in titulo ponuntur diaconi, licet proxime sequatur ordinatio lectoris.

**) Exuunt exteriores vestes, qui lectores ordinantur, omnes eas, quae supra cingulum gestari solent; nam inter laicos adhuc numerantur, nec ullam sacrarum vestium usurpare illis fas est, antequam ad lectoratus ordinem promoveantur.

***) Cancellos altaris nequaquam ingrediuntur. Et quidem tres gradus ante portam sanctuarii seu ante cancellos altaris sunt: in quorum infimo collocantur lectores, cum ordinantur; in medio hypodiaconi, et in supremo diaconi, qui statim ad sanctuarium introducuntur et coram ipso altari impositionem manus accipiunt.

conus alta voce proclamat: Pax nobiscum. *Episcopus dicit:* Virtus tua, Domine Deus noster, perficiat per manus infirmitatis nostrae, et adimpleat per exiguitatem nostram[1] ministerium hoc spirituale conlationis sacerdotii, quod per gratiam nobis concreditum est. O largitor donorum spiritualium[2] Domine omnium, *Et respondent:* Amen.

Et incipit praesul:

Confitemini Domino et invocate *tono Peregrinus*[3]*; usque ad:* in universa terra. *Et dicunt:* Gloria: *qui sunt intus; qui vero extra, repetunt*[4]*. Praesul autem genuflectit coram throno, donec absolverint. Absoluto vero prooemio, non precatur praesul, sed salutat altare, et extra egreditur, pedum pastorale manu tenens, statque super gradum inferiorem; et pedum suum tradit archidiacono. Tum archidiaconus intonat:* Pax nobiscum.

Praesul autem submissa voce dicit:

Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore id, quod defecit, supplet, beneplacito Dei Patris et virtute Spiritus Sancti, sit semper nobiscum et per manus mediocritatis nostrae perficiat ministerium hoc tremendum et sublime in vitae nostrae salutem.

Et vocem attollit. Nunc et semper et in saeculum saeculorum. *Et signat seipsum ac respondent:* Amen. *Archidiaconus clamat:* Lectores ordinantur; orate pro eis[5]. *Et elevat eos ad primum gradum. Praesul autem submissa voce (quiete) dicit hanc benedictionem, manum suam capitibus eorum imponens.*

Sanctifica[6] hos servos tuos, Domine Deus fortis et omnipotens. *Repete*[7]. Et elige eos electione praestante per multitudinem gratiae tuae, eosque per tuam misericordiam dignos effice, quibus credatur lectio librorum sanctorum et verborum divinorum coram populo tuo electo in Ecclesia tua sancta, dum conservantur sine macula cunctis diebus vitae suae per gratiam et miserationes unigeniti Filii tui, cui, et tibi, et Spiritui Sancto gloriam et honorem et confessionem et adorationem referamus. *Et vocem attolit:* Nunc et semper. *Et signat ordinatum ab anteriori parte faciei ad posteriorem per medium capitis et a dextera ad sinistram**). *Respondent:* Amen. *Archidiaconus tradit praesuli oraria complicata, qui illa super eorum brachia expandit extensas manus tenentium, et tradit eis unum ex tomis lectionum, aut unam ex duabus partibus libri vitae***).

---

[1] Deest apud B. et adimpleat usque ad nostram. — [2] B. addit omnium. — [3] A. deest tono Peregrinus. — [4] A. add. confitemini Domino et invocate tono Peregrinus. — [5] A. add. Si unus ordinandus est, utatur numero singulari. — [6] B. Benedic. — [7] B. deest *repete*.

*) Timotheus II. patriarcha saec. XIV. ineunte, l. de sacramentis ecclesiae c. 1. sect. 12. notat, discrimen fuisse inter praesules Nestorianos in forma describendae super ordinandos crucis: Mares, inquit, et Joannes Catholici ab occipitio ad frontem et ab aure dextra ad sinistram ordinandum signant. At vero Georgius, Assyriae metropolita, a fronte ad occipitium et a dextra aure ad sinistrum crucis signum format. (Bibl. Or. T. III. P. I. p. 573.)

**) Quid liber vitae sit, non est concors expositio auctorum. Ex Assemano seniore est liber evangeliorum, quatenus epistolis et libris propheticis oppo-

Subdiaconi ordinatio.

Archidiaconus clamat:

Subdiaconi ordinantur: orate pro eis. *Erigit se ordinandus, et elevat eum ordinator de gradu inferiore ad gradum medium. Ipse vero praesul ascendit, et stat in superiore gradu. Dicit autem episcopus submissa voce hanc orationem.* Respice in hos famulos tuos Domine Deus fortis et omnipotens. *Repete*[1]. Et elige eos electione sancta secundum multitudinem gratiae tuae, eosque per misericordiam dignos effice, qui defectum suppleant in Ecclesia tua sancta, et da eis, Domine, per clementiam tuam, ut sine macula ministrent coram te, corde puro et conscientia bona, dum[2] perficit in eis scientia tua omnem virtutem per gratiam et miserationes Unigeniti tui, cui, et Spiritui sancto gloriam et honorem et confessionem et adorationem referamus. Nunc.

Vocem suam attollit, cum dicit: Nunc: *et signat super eorum capita. Et librum accipit de manu ejus*), qui ordinatur, eumque osculatur in capite; et tradit librum archidiacono. Deinde orarium accipit eoque collum ejus circumdat.*

Diaconi ordinatio.

Et ascendere eos jubet ad gradus sese mutuo tenentes, et qui primus est, fimbriam vestimenti praesulis tenet; ipse vero stat ad portam altaris, jubetque eos dicere: Oremus. Pax nobiscum.

Et orat super eos.

Purus et diligens puros Domine. *Repete*[3]. Effunde lumen tuum purificans super hos servos tuos, et adjunge eis virtutem tuam, et auxilium tuum, ut cum nitore mysteria tua ministrent, et mandata tua sancta sanctificantia membrorum suorum perficiant, tu es enim excelsus[4], qui humiliasti altitudinem magnitudinis tuae, et descendisti in mundum nostrum, et ministrasti (operatus es) salutem omnium creaturarum. Tu, Domine, dignos fac hos servos tuos, qui ingrediantur altare[5] tuum sanctum, et ministrent coram throno[6] tuo sublimi, quod fixum est in terra ad typum illius coelestis, largitor donorum spiritualium omnium Domine, Pater et Fili et Spiritus Sancte, in saecula.

Et ingrediuntur altare. Praesul vero incipit canonem: Domine, quis habitabit[7]: In puritate cogitationum, Domine noster, fac nos[8] stare coram altari tuo.

---

[1] B. deest *repete*. — [2] B. et concede, ut perficiat. — [3] B. deest: *Repete*. — [4] B. add. et sanctus. — [5] B. sanctuarium. — [6] B. altari. — [7] B. add. et quis commorabitur in sancto monte tuo? — [8] B. me.

nitur. Ex Badgero sunt diptycha vivorum: memorat enim librum vitae et mortis. Pro qua acceptione afferri potest locus scriptoris Nestoriani Maris, filii Salomonis, apud Renaudot Lit. Or. tom. I. p. 234. qui de quibusdam ait, eorum nomina libro vitae inscripta non fuisse eo quod contra leges ecclesiasticas dignitatem usurpaverint, quod et Renaudotius de diptychis interpretatur.

*) Quem nempe in ordinatione ad lectoratum acceperat, cum qua subdiaconi ordinatio conjungi solet apud Nestorianos.

*Deinde stat praesul super suppedaneum arae et ordinandi sub lampade**) *adorant. Archidiaconus dicit:* Oremus. Pax nobiscum.

Episcopus orat:

Optatum, Domine, miserationum tuarum auxilium, quod ab altari tuo concessum est, et conceditur[1] adoratoribus tuis omnibus generationibus mundi, ipsum circumdet a dextris et a sinistris, ab anteriori parte, et a posteriori, hos servos tuos, qui adorant coram te et illud accipere desiderant. Largitor donorum spiritualium[2], Domine omnium[3].

Deinde praesul ponit incensum; et incipit hos cantus: Doce me Domine viam. Ostende mihi Domine viam tuam. Doce me Domine, ut ambulem. *Repete:* Gloria. Omni tempore estote vigilantes.

Et dicit archidiaconus: Oremus. Pax nobiscum.

Episcopus vero orat:

Te, Christe, qui dignus es, cui ministerium exhibeatur, et cui[4] placuit redemptioni omnium nostrum[5] ministrare, precamur, et postulamus, introduc Domine, et compone et adapta hos servos tuos caetui septem, et Stephanitico, quem elegerunt Apostoli tui sancti: Bone, qui gratum habes ministerium, quod corde perficitur; largitor[6] donorum spiritualium Domine omnium[7].

Et adorant ordinandi, donec absolvatur canon. Et incipit praesul canonem hunc: Doce me Domine. Virtutem tuam, Domine, demitte servis tuis, ut in nomine tuo perficiant mysterium ministerii tui in sanctitate eosque imple gratia tua, *Eodem.* Christe, qui elegisti Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Nicolaum, Timonem et Parmenam, elige servos tuos in ministerium tuum.

Et dicit archidiaconus: Tibi, Christe, minister domus sanctitatis, et tabernaculi veritatis, quod fixit Deus, et non homo, qui non venisti ministrari sed ministrare, offerimus precationem pro servis tuis istis, qui separati sunt et selecti in ministerium tuum; perfice cum eis Domine Deus noster donum tuum, ut praeclare ministrent coram te, uti decet sanctitatem tuam Sancte, qui a sanctis sanctificaris sancte, largitor donorum spiritualium Domine omnium. *Canon:* Beatus ille: Gratia Domini a saeculo est. Gratiam domus S. Petri, quae descendit in Stephanum, effunde Domine noster Jesu juste per misericordiam tuam super servos tuos et expande. *Eodem.* O, qui fecisti angelos tuos spiritum et ministros tuos ignem urentem; benedic Domine noster adoratores tuos; ut ministrent mysteria tua gloriosa. *Eodem.* Jesu Domine coelestis, qui posuit seipsum ministrum in humilitate et voluntate, non autem in essentia, et natura; concede virtutem spiritualem, quam accepit Stephanus justus, servis tuis, qui stant hodie, et ad te respiciunt cum fiducia, ut sint ministri in modo, et ministrent corde tranquillo. *Alius eodem.*

---

[1] B. deest: et conceditur. — [2] B. add. omnium. — [3] B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. — [4] B. cui cum ministraretur, placuit tamen. — [5] B. deest nostrum. — [6] B. add. omnium. — [7] B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen.

*) Lampas intra cancellos altaris ex Syrorum more pendere solet ante altare.

Christus Dominus noster in bonitate sua et abundantia suavitatis suae dispensavit divitias doni sui juxta sapientiam scientiae suae, et statuit vos pro beneplacito suo ministros in medio ecclesiarum suarum, et elegit vos in ministerium domus suae, et ad circumferendum habitaculum suum, ipse distribuat vobis thesauros suos, sicut dominationem ejus decet, et sanctificet vos virtute verbi sui, ut ministretis mysteriis Ecclesiae suae, et custodiatis ac faciatis voluntatem ejus, et nomen sanctitatis ejus glorificetis. *Alius eodem.*

Cum exercitu domus Stephani, et cohorte domus Philippi, et Parmenae, et Prochori et Nicanoris, et Nicolai, et cum Apostolis Petro et Paulo, et praeconibus Matthaeo ac Marco, et cum martyribus Sergio et Baccho, et D. Georgio, ac Cyriaco, conjunge hos servos tuos cum justo, ac Athanasio *).

Aut hunc. In multitudine. Domine, in luce. *Usque ad:* manus mea auxiliata est ei. Auxilium gratiae tuae, Salvator noster, adjunge, et comitari fac adoratores tuos, et corrobora eos, ut ministrent tibi sancte corde puro et vero, atque in fide.

Gratiam Spiritus Sancti, quam accepit Stephanus, et socii ejus, accipiant Domine noster servi tui, qui separati sunt, ut serviant altari tuo glorioso et sancto, et mysteriis tuis propitiatoriis.

Eodem. Christe, qui Apostolis sanctis dedit spiritum in linguis ignis, da servis tuis his linguam ignis, et talenta Spiritus, ut iis praediti diligenter negotientur et lucrum faciant in populo tuo sancto. *Aut hunc.* In diuturnitate. Desiderium cordis ejus. *Usque ad:* cum gratia Domini. Virtutem gratiae tuae Salvator noster recumbere fac super servos tuos, ut ministrent nitide in medio altaris tui in typo angelorum tuorum.

Eodem. Domine, qui glorificaris in sanctis tuis, et in electis tuis honoraris, tu praebe auxilium adorantibus te, qui acceperunt donum tuum.

Oratio. Te, mare magnum et immensum misericordiarum et expiationis, abyssus clementiae et miserationis, qui contrectari non potest[1], supplices deprecamur et a te petimus, perfice Domine Deus noster, cum servis tuis istis donum tuum; et effunde super eos gratiam tuam[2], ac multiplica apud eos auxilia tua, corrobora etiam eos, ut placeant tibi in ministerio suo, et placent dominationem tuam per suam servitutem[3], et conversentur in semitis mandatorum tuorum rectorum, ac meditentur[4] in libris tuis vivificis et divinis: largitor donorum spiritualium Domine omnium, Pater et Fili. *Canon.* Ad te levavi oculos meos. Effunde gratiam tuam Domine noster super servos tuos. *Singuli responsum; usque:* Miserere nostri Domine.

Et dum repetunt canonem hunc, genuflectit episcopus coram altari, et stat, Deumque in corde suo laudat, quod eum alto hoc gradu dignatus

---

[1] B. inscrutabilis. — [2] B. deest perfice usque ad gratiam tuam, sed sunt haec tantum: oramus, supplicamus et obsecramus, ut velis multiplicare etc. — [3] B. sua opera. — [4] B. add. jugiter.

*) Assemanus suspicatur, sensum esse: conjunge hos servos tuos, o juste et immortalis! Sed potius videntur esse nomina Sanctorum et oratio ad nomina ordinandorum alludens.

fuerit. Et repetunt illum in fine psalmi. Tum jubet archidiaconus ordinandos genu dexterum flectere, et sinistrum erectum habere, quod unicum talentum acceperint: qui ambas etiam manus apponunt auribus suis, et erigunt digitos, qui sunt juxta pollicem in altum. Tradit autem ordinator pedum suum pastorale archidiacono, et archidiaconus dicit: Oremus. Pax nobiscum: *Praesul vero submissa voce dicit inclinationem hanc, imponens manum suam dexteram capiti illius, qui ordinatur, sinistram vero extendens in modum deprecationis, et orat quiete*[1]. Deus noster bone, et rex noster miserationibus plene. *Repete*[2]. Qui dives es in miserationibus, et abundans in clementia. Tu Domine bonitate tua ineffabili posuisti me mediatorem donorum tuorum divinorum in Ecclesia[3] tua sancta, ut darem in nomine tuo ministris mysteriorum tuorum sanctorum talenta ministerii Spiritus; et juxta traditionem apostolicam, quae ad nos per impositionem manus ministerii ecclesiastici delata est[4], ecce praesentamus coram te hos servos tuos, ut sint diaconi electi in Ecclesia tua sancta[5]. *Repete.* Ut adveniat super eos gratia Spiritus Sancti, perficiatque et consummet eos[6] ad opus ministerii hujus, ad quod praesentantur[7] per gratiam[8], et misericordiam Unigeniti tui, cui, et tibi, ac Spiritui Sancto gloriam et honorem, et confessionem et adorationem referamus nunc[9].

Et signat super capitibus eorum. Respondent: Amen. ***Archidiaconus dicit:*** Attollite oculos vestros in excelsa sublimia, et misericordiam a Deo clemente poscite pro N. et N. subdiaconis, qui ordinantur et constituuntur diaconi ad ecclesiam Dei[10], cui destinati sunt: orate pro eis.

Et imponit manum suam dexteram capitibus eorum et sinistram extendit in modum deprecationis, et dicit praesul super capitibus eorum. Domine Deus fortis, omnipotens. *Repete.* Sanctus et gloriosus, qui servat pactum et gratiam, et veritatem[11] timentibus eum, et custodientibus mandata ipsius. Tu, qui dedisti per gratiam tuam cognitionem veritatis omnibus hominibus in manifestatione Filii tui unigeniti, Domini nostri Jesu Christi, quae in carne facta est; et elegisti Ecclesiam tuam sanctam, et constituisti in ea prophetas, et apostolos et sacerdotes, et doctores in consummationem sanctorum ac posuisti in ea etiam diaconos puros ad ministerium mysteriorum tuorum gloriosorum, et sanctorum; et quemadmodum elegisti Stephanum et socios ejus: ita nunc quoque, Domine, secundum misericordiam tuam da servis tuis istis gratiam Spiritus Sancti, ut sint diaconi electi in Ecclesia tua sancta, et ministrent altari tuo puro cum corde mundo et conscientia bona; et splendeant in operibus justitiae ad ministerium mysteriorum tuorum vivificorum et divinorum, ac mereantur accipere a te bona coelestia in die retributionis pro ministerio hoc[12] puro et sancto, quo ministrant coram te, per gratiam et miseratio-

---

[1] A. deest et orat quiete. — [2] B. deest: *repete.* — [3] B. canalem doni tui ad Ecclesiam. — [4] B. descendit in catena. — [5] A. add. et oramus pro iis omnes. — [6] B. deest: et consummet eos. — [7] B. obtulerunt seipsos. — [8] B. add. tuam. — [9] B. (*alta voce*) nunc et semper. R.: Amen. — [10] B. dedicatam Mar N. in urbe (vel pago N.). — [11] B. pactum tuum gratiae et veritatis. — [12] B. deest hoc.

nes Unigeniti tui, cui et tibi, et Spiritui Sancto gloriam, honorem, confessionem et adorationem referamus nunc[1].

Et signat super eorum capita. Respondent: Amen. *Deinde jubet eos ad terram prostratos adorare et sese erigere. Tum tollit orarium de collo eorum, et ponit illud super humerum sinistrum.*

Postea archidiaconus tradit episcopo librum Apostoli, qui eum apprehendendum praebet unicuique eorum, qui ordinantur, eumque signat in fronte digito, qui est pollici vicinus, incipiens ab inferiori parte, et tendens ad superiorem, atque a parte dextera ad sinistram, et dicit: Segregatus est, sanctificatus est, perfectus est, et consummatus est N. in opus ministerii ecclesiastici, et in executionem muneris[2] levitici[3] Stephanici, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Eumque osculatur in capite, et dicit hunc canonem.

Archidiaconus circumducit diaconos a dextris et a sinistris altaris. Episcopus vero librum de manibus eorum tollit, et tradit archidiacono: baculum autem accipit in manum suam et ascendit in suppedaneum altaris, et metanoeam offert; et incipit canonem: Ab antiquo *seu,* ex longitudine. Prope est Dominus. Christe, qui dedit servis suis talenta pecuniae spiritualis, tuum adjunge [praebe] auxilium[4] adorantibus te, qui acceperunt donum tuum. *Eodem.* Non in manibus nostris prosperantur viae nostrae. Te Domine noster invocamus.

Tum praesul benedicit unumquemque eorum et dicit:

Christus, qui te ad ministerium suum admovit, perficiat te ad[5] opus justitiae in saecula.

Cum autem absolutus fuerit canon, orat: Coram throno Domine. ***Et incipit cantum cancellorum, et procedunt ad templum et crux cum eis. Si vero non adsunt Sacramenta, subjungunt post canonem:*** Pater noster, qui es in coelis: ***et absolvunt.***

Explicit ordinatio lectorum, subdiaconorum et diaconorum et Domino nostro gloria, honor, confessio et adoratio. Amen.

Ordinatio presbyterorum.

Item eodem auxilio divino scribimus ordinationem presbyterorum. Domine noster adjuva nos secundum misericordiam tuam.

Primum tondet praesul ordinandi capillos et cingulo praecingit lumbos ejus, et mittit pallium ejus ad humerum ipsius sinistrum, et ingrediens stat in medio cancellorum[6]. Et incipiunt: Pater noster, qui es in coelis. *Archidiaconus proclamat[7]:* Pax nobiscum.

Praesul orat:

Virtus tua, Domine Deus noster, perficiat per manus infirmitatis nostrae, et adimpleat[8] media parvitate nostra ministerium hoc spirituale

---

[1] B. (alta voce) nunc et semper. R.: Amen. — [2] B. et in munus. — [3] B. A. add. et. — [4] B. add. his. — [5] B. perficiat in te opus. — [6] A. hanc rubricam post illum cantum habet, qui infra est: Venite, accedamus ad sacerdotium. Morinus hanc rubricam post cantum: Quam dilecta sunt, et post rubricam: Scito, o Domine, ponit. — [7] A. deest haec proclamatio archidiaconi. — [8] B. deest adimpleat.

conlationis sacerdotii, quod per gratiam[1] nobis concreditum est, largitor donorum spiritualium Domine omnium[2].

Et incipit: Quam dilecta, *tono antiphonae:* Oh tibi sacerdos[3], quam magnus est gradus, cui tu ministras, nam ministri ignis[4], et spiritus in conspectu ejus contremiscunt (commoventur) prae illius reverentia[5]. Gloriosus est Gabriel, et magnus Michael, hoc nomen eorum testatur; at si comparentur cum sacerdotio, sunt valde exigui. *Et glorificant, ac repetunt initium psalmi antiphonatim*).* Venite, accedamus ad sacerdotium, terrae sal, quod virtute Spiritus dat saporem insipidis.

Archidiaconus intonat: Pax nobiscum. *Praesul vero orat:* Stola[6], Domine, sacerdotii, qua veraces tuos antiquitus et noviter**) induisti, illa indue adoratores tuos, quorum manus extensae sunt coram throno divinitatis[7] tuae, et corrobora eos, ut sine macula offerant tibi sacrificia pacifica cunctis noctibus et diebus; largitor donorum spiritualium, Domine omnium[8].

Et ponunt suavitates, et incipit cantum hunc: Cujus puri. Sacerdos cum ingreditur.

Glorifica. Sacerdos invocat Spiritum. *Et si plures fuerint, dicit hos:* Cavete[9] sacerdotes sancti, lavate conscientias vestras ab omni sorde iniquitatis[10]. *Glorifica.* Sacerdotes, qui digni facti estis angelorum statu, cavete ab iniquitate.

Oratio. Oleo sanctitatis, Domine, unge hos servos tuos, manus tua iis auxilietur; brachium tuum corroboret eos, ut sacerdotio fungantur in Ecclesia tua sancta, et perficiant ministerium mysteriorum tuorum propitiantium in aedificationem animarum te adorantium, largitor donorum spiritualium Domine omnium[11]. *Canon.* Beatus ille. Domine in lumine, *usque ad:* manus mea adjuvit eum. *Et super una persona.* Desiderium cordis ejus dedisti: *usque ad:* gratia Excelsi.

Rex, factor et factus, unus Dominus, et Filius unicus, admove servos tuos in opus sanctificationis mysteriorum et baptismi, et corrobora eos nutu tuo adorando, ut sacerdotio tibi fungantur cum pudore, clam et palam simul, ut in lege praeceptum est, et adpareant[12] viatico instructi hic, et in saeculo futuro.

Eodem. Christe, sacerdos veritatis, cujus sacerdotium nunquam transit, operare erga servos tuos id, quod adjuvat, et indue illos splendore et decore, ut caute fungantur tibi sacerdotio, quod tibi placeat; et[13] talenta, quae acceperunt in spem quaestuosae negotiationis, quae per spiritum virtutem nanciscitur[14], tandem ponant[15] super mensam cum abun-

---

[1] B. addit tuam. — [2] B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen. — [3] B. vos sacerdotes. — [4] B. luminis. — [5] B. deest prae illius reverentia. — [6] B. pallio. — [7] B. majestatis. — [8] B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen. — [9] B. omittit Cavete. — [10] B. add. *Repete.* — [11] B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen. — [12] B. add. ornati et. — [13] B. addit: et concede, ut. — [14] B. in spe quaestum habituram animam simul cum eo, quod per ea lucrati sunt. — [15] B. tradant.

*) In margine codicis haec leguntur: Scito, ó Domine mi, quod ad omne gloria et ad omnem orationem et initium Canonis adorant ordinandi ad terram usque.

**) Badger exponit: in Veteri et novo Testamento.

dante lucro[1], et digni fiant voce illa spe[2] plena: introite in gaudium, quod non finitur.

Aut hunc. Ibunt de virtute. De virtute Domine noster in virtutem extolle et eleva adorantes te; ac dona tua cum iis perfice, et eorum caput diademate corona, et in corda eorum tamquam in arca gratia tua deportetur, et auxilia tua cum eis perfice, et virtute excellant in labore.

Eodem. Sors ad eos, qui te adorant, pervenit derivatione spirituali, ut ministrent duo talenta, consecrationis sc. mysteriorum et baptismi. Christe, Domine donorum, corrobora eos, ut cum iis quaestum faciant.

Oratio. Effunde, Domine Deus noster, super hos servos tuos gratiam tuam, et imple[3] manus eorum puritate, ut accedant ad ministerium mysteriorum tuorum propitiationem operantium, et ad sanctificandum sinum propitiantem sancti baptismi, fontem, de quo generatio filiorum mortalium ad immortalitatem, per gratiam tuam, tuasque miserationes, largitor donorum spiritualium Domine omnium[4].

Canon, tono: Parce et propitiare. Bonitatem fecit. Bone, qui tradidit suis Apostolis virtutem dominationis in altitudinem et profunditatem, da, Domine, virtutem gratiae tuae iis, qui te adorant.[5]

Eodem. Spiritus sanctitatis Paraclitus, qui descendit et mansit super Apostolos[6], ipse, Domine, delabatur super caput adorantium te.

Aut hunc. Quam multae misericordiae tuae. *Usque ad:* et justitia tua rectis. Virtutem gratiae Spiritus sanctitatis habitare fac, Domine noster, in servis tuis, quos elegisti, ut sacerdotio fungantur in Ecclesia tua laudabili, et sanctifica eos per pietatem tuam.

Eodem. Mysteria sunt disposita: sacerdotes psallunt. Vigiles circumdant. Ordines timent; virtus fovet; adorandus Spiritus, omnia sanctificans.

Oratio. Inunda Domine ubertatem gratiae tuae, et diluvia donorum tuorum in caput te adorantium, qui divinum donum tuum desiderant, et corrobora eos, ut ministrent altari tuo sancto et resonent voces[7] gloriae tuae populo tuo[8] cruce tua redempto, ac enarrent mirabilia tua gregibus signi tui vivi et vivifici impressione notatis, largitor donorum spiritualium, Domine omnium, Pater et Fili.

Canon. Ad te levavi. Effunde gratiam tuam, Domine noster, super servos tuos.

Et accedit ad ordinandos, eosque utrumque genu flectere jubet simul extendentes manus suas super oculos suos. Quod genu utrumque flectunt, significat eos duo talenta accepisse. Quod vero ambas manus supra oculos suos extendunt, significat, datam illis esse a Domino facultatem et potestatem invocandi Spiritum Sanctum, et benedictiones large impertiendi, gignendique filios spirituales, eosque cibo spirituali alendi.

Archidiaconus proclamat: Oremus. Pax nobiscum.

Praesul submissa voce dicit: Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae omni tempore id, quod deficit, supplet, cum beneplacito Dei Patris et virtute Spiritus Sancti, sit nobiscum omni momento, et perficiat per ma-

---

1 B. deest super . . . lucro. — 2 B. gaudio. — 3 B. perfice . . . . in puritate. — 4 B. add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. — 5 B. his adoratoribus tuis. — 6 B. add. concede, ut. — 7 B. nuncia. — 8 B. deest tuo.

nus nostras ministerium hoc tremendum et sublime in redemptionem vitae nostrae.

Et extollit vocem suam: Nunc, et omni tempore.

Ac signat seipsum.

Archidiaconus exclamat: Pax nobiscum. *Et recitat praesul hanc impositionem manus, manum dexteram imponens capiti ordinandi, ac dicens quiete.*

Deus noster bone; et rex noster plene misericordiarum, qui dives es in tuis miserationibus et effusus pietate tua, tu, Domine mi, ineffabili gratia tua posuisti nos mediatores donorum tuorum divinorum, ut demus in nomine tuo talenta ministerii spiritus ministris mysteriorum tuorum sanctorum: et juxta traditionem, Domine, apostolicam, quae propagata est ad nos usque per impositionem manus ministerii ecclesiastici, ecce praesentamus coram te servos tuos hos, ut sint presbyteri electi in Ecclesia tua sancta, et oramus omnes pro eis. *Repete* ut adveniat super eos gratia Spiritus sanctitatis, perficiat et consummet eos ad opus ministerii sacerdotii, ad quod praesentantur. Per gratiam et miserationes Unigeniti tui, cui et tibi et Spiritui Sancto gloriam, honorem et confessionem et adorationem referamus nunc.

Et signat super eorum capita, archidiaconus dicit: Attollite oculos vestros in excelsa sublimia, et postulate misericordiam a Deo clemente pro *tali* et *tali* diaconis, qui ordinantur et constituuntur presbyteri ecclesiae Dei, cui sunt selecti. Orate pro illis.

Praesul vero dicit submissa voce super eos, dexteram manum capitibus eorum imponens.

Domine Deus fortis omnipotens. *Repete.* Factor coeli et terrae, et omnium, quae in eis sunt; qui elegisti Ecclesiam tuam sanctam, et constituisti in ea prophetas, Apostolos, doctores, sacerdotes ad consummationem sanctorum, et ad opus ministerii, et in aedificationem corporis ecclesiastici. Tu ergo, Deus magne virtutum, rex omnium saeculorum[1], respice etiam nunc in hos servos tuos, et elige illos electione sancta per inhabitationem[2] Spiritus Sancti, et da illis in aperitione oris sui sermonem veritatis, et elige illos ad sacerdotium, Domine Deus fortis, ut ponant manus suas super infirmos, et curentur; et corde puro, conscientiaque bona inserviant altari tuo sancto, offerentes tibi oblationes orationum, et sacrificia confessionum in Ecclesia tua sancta, et virtute doni tui ministrent, ac[3] sanctificent sinum propitiantem in generationem mysticam eorum, qui a gratia tua vocantur ad participationem adoptionis filiorum dominationis tuae: operibus quoque justitiae ornent filios Ecclesiae sanctae catholicae ad laudem nominis tui sancti[4]: et sit eis fiducia in saeculo novo pro ministerio hoc puro, quod coram te praestant[5], stentque confidenter coram tremendo majestatis tuae solio, per gratiam et misericordiam Unigeniti tui, cui et tibi, et Spiritui Sancto gloriam, honorem, confessionem et adorationem referamus. Nunc[6].

---

[1] B. mundi totius. — [2] B. descensum. — [3] A. B. deest ministrent ac. — [4] B. deest sancti. — [5] B. ministrabunt. — [6] B. add. et in saecula saeculorum. R. Amen.

Et signat super eorum capita, et praecipit eis, ut prostrati ad terram adorent, et surgant. Postea accipit praesul pallium, quod humero uniuscujusque eorum impositum erat, eoque illum induit; tollensque orarium de ejus humero ad pectus imponit. Idemque episcopus accipit adorandum librum evangelii, et tradit eum in manus ejus, qui impositionem manus accepit, et signat eum pollice dextero in fronte dicens: Segregatus est, sanctificatus est, perfectus est, censecratus est[1] talis in opus presbyteratus ecclesiastici, et in ministerium sacerdotii Aaronitici. In nomine Patris et Filii.

Et accipit praesul evangelium, et tradit alteri: sic facit singulis, quotquot sunt. Cum autem omnes signati fuerint, tollit praesul ab eis evangelium, illudque tradit archidiacono. Ille vero, qui ordinatus est, flectit genu, et surgit. Tum praesul accepto baculo suo revertitur, et ascendit ad suppedaneum altaris, et adorat coram altari, ac illud osculatur. Et conversa facie ad occidentem incipit canonem: Prope est Dominus. Christe, qui servis tuis dedisti talenta pecuniae spiritualis, tu adjunge auxilium adorantibus te, qui donum tuum acceperunt. *Eodem.* Non in manibus nostris prosperant viae nostrae, Christe, Salvator noster; quia tu es, qui virtute et sapientia tua disponis opera nostra. Te, Domine noster, invocamus.

Et tum dicitur canon, apprehendit archidiaconus eos, qui ordinati sunt, et jubet eos salutare altare, episcopum, sacerdotes et diaconos: illi autem osculantur capita eorum. Si vero conficienda sint Sacramenta, orant: Coram throno Domine, *et incipiunt canticum cancellorum, et procedunt in templum cum cruce et luminaribus et incenso. Sin autem Sacramenta conficienda non sunt, dicunt post canonem:* Pater noster, qui es in coelis: *et orant de more et absolvunt.*

Explicit ordinatio presbyterorum et Deo gloria, ac super nos misericordia ejus in saecula. Amen.

Canon. Respice de coelo tuo, Jesu, et intuere de excelso tuo, Jesu. Et elige hunc servum tuum, Jesu. Et concessionem doni tui, Jesu. Et da eum per miserationes tuas, Jesu. Et gratiam Spiritus sanctitatis tuae, Jesu, quam expectat et desiderat, Jesu. Effunde super caput ejus, Jesu. Et statue illum in Ecclesia tua, Jesu. Sacerdotem et doctorem, Jesu. Qui populo tuo distribuat, Jesu. Sacramenta tua sancta, Jesu. Et semen doctrinae tuae Jesu. In terram animae ejus disperde et semina. Et cor ejus aperi, ut sicut fons spargat (eructet). Vinum sapientiae tuae. Et diffundat ac spargat. Et timorem tuum in tabula cordis ejus fige. Ut praecepta tua non transgrediatur. Et cum veneris in fine vindex. Qui mercedem sanctis tuis retribuas. Dignum fac illum, qui tibi laetus occurrat. Et mercedem bonam labori ejus retribue. In thalamo tuo, qui non commovebitur.

Consecratio episcoporum et metropolitarum.

Item cum auxilio Christi, et adjutorio gratiae incipimus scribere ordinem impositionis manus episcoporum.

---

[1] B. Segregatus est, consecratus et perfectus.

Tempore vespertino hoc est in ingressu Dominicae, praecipit pontifex, ut vigilia fiat: et seligunt odas cantandas ante illam, cujus initium est, Apostoli sancti: Trinitas *nempe, vel* Apostoli doctores fidei [1]. *Gloria.*

Da Ecclesiae tuae, Redemptor mundi, tranquillitatem et pacem, Fili Dei: ut portae inferi nunquam praevaleant ei. Confirma ei verbum tuum, Unigenite. *Post cantum, cujus initium:* Apostoli Christi Salvatoris nostri: Gloria.

Apostoli tui sancti, Redemptor noster. *Canticum Basilicon de die occurrente. Et adjunge, quod congruit. In nocte autem incipiunt ab initio Davidis: et dicunt in sessionibus odas Apostolorum, et thesaurum evangelistarum*): Cantus vigiliae de die occurrente. Et adjungunt:* Dominus regnavit, irascantur: Exaltabo te Domine. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia. *Ode noctis, de die occurrente. Et adjungunt de Apostolis, quod volunt. Ad matutinum autem et canonem de die occurrente et de Apostolis. Mane autem facto, hora tertia congregantur fideles in ecclesia: et procedit patriarcha, aut metropolita et episcopi, qui apud ipsum convenerunt, ordinati birunis et baculis, et incipiunt:* Pater noster, qui es in coelis, *dicuntque jaculatoriam diei et terminant. Qui autem ad chirotoniam accedit, stat in medio altaris juxta ordinem, quem habet, sive diaconus sit, sive presbyter. Archidiaconus intonat:* Pax nobiscum. *Praesul orat:* Laus fluentis gratiae tuae et adoratio throno dominationis tuae: et omne genus gratiarum actionis virtuti perfectae et invincibili Trinitatis tuae gloriosae, quae causa est principiorum et ordinatrix consummationum: aeterne, qui nec principium habes, nec finem, et largitor donorum spiritualium Domine omnium.

*Et incipit:**)* Misericordiam Domini in aeternum: *Tono, peregrinus:***) usque ad:* Testis in coelo. *Aut:* Memento *cum hac antiphona.* Illa gratia et illud donum, quod descendit et mansit super discipulos, ipsummet Domine illabatur, et ipsummet maneat super adorantes te usque in saeculum. Tibi commendo claves thesauri spiritualis, ut liges et solvas, quidquid est in terra et in coelo.

Et orant: Te thesaurum abundantem auxiliorum divinorum, et fontem omnium bonorum ac donorum spiritualium, mare immensum gratiarum de sancto sanctorum; abyssum, quae explorari non potest a creaturis terrenis, quae perficere solet obumbratione sui dextera omnes ordines ecclesiasticos, oramus cordibus placantibus (*seu* concordibus), ut accipias a nobis sacrificia mentium nostrarum rationalia, et recumbere facias super servum tuum dexteram misericordiarum tuarum: ut ministret mysteria sacerdotii tui juxta mandata evangelica omnibus diebus vitae suae praesentis, largitor donorum spiritualium, Domine omnium.

Et ponunt aromata et incipiunt cantum: Omnia facit, *et repetunt eum. Et dicunt:* Gloria. Sacerdotium Aaroniticum: *Vel adjungunt:* Sacerdotium

---

[1] A. *nempe* Trinitas; *vel* Apostoli sancti, doctores fidei.

*) Est libellus continens odas seu cantus de evangeliis. Assemanus.

**) Id est Ps. 88. v. 131.

***) Peregrinus, seu ghiura: designatio toni.

domus: Spiritus Sanctus, qui missus est: Pastor coelestis: Spiritus Paraclitus. *Et dicunt:* Gloria. Benedictus, qui vos magnificat, sacerdotes sancti; benedictus, qui vos clarificat[1], athletae veritatis; adorandus Spiritus Sanctus, cujus virtute compressistis omnem haeresim, et congregastis oves rationales Jesu redemptoris nostri, quas acquisivit sanguine suo pretioso super Golgatham: Sancte Ignati, et Polycarpe, et Athanasi, et Gregori, et Basili[2], et Chrysostome, et Ambrosi; architecti Ecclesiae sanctae, ac dispensatores mysteriorum Dei, doctoresque cultus veritatis. Preces eorum sint nobis murus et propugnaculum[3].

Et orant: Te, munerum dator, et donorum effusus largitor, mare magnum omnium divitiarum, deprecamur, da, Domine, servo tuo huic, qui segregatus est in ministerium tuum, divitias incommensurabiles gratiae tuae, et da in manibus ejus virgam extensam summi sacerdotii, ut per eam regat populum tuum, et pascat oves sibi concreditas, cum omni timore Dei, et puritate, omnibus diebus vitae suae super terram, largitor donorum spiritualium, Domine omnium.

Et dicunt canones, unusquisque ordine suo. Canon. In multitudine. Beatus homo, quem tu; *vel.* Qui benedixisti discipulis tuis in Bethania tempore ascensionis tuae, extende dexteram tuam et benedic servo tuo in virtute gratiae tuae, ut sit pastor et visitator gregis tui.

Eodem. Christe, qui Petro dedisti claves excelsi et profundi, tu, Domine, concede virtutem auxilii tui servo tuo, quem elegisti, ut dono Spiritus Sancti ministerium exhibeat gregi tuo.

Alius tono: Jamdudum. Fiat dextera manus tua: Gratiam Spiritus Sancti, quam accepit Simeon filius columbae, ipsam accipiat adorator tuus, ut regat Ecclesiam tuam cum decore et gloria.

Eodem. Salvator noster filio columbae mandasti, ut pasceret gregem tuum, etiam nunc praesta virtutem adoratori tuo, ut regat populum tuum, tuamque Ecclesiam.

Quoniam praevenisti eum. Christe, qui talentis negotiationis assimilasti dona tua, da servo tuo lucrum abundans de negotiatione sua, viresque et robur donorum, gradum super gradum.

Eodem. Spiritus Sancte, qui in Ecclesia constituit gradus sacerdotii, reple donis praesulem, et electum servum tuum, quem segregasti; et da ei virtutem super virtutem, ac gloriam super gloriam.

Eodem. In sacerdotio domus Simonis, sacerdotem agat servus tuus, Redemptor noster; et cum puritate mereatur cultum (operam) exhibere in medio domus sanctitatis, atque indulgentiam concedere ovibus gregis tui.

Eodem. Salvator noster, qui Simoni dedit claves altitudinis et profunditatis, ut ligaret et solveret ordine decoro, et justitia debita: complaceat tibi in hoc pastore gregis tui passione tua redempti et liberati.

Tono. Beatus qui. Mitte lucem tuam et fidem tuam.

---

[1] B. prosperos facit. — [2] Ex nota Assemaniana Nestoriani hic habent: Ignati, Polycarpe, Athanasi, Eusthati, Meleti, Flaviane (pro quo Morinus: Pauline habet), Gregori (Nazianzenus), Basili, Gregori (Nyssenus), Ambrosi, Diodore, Chrysostome, Theodore (Mopsuestenus), Alexander (Hieropolitanus). B. addit Gregori (hic Illuminator est, ille Nazianzenus), Ambrosi, Diodore, Johannes (Chrysostome), Theodore, mare sapientiae, Mar Nestori, martyr vexate, et Alexander expugnator. — [3] B. deest et propugnaculum.

Oriri fac Domine splendorem lucis tuae et expande claritatem vultus tui super servum tuum in veritate tua electum, ut sit pastor gregis tui. Trade in manum ejus potestatem tuam et gladium verbi mandati tui, ut pascat oves gregis tui secundum voluntatem dominationis tuae. Da ei virtutem de virtute tua et auxilium virtute dexterae tuae, ut benedicat juxta voluntatem tuam, sitque navis ad gloriam tuam.

Eodem. O qui misertus est et vocavit servum suum, ut esset pastor populi sui, et segregavit eum, ac sanctificavit per clementiam suam, ut indulgentiam et propitiationem praestaret populo suo et Ecclesiae suae; auxilium tuum Domine praebe ei, ut per ipsum prospere agat in ministerio suo, atque virgam fortitudinis trade in manu ejus, ut non deprimatur in certamine et sollicitudine laboris sui; et corrobora eum, ut pascat oves suas, eumque non pigeat integritatis suae, et omnibus diebus suis se gerat, ut tibi placuerit, et ipsi utile erit.

Eodem. Pontifici, quem dextera tua segregavit, et divinitas tua elegit, et constituit in Ecclesia sponsa tua in lampadem illuminantem populum tuum; da ei, Domine, donum tuum, eumque sanctifica virtute dominationis tuae, ut regat secundum voluntatem tuam populum tuum, et oves gregis tui.

Eodem. Pastor magne gregis, Jesus, spes creaturarum, abunde tribue honorem et gloriam; et effunde fontem bonitatis; ac manare fac munera donorum super servum tuum pietate plenum; et liget ac solvat in justitia, atque regat in rectitudine et pascat oves tuas in decore, castitate et sanctitate, et cum veneris in gloria, in die illo consummationis, cum gaudio suscipiat splendorem tuum, et tecum intret in regnum.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam.

Advola Spiritus cum gloria rotarum tuarum, et commove inspirationes vehementium amoris tui motuum, in mysterio ardente scintillis tuis; et imaginem flammarum donorum tuorum, et (Phakila) cidarim, quae virtute tua texta est, et virgam, quae splendore tuo vestita et incrustata est, et omnem decorem ordinis tui expande, et effunde super caput servi tui, qui electus est ad pascendum gregem tuum secundum voluntatem magnitudinis tuae.

Eodem. Corona pulchritudinis tuae ornata, et gloria, ac splendore decoris tui, et omni ordine pontificatus tui corona, Domine, servum tuum et electum tuum, quem segregavit dextera tua; et unge eum unguento sanctitatis tuae, et indue eum stola gloriae tuae, vasque electum fac eum tibi, quod conveniat honori ministerii tui, et fiant per eum signa tua, virtutes et miracula tua: ut ipso medio magnificetur nomen tuum, et causa ipsius multiplicetur laus tua.

Qui pascis Israel, Christe, pastor coelestis, qui tradidit animam suam pro ovibus emptis sanguine suo propitiante, redemptis passione sua vivificante. Segrega et elige servum tuum hunc, ut sit pastor, et praesul, et providus gubernator *talis* loci, et ditionis et gubernet omnia negotia, ut convenit et canonibus constitutum est; appareatque omnis rei honestae et justae aemulus et zelator.

Eodem. Christe maximus pastorum, qui sanguine suo emit gregem suum, eumque liberavit de jugo servitutis Mali, mortis et peccati; crede servo tuo pastionem agnorum filiorum baptismi, et ovium, atque etiam ovicularum Trinitatis signo notatorum, ut pascat eos in justitia, et regat

in rectitudine, et de iis judicium proferat cum victoria (integritate), ut honestas postulat, et in praeclaris niteat coram populis et gentibus.

Fiat dextera manus tua. Christe consummator sacerdotum, et dator omnium munerum, elige servum tuum electione justorum et eum perfice pulchritudinibus coelestibus, ut pascat in pascuis spiritualibus greges passione tua emptos, et liberet eos a zizaniis et lupis dolosis et fraudulentis, ut cum adveneris in plenitudine temporum, haereditate accipiat vitam beatam.

Eodem. Pulchritudo tua caeteris pulchritudinibus praestat, illustris inter electos et perfectos, Jesu Domine veracium, quem adorant homines et vigiles; da servo tuo, o princeps pontificum, ut ungat sacerdotes et pontifices, et mitram gloria plenam ei impone, ut sit caput ordinum, et aliis tradat virgas, eosque induat birunis, palliisque; corona quoque eum omni decore in capite gregis sui et ovium, et oratione principis thesaurariorum exaltetur, fructumque ferat.

Tum orat praesul. Effunde, Domine, rorem gratiae tuae et pluvias sanctas donorum tuorum super servum tuum, qui electus est secundum voluntatem misericordiae tuae ad propitiandum populum tuum, et sacerdotio tuo pure fungendum in Ecclesia tua, et tibi praeparandum populum bonum, qui aemuletur opera bona et pulchra. Tu bonus, qui non invides, et misericors, qui non irasceris, et largitor donorum spiritualium Domine omnium, Pater, et Fili, et Spiritus Sancte in saecula.

Et incipit: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis. Effunde gratiam tuam, Domine noster, super servum tuum. *Aut.* Deus noster misereatur. Donum tuum effunde.

Absoluto canone non precantur; sed accipit evangelium praesul, et imponit illud dorso ejus, qui ordinatur, ita ut quis ipsum sustineat. Dicit autem archidiaconus: Stemus parati. *Tum legunt hanc lectionem, dum episcopus aut Catholicus ordinatur.* Evangelium sanctum D. N. J. Christi: praedicatio Matthaei.

Cum autem venisset Jesus in partes Caesareae Philippi, interrogavit discipulos suos et dixit. Quid dicunt de me homines, quod ego sum . . . . Non praevalebunt ei.

Cum autem prandissent, dicit Jesu Simoni Cephae: Simon, filius columbae, diligis me . . . . pasce mihi oves meas. Tibi dabo claves regni . . . . erit solutum in coelo.

Scito autem, quod cum imponitur evangelium dorso ejus, qui ordinatur, omnes episcopi, qui ibi adsunt, imponunt super eum manus suas ex utroque latere, donec omnes preces absolutae fuerint; et tunc ab eo recedunt. Cum autem absolutum fuerit evangelium, imponit illud dorso ejus. Archidiaconus[1] *vero intonat.* Pax. *Praesul dicit:* Gratia D. N. J. C., quae semper deficientia supplet, beneplacito Dei Patris et Filii ejus unigeniti, et virtute Spiritus Sancti *) ab omnibus adorandi, bonorum omnium largitoris: etiam nunc, Domine Deus, eligit in Ecclesia tua Orientis,

---

[1] A diaconus.

*) Deprehenditur Nestorianismus, cum Christus ac Trinitas separentur (Assemanus).

Coches matris ecclesiarum Seleuciae et Ctesiphontis urbium Arsaciarum*), *talem* presbyterum et monachum, in opus magnum episcopatus. Precemur omnes pro eo, ut adveniat super eum donum tuum Deus, eumque virtute perficiat, et consummet in ministerio episcopatus, gratia et miserationibus Unigeniti tui: cui, et tibi, et Spiritui Sancto laus, honor, gratiarum actio et adoratio. *Signat seipsum et vocem attollit* .... Nunc et semper.

Respondent: Amen.

Archidiaconus intonat: Pax. *Praesul dicit imponens dexteram manum suam capiti ejus, qui ordinatur, sinistram vero extendens more precantis.*

Deus noster bone et benefactor. *Repete:* ille, qui dives est in miserationibus suis, quae mensurari et definiri non possunt, et abundans in gratia divinitatis suae, tu, Domine, in multitudine gratiae tuae ineffabilis posuisti nos, ut essemus mediatores istorum donorum tuorum divinorum et coelestium, quae dantur ab auxilio majestatis tuae, et conceduntur in adjumentum hominum, et in redemptionem communem per manus infirmitatis nostrae in Ecclesia tua sancta sponsa tua, quam despondisti Filio tuo, et coronasti, ac redemisti eam per passionem Christi tui. Et secundum apostolicam, Domine, traditionem, quae ad nos deducta est de generatione in generationem, et pervenit usque ad nos per chirotoniam et manus impositionem ministerii ecclesiastici; et beneplacito, consensuque Trinitatis sanctae, et concessione patrum nostrorum**) religiosorum [1], qui in Occidente sunt, in hac potissimum Cochensi ecclesia***), omnium ecclesiarum orthodoxorum communi matre, en praesentamus coram majestate tua, Deus noster laudabilis, ab omnibus adorande, servumt tuum hunc, quem segregasti et elegisti, ut sit episcopus electus in Ecclesia tua sancta et unanimi omnium nostrum, tuaeque divinitati grato consensu, charitatisque et honoris vinculo, oramus omnes conjunctim [2] pro eo, ut veniat super eum, *Repete:* gratia Spiritus Sancti illapsu et

---

[1] A sanctorum. — [2] A deest conjunctim.

*) Patriarchae sedes ac titulus antiquissimus Seleucia et Ctesiphon est. Hae duae urbes adeo conjunctae erant, ut urbs una viderentur esse, quippe fluminis tantum intercursu dirimebantur. Syris dicuntur civitates Arsacidae, h. e. Arsacidarum regiae, item civitates Seleuciae et Ctesiphontis vel absolute civitates, unde arabice nomen Modajen derivatur, quod Modaina redditum soli Seleuciae tribuunt recentiores in canones Arabico-Nicaenos, cum revera plurale sit et utrumque urbem significet.

**) Ex his verbis palam sit, Seleucienses archiepiscopos a patriarcha Antiocheno potestatem accepisse, ut episcopos ordinarent, juxta canonem Arabicum Nicaenum, de quo vide Bibl. Or. T. I. p. 9. et T. III. p. 37.

***) Coche, urbs Babyloniae antiquissima, cui a Seleuco Nicanore instauratae nomen Seleuciae impositum: eadem enim ac Seleucia est vel saltem Seleuciae suburbium. Dicitur in Mahuza: regio enim illa, quae utramque urbem, Seleuciam scilicet et Ctesiphontem, earumque suburbia complectebatur, Mahuza h. e. provincia vocabatur. Sed et suburbium ipsum Bagdadi, alias Carcha appellatum, Mahuza dicitur.

inhabitatione divina: perficiatque, et sanctificet, et consummet eum in opere perfecto hujus ministerii magni et excellentis, ad quod praesentatur gratia et miserationibus Unigeniti tui. Nunc.

Et signat super caput ejus, qui ordinatur. Respondent: Amen. *Deinde dicit archidiaconus:*

Tollite in altum mentes vestras, et postulate misericordiam a Deo clemente pro *tali* presbytero et monacho, qui ordinatur, et constituitur episcopus ad ecclesiam Dei, quae est in loco N. *aut* ad civitatem, aut [1] ad dioecesim N. omnemque ejus ditionem, ad quam segregatus est. Orate pro eo.

Respondet populus: Decet et convenit. *Semel pro episcopo* *). *Et recitat praesul orationem hanc, quae tam super episcopos, quam super metropolitas recitatur.*

Deus magne, qui a saeculo occultorum cognitor, *Repete:* [2] ille, qui creavit omnia virtute verbi sui; et tenet, ac regit omnia nutu placido voluntatis suae: qui omni tempore praestat nobis multo plura, quam petimus et cogitamus, secundum virtutem suam magnam, quae perficitur [3] in nobis; Ille, qui sanguine pretioso [4] D. N. J. Christi possedisti Ecclesiam tuam sanctam, et constituisti in ea prophetas, et apostolos, et doctores et sacerdotes, quorum manibus multiplicaretur scientia veritatis, quam Filius tuus unigenitus dedit generi hominum. Tu, Domine, etiam nunc illumina faciem tuam super hunc servum tuum, et elige eum electione sancta per Spiritus Sancti unctionem, ut sit tibi sacerdos perfectus, qui aemuletur summum pontificem veritatis, qui animam suam posuit pro nobis; et confirma eum [5] per [6] Spiritum Sanctum in ministerio hoc sancto, ad quod accedit. Tu Pater [7] sancte et laudabilis, da illi, ut visitet [8] greges tuos cum rectitudine cordis sui, cum lingua ejus praedicet verbum rectum veritatis, ut sit lumen iis, qui in tenebris sedent, et correptor insipientium, et doctor [9] puerorum. Et indue eum, Domine, virtute ex alto, ut liget et solvat in caelo, et in terra; et per manus ejus impositionem curentur infirmi, fiantque per eum virtutes in nomine tuo sancto ad laudem divinitatis tuae [10]; et faciat virtute doni tui presbyteros, et diaconos, et diaconissas, et hypodiaconos, et lectores [11] in ministerium Ecclesiae tuae sanctae secundum voluntatem divinitatis tuae [12]; et congreget, pascat et augeat [13] populum tuum, et oves gregis tui [14], perficiatque animas sibi creditas [15] in omni timore Dei et castitate; stetque [16] confidenter coram tribunali [17] tuo tremendo, dignusque fiat mercedem illam recipere, quae promissa est oeconomis diligentibus [18], gratia et miserationibus unigeniti Filii [19] tui, cui et tibi et Spiritui Sancto laus, honor, confessio et adoratio [20].

---

[1] A et. — [2] B deest *repete.* — [3] B agit. — [4] B add. Filii tui dilecti. — [5] B hunc servum tuum. — [6] B add. eundem. — [7] B Deus, Pater veritatis. — [8] B pascat. — [9] B add. laetentium et. — [10] B add. magnae. — [11] B diaconissas. — [12] A deest secundum voluntatem divinitatis tuae. — [13] B deest pascat et augeat. — [14] B pascuae tuae. — [15] B quarum factus est inspector. — [16] B add. in fine. — [17] B throno. — [18] B fidelibus. — [19] B deest Filii. — [20] B add. *alta voce* nunc et in saecula saeculorum. R Amen.

*) Sensus est: Quando episcopus ordinatur, populus semel: Decet et convenit; cum archiepiscopus, bis; cum patriarcha, ter dicit.

Et attolit vocem suam, signans caput ejus in crucis modum, ac dicens: Nunc et semper. *Respondent:* Amen. *Qui vero ordinatur, adorat usque ad terram *): et surgit rectus, postquam episcopi dexteras suas a lateribus ejus removerunt, librumque evangelii unacum eo, a quo sustinebatur, ab ejus dorso elevarunt. Tum Maaphram et Birunam super altari ponunt: virga autem ad parietem stat juxta altare; quas omnes archidiaconus affert. Praesul autem circumdat eum Maaphra, et induit Biruna, et tradit virgam in manum ejus dexteram: et signat eum crucis signo in fronte*[1] *pollice suo dextro, ab inferiori parte ad superiorem, et a dextra ad sinistram dicens:*

Segregatus est, sanctificatus est, perfectus est, consecratus est talis in opus magnum episcopatus loci N. aut civitatis, aut dioecesis *talis*, et omnis ditioris ejus; in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Respondent: Amen. *Et osculatur eum praesul in capite, benedicens ei voce, quam is audire possit, ac dicens.* Perficiat te Deus ad opus justitiae usque in saeculum.

Postea apprehendit illius manum, et collocat eum in ordine suo ad dexteram suam, vel sinistram secundum praecessionem sedis ejus. Tum accedunt presbyteri, et diaconi et salutant praesulem, et eum, qui ordinatus est. Et incipit praesul canticum cancellorum. Et dum dicunt canticum, salutat praesul altare, et convertit faciem suam ad occidentem. Deinde archidiaconus adducit ordinatum ad altare, baculum de manu ejus tollens; ille vero salutat altare, et pontificem, statque in loco suo cum decore. Tum reddit illi baculum suum. Qui vero intra cancellos sunt, accedunt unusquisque secundum ordinem suum, et salutant altare, pontificem et ordinatum. Egrediuntur autem presbyteri et diaconi ad bema, portantes luminaria et thuribula, unusque de presbyteris portat crucem, et pontifex procedit cum eo. Dumque pontifex dicit: Gloria, *ascendunt ad bema, et archidiaconus intonat:* Pax. *Pontifex vero orat dicens:* Tibi Domine *et* Sanctus.

Stant autem episcopi, unusquisque juxta primatum sedis suae. Dumque lectio sancta[2] *inchoatur, accedit archidiaconus, omniumque baculos tollens in patriarchium (domum patrum) defert praeter baculum praesulis. Scito autem, quod lex erat antiquis, ut ab eo tempore, quo consecrandus episcopus ad altare accedebat, donec absolveretur postrema oratio, quae est:* Deus magne, qui a saeculo, *evangelium super dorsum ejus poneretur, nec tolleretur; sed hanc consuetudinem abrogarunt patriarchae **). Sic quoque canonem, cujus initium:* Christe, qui servis suis,

---

[1] A inter oculos. — [2] A prima, quod et Assemanus junior in aliis codicibus haberi notat.

*) Ab initio ordinationis usque ad hunc locum jubetur ordinatus flexo utroque genu divinam gratiam suscipere. Antequam autem erigatur, ad terram usque prostratus adorat.

**) Nimirum voluerunt patriarchae, ut evangelium ordinando imponeretur, cum consecrator dicit: Divina gratia et: Deus noster bone, dumtaxat; non vero cum dicit: Deus magne, qui a saeculo.

dicebant antiqui. Sed hunc etiam abrogarunt patres patriarchae, ejusque loco jusserunt dici canticum cancellorum, cum quo ad bema egrediuntur.

Atque ita perficitur ordinatio episcoporum, qui recens ordinantur a metropolita aut patriarcha. Hic etiam ordo eodem modo observatur, quum metropolitae ordinantur. Verum addunt in ordinatione metropolitae in oratione: Deus magne, qui a saeculo: *haec verba.* Ut faciat virtute doni tui episcopos et presbyteros et diaconos etc. *Et praedicat eum archidiaconus sic:* Qui ordinatur et constituitur metropolita ad ecclesiam etc. *Et respondent:* Decet et convenit, *bis in ordinatione metropolitae. His addunt sex metropolitas*), Elam, scilicet, et Sobae, et Perath-Mesenae, et Assyriae, et Beth-Garmae et Halavanae. Per ipsum quoque perficitur electio patriarchae, postquam ex hoc saeculo migraverimus. Et haec dilucidationis causa adnotavimus**). Explicit.*

Confirmatio episcoporum a patriarcha.

Item ordo perfectionis episcopi a Catholico.

Primum seligunt odas pro vespertinis et nocturnis horis ex officio Apostolorum et dedicationis ecclesiae de more. Mane autem facto, hora tertia procedit patriarcha et episcopi cum eo, ornati Birunis et baculis. Qui autem perficitur, detecto capiti imponat velum, et procedat post patriarcham, fimbriam vestimentorum ejus apprehendens et inclinatus, quasi ad eum confugiens. Et incipit praesul cantum communem: et venientes ad altare introeunt. Is vero, qui perficitur, stat in ordine presbyterorum: et incipiunt: Pater noster, qui es in caelis: *Archidiaconus intonat:* Pax. *Praesul orat.* Perfectione, Domine, quae a te est, et aptitudine, quae a te conceditur, perfice et consumma in servo tuo donum muneris tui, qui per patrem communem Dominum caput religiositatis (summum hierarcham) perficitur in nomine tuo, et consummatur dextera tua, et benedicitur, ut possideat virtutem in regimine gregis tui sibi commissi, gratia et miserationibus tuis, Domine universorum.

Et incipit: Memento Domine; *tono: Peregrinus, eoque absoluto orat:*

Eja perfecte, qui natura tua perfectus es, et divitiis perfectionis tuae consummantur ac perficiuntur omnes illi, qui ad perfectionem aliquam veniunt, virtutem tuam, quae perficit nondum perfectos, copiose diffunde super electum tuum, ut perficiatur in opere episcopatus sibi concrediti et caute stet in pastione sua. Domine omnium donorum bonorum, Pater et Fili.

Et incipit canticum. Christe, qui elegisti Apostolos tuos. *Gloria:* Apostoli electi et sancti. *Canon. In multitudine.* Quoniam fecisti eum.

---

*) H. e. nomina singulorum metropolitarum enunciant, ac praecipue sex metropolitarum, a quibus patriarcha ordinari solet.

**) Verba sunt haec Jesujabi Adjabeni, qui Pontificale Nestorianorum emendavit. Significant autem, hoc ritu non solum episcopos ordinari posse, sed etiam metropolitas et patriarchas, etsi pro patriarchis alius ordo institutus sit.

Christe, cujus virtute perficiuntur et consummantur gradus sacerdotii, tu, Domine, virtute tua perfice servum tuum virtute Spiritus Sancti, quemadmodum perfecisti discipulos tuos iis benedictionem impertiens.

Eodem. Christe, qui Apostolis tuis sanctis dedisti claves thesaurorum tuorum spiritualium, da, Domine, nunc huic servo tuo spiritum, et virtutem, atque perfectionem, ut pascat populum tuum et liget, ac solvat juste in caelo et in terra.

Eodem. Per dexteram apostolicam; per quam accepit Paulus perfectionem, et per quam communicavit cum ipso Barnabas in praedicatione; per ipsam perficiatur, qui te adorat, ut regat populum tuum caste.

Eodem. Christe, qui Paulum ex alto vocasti ad evangelium tuum, et impositione manus Petreae etiam illum perfecisti, perfice, Domine noster, adorantem te dono obumbrationis gratiae tuae.

Alius. Vox de coelo. Ibunt de virtute. E virtute, Domine noster, in virtutem extolle adoratorem tui, et eleva; eique concede perfectionem, quae ex te est, per orationem sacerdotum tuorum sanctorum.

Eodem. Perfice, Domine noster, clementia tua, servum tuum virtute gratiae tuae, ut oves gregis tui regat in semitis mandatorum tuorum.

Eodem. Virtute gratiae Spiritus Sancti perfice, Domine noster, adoratorem tui, ut pascat oves gregis tui cum mansuetudine et suavitate.

Tono: Beatus qui. E virtute, Domine noster, in virtutem extolle adoratorem tui, et eleva; tuaque perfectione consumma eum, et perfice, ut possit sine offensione semitam mandatorum tuorum currere. Caput autem ejus corona Spiritus Sancti luce intexta exorna, et da ei virtutem et robur, ut vincat malum dolosum, tuumque gregem pusillum et debilem enutriat cibo spirituali; atque oves tuas, quas in manus ejus commendo, pascat in charitate et timore; ut cum veneris tu plasmator in fine ad judicandum omnem rationalem, audire illum facias eam vocem: intra in regnum meum, et in ipsum deportare.

Eodem. Perfice, Domine noster, clementia tua servum tuum, per virtutem gratiae tuae, eumque perfectione tua consumma, ut pascat cum mansuetudine gregem tuum, et regat oves pascuae tuae; da etiam ei virtutem de virtute tua, ac orna illum ornamento pulchritudinis tuae, corona quoque decoris tui corona eum; personamque ipsius illumina luce tua, et splendore ac nitore vultus tui; adjunge ei virtutem adjutorii tui, ut ambulet sine macula in via tua, et sine reprehensione in semita tua; custodiatque verba, quae in annunciatione tua; et intelligat mysterium adventus tui; ac meditetur in mandatis tuis, perficiatque omnia praecepta tua; et cum veneris in fine cum gloria tua ad judicandum omnes creaturas tuas, intret in regnum tuum tecum, et in thalamo lucis tuae deliciis affluat.

Eodem. Sacerdotem, quem elegit dextera tua ad gradum summi sacerdotii, imple, Domine noster, Spiritu Sancto, ut sit sanctificator fratrum suorum.

Eodem. Spiritus, qui descendit super Apostolos in coenaculo, et sapientes eos reddidit, ipse descendat super servum tuum, ut pascat oves tuas caste.

Archidiaconus intonat: Pax. *Praesul orat.* Qui natura a saeculo perfectus es, quique essentialiter perfectionem possides, perfice Domine cum religioso tuo isto gratiam tuam, et effunde per manus ejus donum tuum, ut sit perfectus in pontificatu, quem ei credidisti, Domine graduum perfectorum, largitor donorum spiritualium, Domine universorum.

Et incipit. Ad te levavi. Perfice donum tuum, Domine noster, cum servo tuo. *Cumque absolverit, non orat, sed imponit evangelium dorso ejus; non oportet autem, ut legat super eum, quoniam semel lectum fuit super eum. Quod si legere voluerit, recitet lectionem Pentecostes, non vero: Caesareae Philippi. Patriarcha dicit,* Gratia D. N. J. Christi, quae semper. *Vide in ordinatione episcoporum. Et signat seipsum. Respondent:* Amen. *Archidiaconus intonat:* Pax. *Praesul imponit dexteram suam capiti ejus, qui perficitur, dicens:* Deus noster bone. *Vide eam a dextera tua post:* Gratia Domini nostri. *Et signat caput ejus, qui perficitur.*

Tum archidiaconus praedicat: Attollite oculos vestros in altum, et postulate misericordiam a Deo clemente pro N., qui perficitur episcopus. *Non dicit:* pro N. presbytero, *ut imperiti dicunt. Et respondent:* Decet et convenit: *semel praesul voce tenui pro:* Deus magne, qui a saeculo, *dicit.*

Gratia D. N. J. Ch. et charitas Dei Patris, et communicatio Sancti Spiritus, qua ordines omnes sanctae Ecclesiae continentur fluuntque; perficiatur tecum misericorditer, perficiatque te omni dono pontificatus, quem accepisti ad aedificationem Ecclesiae Dei, et gloriam sancti et gloriosi nominis ejus. *Attollit vocem:* nunc et semper. *Et signat super caput ejus. Respondent:* Amen.

Et tollunt evangelium a dorso ejus. Qui vero perficitur, adorat, et surgit. Archidiaconus autem accipit Maaphram de altari, traditque Catholico, qui eam illi aptat: tum Biruna eum induit, et baculum in manum ejus tradit, signatque eum in fronte, dicens:

Segregatus est, sanctificatus, perfectus et consummatus est N. in opus magnum episcopatus civitatis N. totiusque ditionis ejus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. In saecula.

Et signat eum in fronte cum invocatione nominum Patris etc.

Et osculatur eum in capite, statuitque eum in ordine suo. Accedunt autem presbyteri, et diaconi, et salutant altare, patriarcham, et eum, qui perfectus est, proceduntque cum hymno cancellorum in bema. Atque ita perficitur ordo episcoporum.

Oratio) dicenda a praesule, dum induit ordinandum Maaphra.* Induat te Dominus pallio (seu casula) lucis in ordine isto pontificatus, et Maaphra decenti summi sacerdotii et sanctificet membra tua in castitate, teque dignum efficiat revelatione facierum in manifestatione ipsius, adjutorio suo, quod tibi opitulatur. Amen.

Ad Birunam. Stola haec principalis, quae ex hoc altari perfecta est, et occulte accepit virtutem caelestem, te ornet manifeste, ut oves tibi concreditas perfecta ac pura cura pascas, et cum Apostolis sociis

*) Orationes istae ad ordinationem episcoporum pertinent, licet in codice hic repositae sint, eo quod etiam a patriarcha in perfectione dicantur.

tuis tradas talenta tua Domino tuo, ac audias ab eo verbum, quod te laetificet, atque cum ipso delecteris bonis indeficientibus ac sempiternis. Amen.

Ad velum *). Claves domus Simonis, qui traditae sunt oeconomis diligentibus, et pastoribus peritis ad dispensationem divitiarum spiritualium, et ad ligamen, et solutionem in coelo insimul ac in terra, atque ad apertionem portae miserationum tradit tibi Spiritus Paraclitus, qui te elegit, prout placet dominationi suae; ut per illas facias voluntatem ejus omnibus diebus vitae tuae in ovili Christiano in saeculum. Amen.

Ad virgam. Virga fortitudinis et potentiae, quae ex Sion intellectuali missa est ad te, ut per eam pascas status christianos et gradus orthodoxorum, illa te corripiat, et per eam corripiat eum, qui per te dirigitur, ut per orationes tuas perveniat ad portum vitae et lucis. Et tu, ac oves tuae ad regnum coelorum perducamini, et in sessione dextera in accubitu justorum custodiamini cum sociis tuis per gratiam benignitatis Domini tui. Amen.

Ad ordinandum: Quia dignum fecisti, Domine, humilem servum tuum supra omne meritum opere duplicato perfectionis negotiationis istius sublimis talentorum, quae spiritualibus exoptabilis est, terrenis desiderabilis, et daemonibus terribilis, quae per gratiam negotier, et quibus ditatus etiam alios ditem; ita, Domine mi, dignam fac humilitatem meam, et adjuva, ut in duplum laboribus operum virtute praeditorum offeram ea dominationi tuae, virtute gratiae tuae, et auxilio miserationum tuarum, omnibus diebus vitae meae etiam, et Amen.

Explicit ordo perfectionis episcopi, quae fit a Catholico.

Consecratio patriarchae.

Item ordo impositionis manus Catholicorum.

Domine noster adjuva me per tuas miserationes. Amen.

Perficitur autem in ecclesia magna Cochensi in Mahuza **), *quum congregantur ad constituendum patriarcham* ***), *juxta traditionem et definitionem religiosi Marabae Catholici, et sanctae memoriae Domini Gabrielis metropolitae Perath-Mesenae, seu Bassorae: et secundum ordinem Domini Cypriani metropolitae Nisibis.*

---

*) Pontifices Syri et Armeni loco cerei bisulci seu trisulci, quem Graeci δικήριον et τρικήριον vocant, cruce parva argentea vel aurea utuntur, ex qua velum pendet, eaque populum signant; sed est et aliud velum, quo perficiendus episcopus caput suum tegere jubetur in Pontificali Nestorianorum.

) Vide dicta p. 242. nota *, et T. I. p. 3. n. 2.

***) De electione patriarchae vide Bibl. Or. T. III. P. 2. p. 648. seq. Antea Modainae seu Seleuciae in ecclesia Cochensi omnes fere patriarchae electi et ordinati perhibentur. Postquam vero Califarum Saracenorum sedes Bagdadum translata est, ibi etiam domicilium suum patriarchis figentibus lex lata est, ut in eadem urbe in coenobio patriarchali fieret quidem novi Catholici electio, sed illius consecratio non alibi quam Seleuciae in Cochensi ecclesia, quae a S. Mari fundata dicitur, estque ecclesia patriarchalis, juxta antiquam consuetudinem perficeretur. (Bibl. Or. T. III. P. 2 p. 661).

Ordinatio autem et electio patriarchatus hunc in modum peragitur. Postquam patriarcha ab ecclesia migravit, conveniunt sacerdotes, episcopi et fidelis plebs, hoc est, medici et scribae), qui in urbe pacis Bagdado commorantur. Tunc arcessunt episcopum Cascarae, si quidem in vivis est: ipse enim est caput episcoporum provinciae magnae et patriarchalis**), idemque dexteram patriarchae tenet, ejusque sedem vacantem custodit. Quod si mortuus est, arcessunt episcopum Zabarum. Et si hic non adsit, episcopum Hirtae et Akulae. Quo defuncto*[1] *episcopum Pheroz-Sapor, quae et Anbara. Et hoc absente episcopum Nipharae, atque ita unum post alterum, donec ad episcopum Kosrae deveniant. Quumque is advenerit, sedet in domo patrum*[2]*, omniaque munia patriarchatus implet, praeter ordinationem episcoporum, et excepto, quod baculum non tenet, nec Biruna utitur. Exactis autem tribus mensibus scribit ad cunctos episcopos et metropolitas, ut in urbem pacis adveniant: quorum si quis morbo, aut aliqua infirmitate impeditus fuerit, suffragium suum propria manu scriptum per eos, qui adveniunt, episcopos mittit. Metropolitarum autem unusquisque secum adducit tres episcopos ex sua provincia. Tunc vero communi sententia personam eligunt juxta canonem et definitionem, consensum autem suum praestant episcopi omnes sigilloque proprio firmant.*

Cumque res per episcopos, primores et fideles Bagdadi peracta fuerit, patres, presbyteri, diaconi, populusque fidelis conferunt se ad civitates Arsacias Seleuciam et Ctesiphontem. Postquam autem e navibus descenderunt, incipit electus canticum istud: Erigens de stercore: qui erigit e pulvere, *quod vide feria 3, hebdomadae 3. jejunii. Ipsi vero respondent ex canticis occursus, donec monasterium patriarchale ingrediuntur, ubi quiescunt usque ad horam officii vespertini. Tum surgunt metropolitae, et episcopi, suoque ornatu et Birunis induti, et baculos tenentes, incipiunt.* Pater noster, qui es in caelis. *Praesul*[3]. *Jaculatoria.* Fundamenta ejus. *Et:* sicut incensum. *Et:* Tibi Domine, *secundum ritum festorum; ante:* Magister noster. Dextera Domini, quae omnes vocat ad regnum. Gloria. Benedictus sit Christus, qui induit. *Post.* Si Martyres, *aut:* jam veritas. Dominus dabit virtutem. Dominus virtus est. Virtute Spiritus tui corroborati sunt Apostoli sancti, Salvator noster, et egressi sunt ad bellum contra Malignum et virtutes ejus. Atque ensibus districtis et acutis linguarum suarum destruxerunt aciem inimici, et omnes exercitus ejus debellarunt: modo vero, postquam vicerunt omnia

---

[1] A absente. — [2] A patriarchio. — [3] A deest praesul.

*) Primores laici, quales erant Archiatri, scribae aliique christiani Calipharum principumque infidelium administri, qui in aula regia plurimum valebant, suam in electione patriarchae opem conferunt. Vota populorum requiruntur in universo electionum negotio apud Syros. Nestoriani vero patriarchae ex familia Mamae, qui ab anno 1500 ad hunc usque diem throno patriarchali in Mosulana civitate incubarunt, alium induxerunt morem. Per designationem enim a vivente patriarcha futurus successor creatur; designatur nimirum puer quispiam ex cognatis et consanguineis ejusdem, qui ad officium suscipiendum praeparatur.

**) Est provincia, quae patriarchae ut metropolitae specialiter subest.

certamina, en obsecrant tuam dominationem, custodias Ecclesiam tuam a Malo et virtutibus ejus. Nosque omnes dignos fac, qui ingrediamur cum ipsis in thalamum lucis ad canendam gloriam dominationi tuae. *Gloria.* Apostolorum castorum, et sanctorum Jesu Redemptoris nostri amicorum, Petri et Pauli, columnarum Ecclesiae sponsae Altissimi, qui praedicarunt mysterium magnum, et docuerunt in orbe creaturarum Trinitatem laudandam, posueruntque fundamenta ejus super petram fidei: oratio ipsorum sit murus animabus nostris adversus omnes noxas, et per eum liberemur a Malo et artibus ejus, dignique fiamus, qui cum ipsis canamus gloriam in regno. *Et intonant proclamationem, quumque pervenerint ad illud:* Pro patre nostro: *dicunt:* Pro sanctis patribus nostris: *proferuntque nomina metropolitarum et episcoporum, unum post alterum juxta ordinem suum. Et ita in secunda (proclamatione). Deinde:* Sanctus: *festorum. Jaculatoria* 1. Dominus regnavit, et decorem. 2. Cantate Domino canticum. *Initium.* Dominus regnavit. Irascantur. *Tono. Fundamenta ejus. Canticum proprium diei. Adjunge.* Venite populi. Pater noster, qui es in coelis.

Et vigilant vigiliam (hoc est: dicunt nocturnum officium) incipientes ab initio Davidis (psalmorum) cum cantibus et canonibus.

Sessio prima. Apostoli, qui fuerunt fontes benedicti in terra: *Et mutationes ejus. Et cum tempus suppetit, dicunt sessionem secundam:* Dono: *et socias: Adde:* Fontem vitae. *Et mutationes ejus. Gloria.* Lampades lucis. *Canones Apostolorum. Hymnus.* Benedictus Dominus, cujus servi dormiunt. *Canticum,* O sacerdotium. *Sessio, quae inter:* Confitemini: Apostoli, Cephas. *Et socias ejus. Gloria.* E numero. *Sessio τὸ:* In aeternum tu es: Domine cum turba. *Et socias ejus.* Gloria. Pater, Fili et Spiritus Sancte. *Canon.* In Ecclesia confitebor Domino; In consilio. Apostoli postulate misericordiam a Domino omnium pro mundo, ut per orationes vestras custodiatur. *Hymnus.* Oratio Apostolorum tuorum. *Et proclamatio. Canticum:* In quatuor fines[1].

Et deinde ingrediuntur ad altare metropolitae, episcopi, presbyteri et diaconi, ac dicunt: In aeternum es: *inter Catholicos. Tum cantus vigiliarum.* Coeli enarrant. *Ton. Dominus regnavit, et decorem Secundus.* Exaltabo te Domine: *cum tono ejus. Tertius:* Laudate Dominum de coelis. *Ton. Si Dominus. Adde.* Cantate Domino canticum in Ecclesia. *Responsorium noctis diei occurrentis. Adde.* Ut magister noster. Apostoli, quos elegisti Redemptor noster. *Et socias ejus. Gloria.* Benedictus, qui vos magnificavit. *A saeculo.* Christe ne deseras nos. *Canon.* Beatus qui. *Laudate Dominum.* Laus virtuti tuae, Salvator noster, qui Apostolos in caenaculo replesti Spiritu Sancto. *Hymnus.* Confessio bono. *Ton. Peregrinus. Et intonant proclamationem, patrum nomina commemorantes. Et incipiunt psalmos matutinos. Tum vero metropolitae et episcopi cancellos ingrediuntur: clerici autem, et scholastici, et populus in templo stant. Patres vero ornantur Maaphris, Birunis, baculis, universoque sacerdotii apparatu. Incipit autem metropolita Elam, aut, qui proximus ipsum sequitur.* Deus noster misereatur. *Aut.* Confitemini Domino, et invocate. *Aut,* Memento Domine. *Et in-*

---

[1] A ingrediuntur cancellos.

cipiunt canticum: Pater noster, qui es in coelis, *totum, et reliquos cantus occursus, unum post alterum.*

*Et procedunt ad scholam extra coenobium: deinde redeunt ad altare. Cumque cancellos introierint, electus in diaconium *) introducitur, patrum tunica **) indutus, et stola seu orario amictus, in ordine presbyterorum coram ipsis stat. Archidiaconus, qui est Cascarae episcopus, intonat:* Pax, *orarium humero impositum gerens. Praesul orat.*

Te, qui pontifices ungis gratia tua, et nectis diademata omnium principatuum, qui omne, quod vis, facis, et quod petis, praestas et perficis in coelo et in terra, supplices deprecamur ac petimus, effunde Domine super servum tuum hunc, quem elegisti in ministerium hoc excelsum gratiae tuae, et reple eum spiritu doni tui, ut provide stet in capite populi tui, et secundum voluntatem tuam pascat greges signatos tuo signaculo sancto. Largitor donorum spiritualium Domine universorum.

Metropolita consecrator incipit: Misericordiam Domini in aeternum: *voce distincta, usque ad illud:* Testis in coelo. *Antiphona:* Gratia illa, et donum illud, quod descendit et habitavit super discipulos, ipsa Domine descendat, et ipsa Domine inhabitet super adorantem te usque in saeculum. Tibi commendo claves thesauri spiritualis, ut liges et solvas omne, quod est in terra et in coelo: epitropum (dispensatorem) regni coelorum te facio, dispensa divitias spirituales filiis hominum.

Et orat metropolita, qui proximus venit post eum: Te, qui pontifices ungis etc. gregem tuum notatum signaculo tuo sancto Domine universorum. *Ponunt incensum, et incipit canticum.* Qui cuncta facit[1]. *Gloria.* Sacerdotium Aaroniticum. *Tum orant omnes metropolitae et episcopi, qui congregati sunt, et incipit unusquisque ordine suo, initium cum canone recitans*[2].

Oratio. Divitiae coelestes et sacerdotales, qui descendit de coelo se inclinans, et in talentis istis aureis spiritum adoptionis filiorum expressit. Tu illuminasti tenebras generis nostri per abundantiam mundam donorum tuorum, quae illustrant animam, concede, Domine, adoratori tuo clavem thesauri gratiae tuae, ut per eam dispenset divitias vitae et positionem auxiliorum gregibus dilectis pascuae tuae signatis nomine tuo, Domine omnium.

Aut hanc. Effunde, Domine, virtutem gratiae tuae, et demitte divitias doni tui super servum tuum hunc, quem elegisti, reple animam ejus donis tuis spiritualibus; et da nobis, ut simus cum illo unanimes in charitate et integritate vera fidei et spei, in toto sabbato nostrae vitae, per adjutorium perpetuum, quod ex te, Domine omnium.

---

[1] A hic add. Et dicunt. — [2] A orant . . . . unusquisque ordine suo, unam ex quatuor hisce orationibus dicens.

*) Diaconium vocant Syri eam templi partem, quae cancellis altaris clauditur.

**) Est alba presbyteris pontificibusque communis, quae stychario Graecorum respondet.

Alia. Extende Domine Deus noster, et benedic servo tuo, eumque gratia tua sanctifica, concede etiam per manus ejus auxilia et dona tua divina, ut sine macula regat ecclesiam tuam sanctam et cum religiositate ac simplicitate cordis crescere faciat, ditet et pascat greges tuos; et diligens provideat recta ovibus gregis tui omnibus diebus vitae suae super terram, Domine omnium.

Alia. Dignum fac, Domine, servum tuum, cui credidisti pastionem ovium tuarum redemptarum, et agnorum tuorum simplicium, et ordines ovium emptarum sanguine, qui effusus fuit pro omnium rationalium propitiatione, ut integro corde et ductione manuum regat eos, et super prata (pascua) fortitudinis discumbere illos faciat, et aqua quieta doctrinae potet; et a valle umbrosa mortis eripiat, et disponat coram eis mensam regie instructam veritate tua contra adversarium evangelii tui, ut saturentur, et impinguetur cor eorum Spiritu Sancto tuo sanctificante omnia, Domine universorum.

Et incipiunt canonem tono: Parce, et propitius esto.

Bonitatem fecit cum. Christe, qui ditasti Apostolos tuos per donum Spiritus, selige servum tuum ad pastionem gregum tuorum. *Eodem.* Virtus Spiritus Sancti, quae descendit et mansit in caenaculo Sion super discipulos, ipsa Domine descendat super servum tuum. *Eodem.* Dominus virtus est. Mitte Domine, Deus noster, Spiritum sanctitatis, et illapsus maneat super caput servi tui, ut stet coram te cum suis ovibus in castitate. *Eodem.* Pastorem, quem segregasti et elegisti, Domine noster, ut pascat oves tuas sanguine tuo redemptas, reple gratia Spiritus Sancti. *Tono: Beatus qui.* Deus judicium tuum da: Christe summe pontifex, ex quo dimanat sacerdotium, perfice Domine dominantium servum tuum, quem elegit gratia, ut sit caput religiositatis (episcopatus) et gubernet ecclesiam electam; fac etiam illum dignum, qui cum puritate et virga verbi vivi pascat oves, quae sunt in omnibus finibus, et terminis, et locis; et sparge ac effunde super eum benedictiones, et munera cum donis, atque ipsum constitue magnanimum, Domine, in longitudinem dierum in veritate fidei.

Eodem. Christe, qui dedisti caetui pio Apostolorum probatorum puritate potestatem in Ecclesia electa, et in coelo, prout convenit etiam; concede per gratiam religioso coronam decoram gloria summi pontificatus praeclari, in ordine patriarchatus, ut pascat populum tuum cum vigilantia et mansuetudine secundum voluntatem tuam; et illum, qui perditus est per errorem, reducat sollicitus, et illum, qui in fide infirmus est, medicina sanet; et omnes insimul ac unanimes glorificemus te assidue, et perpetuo.

Eodem. Christe rex regum, Domine noster, Jesu spes nostra et honorificentia nostra, dignum fac servum tuum Deus noster, ut sit caput exercitui nostro, et pure regat caetum nostrum, pascat etiam totum gregem nostrum secundum voluntatem tuam, qui curam nostri geris, Fili Altissimi, noster auxiliator; et in diebus ejus multiplica nobis pacem, ac tranquillitatem, qui nos laetificas, ut ex ore nostro et lingua nostro ascendat ad te gloria omni tempore.

Eodem. Quia praevenisti eum. Respice de coelo Salvator, creator altitudinis, et profunditatis, ac vitae omnis halitus et odoratus; et electi tui hujus idonei, quem charitate et anxietate elegimus, ut super nos

Catholicus praeesset, caput corona lucis tuae radio, qui splendet prae fulgore; benedic etiam illum omni honestate summi pontificatus, quae eidem congruit, et purum eum facito ac mundum, pastoremque vigilem et sedulum, qui Ecclesiam tuam sanguine tuo redemptam virga sermonis tui, et non securi pascat, uti convenit et decet; eamque ad portum tutum perducat, liberetque ab angustia tentationis et periculi mali ac difficilis; et cum novissima tuba personat, tuusque adventus omnibus apparet, sursum gratia tua ipsum elevet in regionem, quae superior est omni angustia, et cujus gaudium non deficit, ibi autem te collaudet sine silentio, et sine cessatione cum vigilibus.

Eadem. Christus fons religiositatis, et origo sanctitatis, qui ortus est ex genere nostro in fine ad redemptionem omnium creaturarum; et ex populo pleno nequitia elegit sibi coetum pium ad institutionem omnium gentium, eosque replevit gratia Spiritus Sancti sanctificantis, et dedit eis claves regni coelorum stabilis, ut sursum ac deorsum aequaliter ligarent et solverent juste: elige servum tuum electione bona ad opus patriarchatus, et unctione summi pontificatus unge illum cum omni convenientia et caput ejus caste exorna corona summi pontificatus; eum autem orna per amictum operum justitiae, et per Maaphram verbi tui vivi; et indue eum virga pastionis, quae custos est omnium mandatorum, ut oves tuas et gregem tuum, quae ei commendasti, cum cautela pascat et omni vigilantia; et operare per manus ejus signa, miracula et prodigia, et cum veneris Domine noster in fine ad judicandum omnes creaturas, ad regnum tecum ingrediatur, tibique psallat laudem novam [1].

Quod si per tempus licuerit, dicere poteris aliquos ex illis canonibus, qui descripti sunt supra in ordinatione episcoporum, aut alios, qui infra in fine describuntur.

Archidiaconus intonat: Pax: *Princeps metropolitanorum orat:* Dignum fac, Domine, servum tuum, cui credidisti. *Vide a dextera tua scilicet in ordinatione episcoporum. Et incipit canonem istum:* Deus [2] misereatur. Effunde, et perfice gratiam tuam, Domine noster, cum servo tuo. *Et dicunt:* Gloria: *non tamen orant; sed ponunt evangelium super dorsum ejus: et metropolitae imponunt manus suas super caput ejus, et episcopi imponunt manus suas super corpus ejus; legit autem lectionem episcopus Pheroz-Sapor, seu Anbarae.* Cum autem venisset Jesus in partes, *uti descriptum est supra* [3]. *Cumque lectio absoluta fuerit, archidiaconus intonat:* Pax. *Et recitant super eum metropolitae et episcopi omnes, qui congregati sunt, clara voce orationem istam.*

Gratia D. N. J. C.; quae omni tempore deficientia supplet, cum beneplacito Dei Patris, et Filii ejus unici et virtute Spiritus Sancti ab omnibus adorandi, largitoris omnium bonorum; etiam nunc Domine Deus, eligit in ecclesia tua Orientis Coches matris ecclesiarum Seleuciae et Ctesiphontis civitatum Arsacirum, talem metropolitam, *aut* episcopum, *aut* presbyterum, et monachum in opus magnum patriarchatus. Oremus omnes pro eo, ut adveniat super eum donum tuum, Deus, et perficiat

---

[1] A Pro his omnibus post quatuor orationes habet: Et dicunt canones duos, quorum 1. incipit Christe, qui Apostolos tuos ditasti, 2. Christe summe sacerdos. — [2] A add. noster. — [3] A add. in ordinatione episcoporum.

cum virtute, atque consummet in ministerio patriarchatus, gratia et misericordia Unigeniti tui, cui tecum et cum Spiritu Sancto gloria, honor, gratiarum actio et adoratio.

Attollit vocem consecrator. Nunc et semper. *Et signat se ipsum et respondent:* Amen. *Archidiaconus intonat:* Pax. *Et recitant metropolitae:* Deus noster bone, dives in miserationibus tuis. *Descripta est in ordinatione episcoporum. Si autem metropolita non fuerit, dicunt etiam super eum:* Deus magne, qui a saeculo. *Oportet autem, ut in ea addant:* Et faciat in virtute nominis tui et doni tui metropolitas, et episcopos, et presbyteros, et diaconos. *Et reliqua. Et hanc quidem precationem recitant metropolitae. Episcopi vero manum imponunt ei dumtaxat*[1], *ostendentes per hoc ordinatum et consecratum ipsis honore majorem esse ac sublimiorem. Respondent autem:* Amen. *Aut dicunt pro:* Gratia, *quae supra descripta est, hanc aliam.*

Gratia D. N. J. Christi, quae semper deficientia supplet ac perficit, cum beneplacito Dei Patris omnipotentis et Filii ejus disponentis omnia, et virtute Spiritus ejus cuncta perficientis, omniaque in omnibus operantis: etiam nunc nutu ipsius, quo cuncta gubernantur, elegit ecclesiae suae sanctae *talem* metropolitam, *aut* episcopum, *aut* presbyterum, et monachum, in opus magnum summi sacerdotii patriarchale. Oramus omnes pro eo tamquam filii Paternitatis ejus, ut adveniat super eum abundanter donum Dei, quod ipsi per Spiritum Sanctum ab eo conceditur, et perficiat, consummet, ordinetque eum in hoc ministerio, gratia et miserationibus suis, ad stabilimentum ecclesiasticae fidei, et ad perfectam perpetuamque populi nostri salutem: nunc. *Et signat seipsum.*

Et pro Deus noster bone, *hanc:* Deus noster bone, et benefactor. *Repete.* Dives in immensis miserationibus suis, et abundans in clementia Deitatis suae; tu, Domine, per multitudinem gratiae tuae ineffabilis posuisti nos, ut essemus mediatores istorum donorum tuorum divinorum et coelestium, quae dantur ab auxilio dominationis tuae, et conceduntur in adjumentum hominum, et in redemptionem communem per manus infirmitatis nostrae in Ecclesia tua sancta, sponsa tua, quam despondisti Filio tuo, et coronasti, redemisti eam per passionem Christi tui. Et secundum apostolicam, Domine, traditionem, quae de generatione in generationem ad nos deducta est, et ad nos usque pervenit per chirotoniam et impositionem manus ministerii ecclesiastici; beneplacito consensuque Trinitatis sanctae, et concessione patrum nostrorum religiosorum, qui in Occidente sunt, in hac potissimum Cochensi ecclesia, communi matre omnium ecclesiarum orthodoxorum; en praesentamus coram magnitudine tua, Deus noster laudabilis, ab omnibus adorande, servum tuum hunc, quem segregasti et elegisti, ut sit catholicus patriarcha electus in ecclesia tua sancta: et unanimi omnium nostrum, tuaeque divinitati grato consensu, charitatisque et honoris vinculo oramus omnes conjunctim pro eo, ut veniat super eum gratia Spiritus Sancti illapsu et inhabitatione divina, perficiatque et sanctificet, et consummet eum in opere perfecto

---

[1] A add. ut per hoc consensum suum demonstrent. Dominus autem Joannes Abgari filius affirmat oportere, ut metropolitae simul et episcopi recitent super eum. Quae in notis a juniore Assemano etiam memorantur.

ministerii hujus magni et excellentis, ad quod praesentatur, gratia et miserationibus Unigeniti tui: nunc. *Et signat eum, qui ordinatur.*

*Archidiaconus *) proclamat:*

Tollite in altum oculos vestros, et postulate misericordiam a Deo clemente pro tali metropolita, *aut* episcopo, *aut* presbytero, et monacho, qui ordinatur, et constituitur [1] catholicus patriarcha in Arsaciis civitatibus Seleucia et Ctesiphonte, et ad totam politiam (gubernationem) Orientis et Occidentis **), ad quam segregatus est. Orate pro eo. *Respondet populus:* dignum et justum est, *ter: et recitant metropolitae omnes voce, quam ipsi intelligant, orationem hanc.*

Nos quoque exules, quibus commendata est magna domus Dei, quae est sancta Ecclesia, jussu Dei Patris veritatis et beneplacito ejus dilecti Filii D. N. J. C.; et permissu Spiritus Paracliti: in verbo vivo, et immortali, quo sancti patres nostri donum istud gloriosum patriarchatus dederunt sanctae huic sedi, quae est in magna ista Cochensi ecclesia in Seleucia et Ctesiphonte Arsaciis civitatibus: accedimus et nos tenues, pauperes ac miseri famuli tui, supplicesque rogamus, ut idem hoc donum spirituale, patriarchatus nempe, misericorditer custodiatur apud rectorem hunc, qui segregatus est [2], ut sedeat super sedem hanc sanctam usque in diem revelationis D. N. J. C., simus autem nos cum ipso in spiritu unanimes, in consensu sine scissione, in charitate sine dolo, omnibus diebus vitae nostrae; et ipse Christus custodiat rectorem hunc sine laesione ab omnibus contrariis, et liberet eum ab omnibus tribulationibus; atque proferat judicium suum cum victoria, corroboretur quoque brachio alto et potenti Domini, sitque armatus virtute Spiritus Sancti, ut non cadat coram inimicis veritatis. Eia, Domine Deus noster, custodi servo tuo huic donum istud magnum patriarchatus. *Repete.* Quod est tuum, tuque ei dedisti. Custodi etiam nobis consensum hunc cum eo juxta pactum tuum verum, quod fecisti cum Abraham, et Isaac et Jacob, et tota Ecclesia tua sancta, quam tibi elegisti, etiam, Amen: et da, Domine, perfectionem, quae a te provenit, et gratia tua ac auxilium misericordiae tuae sint super populum tuum, et super Ecclesiam tuam, quam elegisti tibi, omnibus diebus saeculi. *Et attollit vocem princeps metropolitarum.* Nunc et semper, et in saeculum saeculorum. *Respondent:* Amen.

Tunc afferunt Kaphilam, et princeps metropolitarum illam super caput ejus demittit; et induit eum Biruna; et tradit illi baculum ipsius in

---

[1] A deest constituitur. — [2] A electus est.

*) Qui est Cascarae episcopus, orarium humero impositum gerens ad modum diaconi. Apud reliquos Syros episcopi assistentes in signum consensus presbyterorum et diaconorum ministrantium officio etiam funguntur, sed ornatum non mutant.

**) Nomen Occidentis additum a recentioribus, postquam Nestorianus patriarcha ditionem habere coepit in Syria, Palaestina et Cypro: nam antiqui codices solum Orientis nomen videntur expressisse. Ita et princeps metropolitarum, quum baculum pastoralem consecrato tradit, regimen Orientis memorat, non Occidentis.

manum ejus, signatque eum in fronte dicens: Segregatus est, et sanctificatus, et perfectus, et consummatus, et ordinatus est talis in magnum opus patriarchatus, pro magna ecclesia Cochensi in Seleucia et Ctesiphonte, et pro toto Orientis regimine, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti in saecula. *Respondent:* Amen.

Tum accedunt duo metropolitae, alter a dextris, et alter a sinistris ejus, et statuunt eum coram altari; qui tribus vicibus adorat, gratias agens pro concesso sibi dono: et convertit faciem ad occidentem. Metropolitae vero accedunt, et adorant coram eo, et salutato eo stant hinc et inde, et post eos episcopi: deinde universus coetus, qui in cancellis est, adorat coram eo, et benedictione ab eo accepta, stant unusquisque ordine suo. Incipit autem Catholicus hymnum cancellorum: Domine noster in miserationibus tuis. *Aut:* Turbae cruce redemptae. Gloria. Christe servator noster, tu conserva. *Aut:* Ecclesia gloriosa. *Et egrediuntur ad bema; oratque Catholicus, et dicunt*[1]: Tibi Domine, *et* Sanctus: *juxta ordinem*[2]. *Dum autem prima prophetiae lectio inchoatur, dicitque diaconus:* sedete et silete: *accedunt metropolitae Elam et Sobae*), et Perath-Mesenae, et reliqui deinceps, unusquisque ordine suo, apprehensumque eum a dextris et a sinistris collocant in sede patriarchali: baculosque metropolitarum tollunt ab eis, quoniam non licet eis coram patriarcha baculos tenere. Episcoporum autem baculi jam antea detracti fuerant. Lectiones autem, quas legunt, sunt hae: Prima:* Ecce testem gentibus: *Secunda:* Antequam formarem te in utero: *Initium*[3]*:* Domine in virtute tua laetabitur Pastor. *Unus episcoporum legit apostolum:* Hoc mandatum commendo. *Patriarcha legit evangelium ex Johanne:* Qui non intrat per ostium in ovile ovium. *Et dicit homiliam: aut praecipit uni ex metropolitis, ut legat, et alter homiliam habeat, et alius liturgiam celebret, si ipsi placuerit: quod enim sibi libuerit, id praecipit. Tum intonant primam praedicationem diaconi omnes: secundam presbyteri; antiphonam mysteriorum (ad communionem) oeconomi**). Cumque mysteria absoluta fuerint, procedentes ad aedes Mar Timothei***), inchoant communem hymnum: cum vero eo pervenerint, dicunt,* Gloria *et* A saeculo: *et unusquisque eorum orationem recitat. Tum unus ex eis, concione habita, benedicit populo. Universa autem turba comedit, et bibit coram eo in illa die.*

Mane autem feriae secundae sub ortum solis praeparant sedem ante aedem Mar Salibae. Conveniunt vero metropolitae omnes, et episcopi, et presbyteri, et diaconi, et fideles in Ecclesiam: et orant, incipiuntque psalmum initii: Cantate Domino canticum: *Vel,* Dominus regnavit, exultet, *vel* Exaltabo te Domine; *in fine tertii toni. Tum orant, et inci-*

---

[1] A dicit. — [2] A de more. — [3] A Antiphona.

*) Sobensis inter metropolitas secundum locum occupat ex decreto synodi anni 552. sub Josepho patriarcha habitae.

**) Archidiaconi apud Nestorianos oeconomorum officio funguntur, quos proinde ecclesiarchas vocant.

***) Hoc est coenobium a Timotheo patriarcha saec. VIII. declinante exstructum, quod Caliljesu et Catholici nomen obtinuit.

piunt cantus: Tono primo: Pater noster, qui es in caelis, *quantum volunt. Et subjungunt tono secundo:* Per virtutem: *cumque ab ecclesia egressi fuerint, et ad ostium scholae pervenerint metropolitae omnes, et episcopi unacum patriarcha, paramentis sacris induti, et baculos manu tenentes, procedunt scholastici cum cruce, evangelio, thuribulo et lampadibus, et clamant, dicentes:* Benedic Domine. *Quibus praesul, qui reperitur* [1], *benedicit. Tum in duos choros distributi cantus omnes, ut in Hosannis fieri solet, consequenter disponunt usque ad ecclesiam Cochensem, quam ubi intraverint, dicunt,* Gloria *et* A saeculo: *et orant, et absolvunt orationem. Deinde in coenobium Koni*), quod est sancti Maris apostoli, descendunt. Coenobitae autem usque ad Tigrim obviam ei procedunt, tribusque vicibus coram eo exclamant:* Benedic Domine. *Quibus ille benedicit, inchoatque cantus Apostolorum, et Occursus a ripa Tigris, usque ad mansionem Apostoli: sternuntque coram eo strata, ne humum pedibus conculcet: peractisque Sacramentis, pacem precantur et salutem dicunt. Deinde procedunt ad monasterium Sancti Gabrielis in Charsa, monachis obviam ei cum solemni pompa procedentibus. Cumque liturgiam celebraverint, panem manducant in eodem coenobio. Inde in naves descendunt, et Bagdadum redeunt ad sedem patriarchalem: excipiuntque eum solemniter, primum Mahuzitae**), deinde Hirtenses, tertio autem in monasterio S. Phecionis martyris, quod ad Sirtam fluvium situm est.*

Explicit chirotonia Patriarchae. Et Domino nostro gloria. Amen.***)

Ordinatio archidiaconi.

Item virtute Dei designamus impositionem manus archidiaconi.

Primum. Pater noster, qui es coelis. *Episcopus orat:* Virtus tua, Domine, perficiatur per manus imbecillitatis nostrae. Et adimple per operam exiguitatis nostrae ministerium hoc spirituale concessionis sacerdotii, quod per gratiam a dominatione tua nobis concreditum est. Largitor donorum spiritualium, Domine universorum.

Psalmus. Laudate Dominum in sancto ejus. *Ter.* Alleluja.

Ponit incensum. Oratio. Oratio nostra suavis tibi sit. Excelsus in omni. Altare tuum, Domine fortis.

Gloria. Virtutes angelorum.

Oratio. Corrobora, Domine, servum tuum per clementiam tuam, et adjuva [2] adorantem te per gratiam tuam, eique auxiliare per multitudinem abundantem misericordiae tuae, ad perficiendam et adimplendam [3] voluntatem dominationis tuae cunctis diebus vitae suae, Domine universorum [4].

---

[1] A deest, qui reperitur. — [2] B add. hunc. — [3] B deest et adimplendam. — [4] B add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen.

*) Est coenobium, ecclesia et schola S. Maris extra Cochen, ubi veteres Seleucienses archiepiscopi tumulari solebant.

**) Vide pag. 242. n. 3.

***) Hic in codice sequuntur canones de auctoritate et ordine patriarcharum, eorumque electione, quos et Assemanus reddidit. Nos utpote ad finem nostrum non pertinentes omisimus.

Canon. Parce et propitiare. Ad te, Domine, animam meam.

Ad te, Domine, extollo intuitum meum, adjuva imbecillitatem meam per multitudinem miserationum tuarum, et virtute auxilii gratiae tuae reple me in nomine tuo.

Sacerdotem, quem unxit dextera tua, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, tu confirma eum, ut ordinet greges tuos.

Oratio. Laus nomini tuo adorando [1], et adoratio [2] dominationi tuae, qui condecorasti servum tuum [3] concessione archidiaconatus. Da ei, Domine, ut sit vas electum honori tuo, Domine omnium [4].

Canon hic. Bonitatem fecit. Bone, qui tradidit Apostolis suis Spiritum Sanctum. *Oratio.* Effunde, Domine, gratiam tuam, et salutare tuum, atque auxilium miserationum tuarum super sacerdotem tuum [5] electum, ut sit archidiaconus in Ecclesia tua sancta cunctis diebus vitae suae, Domine omnium [6].

Ad te levavi. Effunde gratiam tuam. *Et orat praesul.* Domine Deus fortis, tua est Ecclesia sancta. *Quumque ad hunc versum devenerit, dicit.* Tu igitur Domine, perfice cum servo tuo hoc gratiam tuam et misericordiam et clementiam tuam cunctis diebus vitae suae, Domine universorum.

Archidiaconus dicit: Attollite oculos vestros in excelsa sublimia, et postulate misericordiam a Deo clemente pro *tali* presbytero, qui ordinatur [7] archidiaconus ad ecclesiam Dei, quae est in civitate tali, cui destinatus est, orate pro eo.

Episcopus dicit: Thesaurus ditans eos, qui inde accipiunt [8], cujus bonitatis divitiis [9] ditantur omnes rationales sive visibiles, sive invisibiles; Sanctus, qui sanctitate sua sanctificantes se [10] sanctificat: sanctifica, Domine, etiam nunc servum tuum hunc, qui segregatus est ad opus archidiaconatus, ut sit princeps presbyterorum loci N. [11] et faciat [12], perficiatque, quod a nobis ipsi praecipitur, tibique ministret cum castitate et sanctitate: et gratiam tuam super eum effunde, et super populum tuum hic et ubique degentem; Nunc et semper.

Et signat eum in fronte dicens. Segregatus est, sanctificatus est, et ordinatus est *talis* ad opus archidiaconatus ecclesiae [13] N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Et incipit. Prope est Dominus. Christe, qui servis tuis. *Et procedunt cum cruce, et dicunt canticum cancellorum, et perficiunt Sacramenta de more. Scito, quod archidiaconus habet facultatem consecrandi altare absque chrismate: utque praesit in choro, et incipiat, et absolvat officium divinum, absente episcopo: ut demum pedum pastorale episcopi teneat, et post illum perficiat* [14].

---

[1] B deest adorando. — [2] B laus. — [3] B add. hunc. — [4] B add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen. — [5] B add. hunc. — [6] B add. Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen. — [7] B factus est. — [8] B qui possident te. — [9] B de cujus bonitatis et sapientiae magnis divitiis. — [10] B omnes sanctos suos. — [11] B in grege N — [12] B inspiciat. — [13] B add. Dei super gregem in. — [14] A p. 841 dicat absolutionem.

Ritus ordinationis Sciaharae.

Oportet, ut stet coram altari, pateatque prospectus templi). Incipiunt autem* Pater noster, qui es in coelis. *Orat praesul, et incipit:* Confitemini Domino, et invocate, *ut in ordinatione. Item orat, et incipit:* Domine quis habitabit etc. *Praeterea orat, et incipit,* Ad te levavi etc.**). *Tum egreditur ad eum ordinator, illumque jubet dexterum***) genuflectere, et dicit super illum:* Gratia Domini nostri Jesu Christi: *et signat super seipsum: mox super eum, dicens:* Deus noster bone. *Cumque eo pervenerit, ubi dicitur,* ut adveniat super eum gratia, *subjungit:* Et consummet eum ad opus ministeriorum, et proclamationum, cum necessitas exegerit, utque pacem intonet, quando occurrit defectus in sancta Ecclesia, per gratiam et misericordiam Unigeniti tui, quoniam tibi, et illi, et Spiritui Sancto etc. *Simulque erigat eum archidiaconus; ordinator vero ascendere eum jubeat, ita ut metanoeam (prostrationem) faciens caput habeat super limina cancellorum. Quod si caput ejus, cum prostrationem facit, intra limina cancellorum inclinetur, nihil interest. Archidiaconus intonat,* Pax. *Praesul orat, et incipit,* Laudate Dominum in sanctis ejus, *tono Peregrinus. Item orat, et incipit,* Deus noster misereatur: Effunde, Domine, donum gratiae tuae super adorantem te.

Archidiaconus dicit: Attollite mentes vestras etc. pro tali cantore, qui initiatur diaconus, et ordinatur presbyter horarum, ut suppleat defectum, cum necessitas postulaverit, pro ecclesia Christi, cui destinatus est. Orate pro eo. *Tum praesul utrumque genu flectere eum jubet, manus quidem supra caput elevatas, non tamen extensas habentem, et dicit super eum.* Domine Deus fortis omnipotens, factor etc. *ut in oratione pro presbyteris. Cumque ad verba devenerit, ubi dicitur,* ut ponat manum suam super infirmos, et curentur, *subjungit:* ut suppleat defectus in ecclesia tua sancta in proclamationibus vespertinis, et matutinis, cum opus fuerit, necnon in horis, et in exequiis defunctorum, cum necessitas postulaverit, in ordine ministri nominis tui sancti praeceptique tui Dominici, dignusque reddatur mercede perfecta in die retributionis pro puro hoc ministerio, quod coram te praestat, per gratiam et misericordiam Unigeniti tui etc. *Deinde induit eum pallio, et signat eum in pectore dicens:* Signatur N. in opus diaconatus et presbyteratus ministerii ec-

*) Nimirum fores sanctuarii seu porta major cancellorum reseratur. Videntur quidem haec verba et illa: „stet coram altari" indicare, Sciaharam intra sanctuarium ad instar diaconi vel presbyteri ordinari, sed iste sensus esse non potest, cum infra dicatur, ordinatorem eum ascendere jubere, ita ut metanoeam faciens caput habeat super limina cancellorum. Igitur extra cancellos stat in conspectu altaris.

**) Priores duo psalmi dicuntur etiam in ordinatione lectoris et subdiaconi, tertius vero: Ad te levavi, proprius est hujus benedictionis.

***) Dexterum genu, nimirum instar diaconi. Postea tamen praesule recitante super eum precationem: Domine Deus fortis, genu utrumque flectit more presbyterorum. Sed haec precatio ad eorum officia restringitur, desuntque verba, quae ad diaconos et presbyteros referuntur.

clesiastici, in nomine Patris, *et subjungit canonem:* Exaltabo te Domine. Christe, qui servis tuis. *Et absolutionem faciunt.*

Ordinatio chorepiscopi sive periodeutae.

Ordo chirotoniae chorepiscopi, qui est visitator pagorum.

Statuunt electum in medio sanctuarii. Stans autem praesul super arae suppedaneum, incipit, Pater noster, qui es in coelis. *Et orat, et incipit,* Confitemini Domino, et invocate, *ut in ordinationibus. Vel,* Memento Domine. *Et orat et incipit:* Qui omnia facit etc. *Tum accedit ad eum praesul, et dicit super eum:* Gratia Domini nostri Jesu Christi etc. *ut in ordinationibus: et signat seipsum, et jubet eum flectere utrumque genu, dicens:* Domine Deus fortis, tua est etc. *ut in liturgia*): sed haec mutentur:* Perfice, Domine, gratiam tuam cum hoc servo tuo, et misericordia, et clementia tua etc.

Archidiaconus dicit: Attollite in altum mentes vestras, et implorate misericordiam a clementissimo Domino pro N. presbytero, qui initiatur et ordinatur visitator ad ecclesiam Dei ditionis, sive loci N. Orate pro eo. *Praesul dicit super eum:* Virtus divina, quae comitata est beatos Apostolos, ac Discipulos, cum Christus gloriae Dominus misit eos in omnem locum, et civitatem, deditque eis potestatem, ut omnem morbum curarent, et Spiritus immundos ejicerent, et in captivitatem redigerent, adducerentque omnem intellectum ad familiaritatem evangelii benedicti: ipsa sit in consummationem omnis boni cunctis diebus vitae tuae Amen etc. Sitque nobiscum benedictio haec perfecta, quam hodie coram Domino, et coram altari ejus, et coram omni coetu sacerdotum et fidelium accepisti, ut a tentationibus liber sis, et a macula immunis, utque iratos reconcilies, discordesque ad concordiam revoces, omnesque homines ad timorem Dei adducas etc. *Tum adorat et surgit: et signat eum in fronte dicens:* Segregatus est, sanctificatus est, et ordinatus est N. presbyter ad opus visitationis pro ecclesia Dei, cui destinatus est, in nomine Patris etc. *Et incipit canonem:* Prope est Dominus: Christe, qui servis tuis. *Sciendum est, in aliis ordinibus ita praescribi. Cum canones absolverint, subjungunt hanc odam:* Christe servator noster, Domine omnium

*) Haec videtur esse oratio, quae in liturgia SS. Apostolorum est apud Renaudotium (T. II. Liturg. Orient. p. 580). Domine Deus omnipotens, tua est Ecclesia sancta catholica, quippe qui per passionem magnam Christi tui emisti oves pascuae tuae, et ex gratia Spiritus Sancti, ipsius, qui unius est cum divinitate tua gloriosa naturae, dantur gradus ordinationis sacerdotalis verae, et per clementiam tuam, Domine, dignatus es imbecillitatem nostram facere membra spiritualia in corpore magno Ecclesiae tuae sanctae, ut ministraremus auxilium spirituale animabus fidelibus. Tu nunc, Domine, perfice nobiscum gratiam tuam et effunde per manus nostras donum tuum, et misericordiae tuae et clementia divinitatis tuae sint super nos et super populum istum, quem elegisti tibi. *Elevans vocem.* Et da nobis, Domine, per clementiam tuam, ut nos omnes simul et aequaliter omnibus diebus vitae nostrae placeamus divinitati tuae dignique efficiamur auxilio gratiae tuae ad offerendum tibi laudem, honorem, confessionem et adorationem, omni tempore, Domine,

creaturarum, purifica ministerium servi tui inclyti. *Et intonant proclamationem hanc:* Omnipotens. *Archidiaconus dicit:* Pax. *Praesul vero recitat super eum hanc benedictionem, voce intelligibili:* Virtus divina, quae comitata est beatos Apostolos. *Atque ita perficitur impositio manus chorepiscopi.*

Ordinatio diaconissae.

Ordo chirotoniae mulierum diaconissarum.

Eligitur soror ex monasteriis, quae sit provectae aetatis, et monastica exercitatione commendata, bonorumque operum testimonium habeat. Jubente autem pontifice, in diaconicum) introducitur tempore Sacramentorum: et offert eam archidiaconus coram episcopo, junctas manus habentem et inclinatum caput, et adorantem usque ad medium lumborum suorum, non tamen genua flectentem; hoc enim indecorum est. Archidiaconus intonat,* Pax. *Episcopus orat, et incipit;* Pater noster, qui es in coelis. *Tum dicit:* Ad te Domine levavi animam meam, *tono Peregrinus usque ad,* Oculi mei semper. *Deinde dicunt,* Gloria. *Et incipit praesul canonem:* Doce me, Domine. Virtutem tuam, Domine noster, in famulam tuam infunde etc. *Et orat et incipit:* Ad te levavi. Effunde gratiam tuam, Domine, super ancillam tuam. *Cum absolutum fuerit, intonat archidiaconus,* Pax. *Episcopus vero orat.* Deus noster bone.**) *Archidiaconus proclamat,* Pax. *Praesul orat.* Domine Deus fortis omnipotens, qui omnia verbo virtutis tuae[1] fecisti, jussuque tuo universa contines, quae tuo nutu creasti; qui in viris simul et mulieribus tibi complacuisti, ut donum Spiritus Sancti illis dares. Tu, Domine, etiam nunc per misericordiam tuam elige pauperem hanc ancillam tuam ad bonum opus diaconatus, et da ei, ut sine macula hoc magnum et sublime ministerium coram te perficiat, et in omnibus virtutis operibus sine noxa custodiatur: utque muliebrem coetum erudiat, doceatque castimoniam, et opera justa, et recta: mereaturque bonorum operum retributionem a te recipere in magno et glorioso die revelationis Unigeniti tui: quoniam tibi et illi et Spiritui Sancto convenit gloria, honor, gratiarum actio et adoratio. *Attollit vocem suam.* Nunc et semper. *Respondent:* Amen. *Imponit episcopus manum super caput ejus, non per modum chirotoniae, sed benedictionem ei impertitur, et recitat super illam precationem secretam pro viribus suis. Tum incipiunt hunc psalmum, tono Peregrinus:* Qui pascis Israel intende etc. *Et orant.* Adjuva, Domine noster, ancillam tuam propter gratiam tuam, et auxiliare

---

1 A virtute Verbi tui.

*) I. e. intra cancellos altaris, ubi ordinari solent presbyteri et diaconi. Hinc patet, diaconissis urgente saltem necessitate in sanctum tribunal ingredi licere, atque canones, quibus mulierum ad altare accessus interdicitur, de diaconissis non esse intelligendos, nisi cum nullum illis apud sacram mensam officium ex quadam necessitate est peragendum.

**) Est eadem oratio, quae dicitur in ordinatione diaconi, mutato nomine diaconi in diaconissae.

ei pro miserationibus tuis, ut voluntatem dominationis tuae perficiat semper, Domine universorum. *Alia.* Dignam, Domine, pro gratia tua effice famulam tuam, ut timeat verbum tuum, et judicium tuum formidet, et fiat habitaculum gloriosae Trinitati tuae semper, Domine universorum. *Et absolvit dicens*, Gloria, *et* Gratiarum actio. *Et praecipit ei, ut superbiam devitet.*

2. Ordinationes Nestorianorum ex Badgero collatae cum prioribus.

Pars prima.

Ordinatio lectorum, subdiaconorum, diaconorum et presbyterorum conscripta a Mar Kiprianos, metropolita Nisibis, a Mar Jeschua-Jau Katholikos et patriarcha, et a docto Mar Israel.

Notum sit tibi, frater noster, impositionem manuum locum habere posse quocunque die hebdomadis sive ante initium liturgiae sive post, sive ante fidem Nicaenam sive post, sive ante communionem, sive post conclusionem liturgiae, vel aliquo die, in quo non est liturgia.

Ordinatio conferri potest die, in quo non est liturgia tantum usque ad ordinem presbyteri. Ordinatio capitum sacerdotum tantum locum habeat diebus festis, Dominicis, vel diebus commemorationis.

Si unus tantum ordinandus est, singularis numerus adhibendus est per totum; si plures, pluralis.

Scias item, quod ad exordium cujusvis doxologiae, cujusvis orationis et cujusvis canonis, eos, qui ordinandi sunt, prosterni oportet in terram.

Si, qui ordinandi sunt, adducendi sunt ad episcopum, qui tondebit aliquid ex eorum capillis et cinget lumbos eorum cingulo, dum ipsi stant ad gradum ducentem in bema. Tunc episcopus, archidiaconus et caeteri clerici ingredientur in bema, cujus cortina removeatur et ipsi assumant proprios locos in choro. Tunc archidiaconus sistat ordinandos ante gradus bematis, vestibus superioribus exutos, et manibus super pectus in crucis formam decussatis, dum unus ex diaconis astans stolas et tomos Karjane (lectionum) manibus teneat. Tunc episcopus stans in bemate, incipit:

Gloria in excelsis Deo etc. Pater noster.

Archidiaconus: Pax nobiscum. *Oratio:* Virtus tua p. 228.

Tunc episcopus praecinat psalmum 104, 1—7. interea respondentibus illis, qui intra et extra chorum sunt, ut sequitur:

Misit nuncium pacis, ut notum faceret laetum nuncium conceptionis suae, et per portam, per quam mors ingressa est, vita introivit, et mors abiit.

Dum hic psalmus dicitur, episcopus genuflectat ante altare et cum explicit, salutet altare et procedat e sacrario tenens pedum suum manu, et stet in gradu infimo bematis et det pedum archidiacono, qui dicat: Pax nobiscum.

Tunc episcopus recitet hanc orationem, quae dicenda est ante omnes ordinationes. Manibus suis extensis in supplicantis modum dicat: Gratia D. N. J. C. etc. p. 228. usque ad Amen.

Hic episcopus signet seipsum, sed non ordinandos, quia in praecedente oratione orat pro seipso. Post haec incipiat officium ordinationis lectorum, archidiacono proclamante uti sequitur:

Lectores ordinandi sunt, orate pro eis.

Tunc archidiaconus faciat eos ascendere primum gradum ducentem in bema: post quod episcopus dicat hanc benedictionem super lectores manu super capita ipsorum imposita: Benedic hos servos tuos etc. p. 228. usque ad Amen.

Hic episcopus signet unumquemque ordinatorum a medio faciei usque ad partem posteriorem capitis et a dextra ad sinistram.

Tunc archidiaconus afferat stolas ad episcopum, qui eas ponat super brachia extenta ordinatorum et det in manus eorum partem lectionarii vel partem scriptorum prophetarum vel unam ex duabus partibus libri vitae).*

Ordinatio subdiaconorum**).

Archidiaconus: Subdiaconi ordinandi sunt: orate pro eis.

Hic illi, qui jam sunt in ordinibus, assistant illis, qui in eo sunt, ut ordinentur, ad ascendendum usque ad medium gradum ducentem ad bema. Tunc episcopus, stans in superiore gradu, dicat hanc orationem submissa voce super subdiaconos, dextera ipsis imposita et sinistra extensa ad supplicantis instar. Respice in hos famulos tuos etc. p. 229.

Tunc episcopus signet super eorum capita et sumat libros de manibus ordinatorum et det eos archidiacono. Tunc osculetur eos in capite et circumvolvat stolas collis eorum.

Lectores et subdiaconi non sunt signandi inter oculos, neque dicenda est super ipsos oratio pro illapsu Spiritus Sancti; sed tantum oratio, quae distinguit eos a laicis, quia eorum officium mere est custodire portas, ministrare coram levitis et legere libros propheticos. Subdiaconi admittendi sunt usque ad lampadem pendentem in medio bematis: ultra hanc non permittatur ipsis intrare. Tunc episcopus conducat recenter ordinatos super gradus bematis hoc ordine: primus teneat vestes episcopi et reliqui se teneant alter alterum et episcopus jubeat eos proclamare.

Oremus. Pax nobiscum.

Ordinatio diaconorum.

Oratio. Purus et diligens puros etc. p. 229.

Hic episcopus sumat eos manu et conducat eos usque ad lampadem pendentem in medio bematis: postea praecinat sequentem canonem: Domine, qui etc. (Psalmus 14. usque ad finem.)

---

*) Libri vitae et mortis sunt ex Badgero duo catalogi eorum, qui preces Ecclesiae requirunt. Leguntur a diacono in liturgia: sunt igitur diptycha. De quo vide supra.

**) Testatur Badger, eos, qui admittuntur ad ordines, una eademque die lectoratum et subdiaconatum suscipere solere.

Tunc episcopus stet in gradu altaris et ordinandi inclinent capita sub lampade, et archidiaconus dicat: Oremus. Pax nobiscum.

Oratio. Optatum, Domine etc. p. 230.

Tunc episcopus ponat incensum in thuribulum et intonet cantum sequentem:

Doce me, Domine, viam mandatorum tuorum, ut costodiam eam. Ostende mihi, Domine, viam tuam, ut ambulem recte. Doce me, Domine, ambulare in via mandatorum tuorum, custodire verba tua et facere voluntatem tuam. Pone custodiam supra portas membrorum meorum, ne thesaurus doni tui surripiatur mihi.

Gloria Patri etc. Vigilantes estote omni tempore, habentes lumbos vestros praecinctos circumcirca, cum lampadibus vestris jugiter ardentibus, ut sitis digni gaudii illius, quod promisit Ipse servis illis fidelibus, quos, cum venerit, invenerit vigilantes.

Archidiaconus: Oremus. Pax nobiscum.

Oratio. Te, Christe etc. p. 230.

Tunc episcopus intonet canonem sequentem, et dum dicitur, ordinandi prosternantur.

Psalmus 20, 2—8.

Virtutem gratiae tuae, Redemptor noster, fac manere super hos famulos tuos, ut ministrent in altari tuo in omni puritate, sicut faciunt angeli tui.

Domine, qui laudaris ab eis, qui sunt prope te, et magnificaris ab electis tuis, concede societatem auxilii tui cultoribus tuis, qui participes facti sunt doni tui*).

Oratio. Te, Domine Deus noster, mare magnum etc. p. 231.

Canon. Psalmus 122, 1—3. Domine effunde gratiam tuam super hos servos tuos.

Dum dicitur canon hic per primum tempus episcopus genuflectat coram altari et gratias agat Deo ex corde suo, quod eum ad tam altum gradum extulerit. Cum repetitur, surgat et accedat ad eos, qui ordinandi sunt, quos archidiaconus faciat genu dextrum flectere, sinistro sursum flexo, ad significandum eos unum jam talentum accepisse, et ipsi ponant manus suas clausas super aures suas, indicibus digitis sursum directis et faciebus deorsum flexis. (Hic situs est ad indicendum, eos crucifixos esse ad suum ministerium et factos esse ministros sacerdotibus et capitibus sacerdotum.) Tunc ordinator pedum suum archidiacono det, qui dicat: Oremus. Pax nobiscum.

Tunc episcopus imponat dexteram capitibus ordinandorum et extendens sinistram in modum supplicationis, dicat voce submissa: Deus noster etc. p. 232.

Hic episcopus signet eorum capita. Tunc archidiaconus dicat voce audibili: Attollite oculos etc. p. 232.

*) Notat B. additos hic esse canones quosdam, qui referantur ad nomina baptismalia eorum, qui ordinandi sunt et habito respectu ad singula hic inseruntur. Hos, quos ipse omisit, vide supra apud Assemanum.

Tunc episcopus imponat dexteram capitibus eorum et extendat sinistram in modum supplicationis et dicat voce submissa: Domine Deus fortis etc. p. 232.

Hic episcopus signet capita eorum et jubeat eos ad terram prosterni et sese erigere. Postea sumat stolas de collis eorum et ponat eas super sinistrum humerum eorum. Tunc archidiaconus det librum epistolarum episcopo, qui ponat eum in manus uniuscujusque eorum et signet eos inter oculos indice a parte inferiori ad superiorem et a dextra ad sinistram dicens alta voce: Segregatus est etc. p. 233.

Hic episcopus osculetur eorum capita et sumat ab ipsis librum epistolarum et det archidiacono. Tunc episcopus sumat pedum suum manu et ascendat gradus altaris et postquam prostratus est et erectus, vertat se ad meridiem et incipiat hunc canonem:

Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Christe p. 233. etc. Non est in nobis, Jesu Salvator noster, prosperas facere vias nostras, tu enim es, qui disponis negotia nostra potentia tua et sapientia.

Te, Domine, invocamus et petimus miserationem et misericordiam ex thesauro tuo; nam novimus te esse misericordem et miseratorem, qui remittit peccata nostra.

Dum hic canon dicitur, archidiaconus diaconos conducat a dextera ad sinistram altaris et ipsi salutent dexteram et sinistram altaris et inclinent se episcopo et osculentur ejus manum. Et episcopus benedicat unumquemque eorum singillatim et dicat: Christus etc. p. 233.

Tunc diaconi salutent eos, qui stant ad dexteram et sinistram altaris et isti osculentur eorum capita et invocent benedictionem super eos. Et cum canon explicit, si liturgia celebranda sit, episcopus dicat orationem ex officio communionis, quae incipit: Domine, coram glorioso throno majestatis tuae etc. *Tunc procedant in navem ecclesiae ferentes crucem, thuribulum et lumina. Sed si non sit liturgia, repetatur oratio Dominica, post quam episcopus dicat hanc orationem.*

Tibi sit laus a superis, et gratiarum actiones ab imis, et gloria ac adoratio ab omnibus creaturis tuis in caelo et in terra, tu, qui es causa vitae nostrae et justa spes animarum nostrarum et qui ditas genus nostrum donis tuis, Domine omnium, Pater, Fili, et Spiritus Sancte.

R. Amen. Benedic Domine.

Alia. Benedic et sanctifica animas nostras, munda conscientias nostras et conforta debilitatem nostram, ut ministremus coram te in sanctitate et justitia omnibus diebus vitae nostrae, Domine omnium, Pater, Fili et Spiritus Sancte.

Oratio conclusoria. Tu adorande et gloriose, cujus ministri sunt lux et spiritus, in ineffabili gratia et illimitata bonitate tua, segrega et offer ad ministerium voluntatis tuae sanctae hos servos tuos, ut in omni humilitate et liberi ab omni gloriatione se probatos reddant coram te, sicut fecit Stephanus et socii ejus, omnibus diebus vitae suae, nunc et semper. Amen.

Ordinatio presbyterorum.

Episcopus primum tondeat aliquid ex capillis eorum, qui ordinandi sunt, et cingat lumbos eorum cingulo et ponat pallium) in eorum humerum sinistrum. Et ipsi stent in medio bemate secundum ordinem diaconatus eorum et episcopus incipiat:*

Gloria in excelsis Deo etc. Pater noster.

Oratio. Virtus tua etc. p. 233. Psalmus 83. O vos etc. p. 234.

Tunc dicatur doxologia et primus versus psalmi supradicti repetatur; post vero quod sequitur: Venite.

Archidiaconus: Pax nobiscum. *Oratio.* Pallio sacerdotii etc. p. 234.

Tunc episcopus ponat incensum in thuribulo et praecinat hunc cantum:

Innocens manibus et puro corde. Nam Dominus manu tenet eum. Sacerdos, cum ante sacrum altare venit, extendit manus suas ad coelum in puritate et invocat Spiritum, qui descendit ab alto et consecrat corpus et sanguinem Christi. *(Repete.)*

Gloria Patri etc. Sacerdos secreto invocat Spiritum, qui descendit ab alto, ut faciat voluntatem ejus, et consecrat corpus et sanguinem Christi, quorum populus fit particeps et per ea vivit in aeternum.

Si plures uno sint ordinandi sequens dicatur:

Sacerdotes tui Domine, induti sunt justitia et recti tui gloria. State in timore et ne peccetis. Sacerdotes sancti, lavate conscientias vestras a pollutione peccati.

Gloria Patri etc. O vos sacerdotes, qui digni facti estis, ut sitis angeli, custodite vos ab iniquitate.

Oratio. Oleo sanctitatis etc. p. 234.

Canon. Psalmus 88, 15—22.

Si unus tantum sit ordinandus, dicatur canon sequens: Psalmus 20, 2—8. Rex factor etc. p. 234. Christe sacerdos etc. p. 234 **).

Oratio. Effunde, Domine etc. p. 235.

Canon. Fac bonitatem, Domine, servis tuis, secundum verbum tuum. Bone, qui tradidisti etc. p. 235. Spiritus etc. p. 235 ***).

Oratio. Inunda, Domine p. 235.

Canon. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis. Effunde etc. p. 235.

Tunc archidiaconus faciat eos, qui ordinandi sunt, utrumque genu flectere, manibus supra oculos elevatis, capitibus deorsum inclinatis et cum pallio tantummodo in humeris suis ad modum diaconorum. Quod sacerdos utrumque genu flectit, ostendit eum accepisse duo talenta, et manibus ejus supra oculos extensis denotare intenditur, eum accepisse licentiam, auctoritatem et gratiam ad invocandum Spiritum Sanctum et bene-

*) Anglice est: Surplice. Posuimus vocem ab Assemano usurpatam. Est Gulta, quae super orarium induitur.

**) Notat et hic B. addi quosdam canones alludentes ad nomina ordinandorum. Habentur autem apud Assemanum.

***) Alter canon deest apud B.

dicendum, et generandum filios Spiritus et ad nutriendos eos nutrimento spirituali.

Tunc episcopus det pedum suum archidiacono, qui proclamet: Oremus. Pax nobiscum.

Oratio (submissa voce). Gratia D. N. J. C. etc. p. 235.

R.: Amen.

Archidiaconus: Pax nobiscum.

Tunc episcopus imponat manum dexteram ordinando et dicat voce submissa: Deus noster etc. (*sicut in ordinatione diaconorum, voce* presbyter *loco vocis* diaconus *substituta*). *R.:* Amen.

Tunc archidiaconus proclamet: Attollite oculos etc. (*sicut in ordinatione diaconi eadem mutatione facta*).

Tunc episcopus manum dextram imponat capitibus eorum et sinistra extensa dicat voce submissa: Domine Deus fortis omnipotens etc. p. 236. Ad haec verba, ut ponant manus suas, additur a rubrica: *Hic episcopus sumat eorum dexteram.*

Hic episcopus signet capita ordinatorum, post quod jubeat eos prosterni et iterum surgere. Tunc episcopus pallium sumat de humeris eorum et eo induat eos, et sumat stolam de humero eorum sinistro et circum colla eorum appendat. Quo facto, episcopus sumat adorandum evangelium et ponat in manus ordinatorum et signet eos inter oculos pollice dexterae suae et dicat: Segregatus est p. 237.

Tunc episcopus eorum capita osculetur et prior faciat unicuique in circulo.

Iis signatis, episcopus sumat ab iis evangelium et det archidiacono et ordinatus prosternatur et iterum surgat. Tunc episcopus sumat pedum manu et ascendat gradum altaris et prosternatur, et versus ad meridiem incipiat hunc canonem: Prope est Dominus etc. (*ut in ordinatione diaconorum*).

Oratio conclusoria.

Domine, Deus potens, (*repete*) dexteram miserationis tuae fac manere, et effunde potentiam gratiae tuae super hos servos tuos, et sanctifica eos, ut perficiant magnum opus sacerdotii Ecclesiae, quod est possessor sacramentorum et dator donorum divinorum. Corona eos corona sacerdotii Aaronitici, ut exerceant officium sacerdotum ad altare tuum sanctum in omni castitate, decora eos decore justitiae, instrue eos virtute ad perficiendum ministerium tuum in laetitia et gaudio, fove super eorum capita, ut per virtutem doni tui spiritualis sacerdotii donum accipiant et in puritate serviant sancto et puro altari tuo; notum faciant omnibus ecclesiis Orientis evangelium vitae; consecrent propitiatorium sinum sancti baptismatis, in quo mortales filii ad immortalitatem generantur; concedant indulgentiam populo tuo per oblationem corporis et sanguinis tui, et sumant de altari tuo sancto virtutem coelestem a sanctitate tua, ut perficiant mandata tua, et digni fiant, qui coram te stent in die novissimo, cum veneris cum sanctis angelis tuis, et in saecula saeculorum. Amen.

Ordinatio archidiaconi, qui sit caput super presbyteros et diaconos et super omnem gregem, ad quem destinabitur.

Mane episcopus ingrediatur in bema cum clero, ipse cum eo, qui ordinandus est, et incipiat officium cum: Pater noster etc.

Unus ex presbyteris: Pax nobiscum.

Oratio. Ad te, qui tribuis talenta tua mercatoribus Spiritus et concedis dona tua iis, qui perficiunt voluntatem tuam, deferimus gratiarum actionem, adorationem et laudem omni tempore; Domine omnium, Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen.

Psalmus 150, Psalmus 116, Gloria Patri etc.

Presbyter: Pax nobiscum.

Tunc episcopus ponat incensum in thuribulum et dicat:

Excelsus est in omni terra: Altare tuum, Domine fortis, exaltasti gloria, et fideles Ecclesiae tuae coronasti honore; securitatem et longam pacem adauge populo tuo.

Gloria Patri etc. Exercitus angelorum genu flectunt et adorant et incessanter laudant unam Trinitatem, adorabilem essentiam et sanctis vocibus cantant Alleluja uni absconditae potestati ejus, qui a se existit.

Oratio. Corrobora etc. p. 257.

Canon. Psalmus 24. Ad te Domine etc. p. 258. Sacerdotem etc. p. 258.

Omnes: Pax nobiscum.

Episcopus: Laus nomini tuo etc. p. 258.

Canon. Psalmus 118, 65—73. Bone, qui tradidit Apostolis suis auctoritatem super excelsa et ima, da, Domine, virtutem gratiae tuae huic adoratori tuo.

Concede, Domine, ut Spiritus Sanctus Paraclitus, qui descendit et mansit super discipulos tuos, maneat super caput hujus adoratoris tui.

Oratio. Effunde Domine etc. p. 258.

Psalmus 122. Effunde gratiam tuam, Domine, super hunc servum tuum.

Post quod dicatur: Gloria Patri. *Tunc ille, qui factus est archidiaconus, genu flectat coram episcopo et ipsi dicant:* Pax nobiscum.

Oratio. Domine Deus fortis *(repete)* tua est sancta catholica Ecclesia, quae est redemta etc. *(sicut in liturgia cum sequente conclusione).* Perfice Domine cum servo tuo hoc gratiam tuam, miserationem et misericordiam, omnibus diebus vitae suae et in saecula saeculorum. Amen.

Tunc episcopus signet ejus caput et unus ex presbyteris dicat: Attollite oculos etc. p. 258.

Oratio. Thesaurus etc. p. 258.

R.: Amen.

Hic episcopus signet ejus caput. Tunc signet eum inter oculos et dicat: Segregatus est etc. p. 258.

Tunc episcopus det ei pedum suum deferendum, et ipse recedat sumens secum crucem, omnibus secundum ordinem actis.

Archidiaconus facultatem habet consecrandi altare absque oleo, cum non adest episcopus, incipiendi et absolvendi officia et deferendi pedum episcopale.

Ordinatio archidiaconi patriarchae,

qui sit caput super presbyteros et diaconos, portet crucem patriarchae et deferat mandata patriarchae.

Mane patriarcha ingrediatur in bema et unus ex presbyteris dicat: Pax nobiscum. Pater noster.

Oratio. Fove, Domine, secretis fomentis gratiae tuae super hunc adoratorem tuum, quem vocasti et admovisti, ut stet in capite bematis ecclesiae tuae; adimple animam ejus et mentem supereffluentia operationis Spiritus tui, et corrobora eum in iis rebus, quae necessariae sunt ad aedificationem eorum, qui credunt in nomen tuum, Domine omnium, Pater, Fili et Spiritus Sancte. Amen.

Psalmus 150.

Tunc dicantur canones, qui designati sunt in officio praecedente; post quos unus ex presbyteris dicat:

Attollite mentes vestras in excelsa sublimia et postulate misericordiam a Deo clemente pro presbytero N., qui ordinatur archidiaconus ad magnam ecclesiam Kokhe, in Seleucia et Ctesiphonte, ad quam designatus est. Orate pro eo.

Patriarcha: Thesaurus etc. *(ut in praecedente officio).*

Postea patriarcha signet ejus caput. Tunc signet eum inter oculos et dicat: Segregatus est, consecratus et ordinatus N. ad officium archidiaconi ad magnam ecclesiam Kokhe in Seleucia et Ctesiphonte, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Tunc Catholicos incipiat cantum Kanke (cancellorum). Post quem accedant ad bema, ubi archidiacono auctoritas confertur standi in capite presbyterorum et diaconorum et eos in ordinem disponendi.

Ordinatio episcopi.

Episcopi et metropolitae non ordinandi sunt, nisi die Dominica, vel in una ex majoribus festivitatibus, vel in die commemorationis. Episcopi, presbyteri et diaconi simul cum fidelibus obviam eant patriarchae portantes crucem, evangelium, lumina et thuribulum, et ille, qui ordinandus est, stet et legat symbolum fidei suae coram fidelibus. Tunc patres ingrediantur in sacristiam et induant vestes suas et ordinandus stet cum eis in ordine presbyteratus sui. Postea egrediantur ferentes crucem, evangelium, thuribulum et lumina et per navem ecclesiae eant in bema.

Si patriarcha sit ordinator, episcopi et metropolitae non ferant baculos suos manibus suis, neque induant vestes suas absque ejus licentia. Si metropolita sit, sumant baculos suos. Et faciant eum, qui ordinandus est, venire in medium bematis, ubi adoret, et caput incipiat: Pater noster.

Archidiaconus: Pax nobiscum.

Oratio. Adorandum et gloriosum nomen magnae divinitatis tuae adoratur, laudatur et benedicitur a superis et imis, dator donorum divinorum, Domine omnium Pater, et Fili et Spiritus Sancte. Amen.

Psalmus 131.

Archidiaconus: Pax nobiscum.

Oratio. Oramus et obsecramus te, Spiritus vive et vivifice, scaturigo divinae sanctificationis, supereffluens thesaurus omnis sapientiae, fons omnium donorum spiritualium, te qui luces et splendes sancta ra-

diatione gloriae, et qui in motionibus tui ipsius*), et sine tempore, ex substantia proprietatis Patris es, semper procedis, et pervadis et facis omnia in coelo et in terra proprio jussu tuo, ex cujus superabundantia aeternorum donorum flumina prophetiae supereffluunt, et ex cujus Atlantico ozeano dona apostolica pluunt deorsum; oramus et obsecramus te, ut effundas dona apostolici sacerdotii tui in cor hujus famuli tui et corones caput ejus venerabili corona summi sacerdotii Ecclesiae, ut radiis lucis doctrinae ejus animae filiorum ejus illuminentur et exercitus tenebrarum destruantur de grege ejus, tu qui es effluvium gloriosae essentiae Patris, effluvium concilii adorandae divinitatis, Domine omnium etc.

Cantus. Sacerdotes tui induantur justitia et Sancti tui gloria. Indue summos sacerdotes ejus justitia et Sanctos ejus gloria. Illi, qui ministrabant typo et umbrae rerum coelestium. Sacerdotium domus Aaron ministrabat mysterio, figurae et umbrae legis: apostolatus autem Simonis accepit substantiam, perfectionem et veritatem, per quam haeredi Patris placuit terram piscari, et per piscatores piscatus est totum mundum, qui nunc offert gloriam sursum et baptizatus est in perfectione personarum Patris et Filii et Spiritus Sancti. Tibi sit gloria *(Repete).*

Omnia quaecunque vult, facit Dominus Deus noster in caelo et in terra. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. **Spiritus Sanctus facit omnia virtute donorum suorum: ipse facit genus prophetiae procedere et gratia sua facit sacerdotes perfectos, ipse dat sapientiam parvulo, qui revelavit piscatoribus personas divinitatis suae et qui potentia sua tenet mirabiliter omnino statuta Ecclesiae. Ipse est effluvium essentiae Patris, effluvium concilii Patris adorandi et Filii ejus unigeniti, Spiritus Sanctus. Tibi sit gloria.**

Magnificabo te, Domine, rex meus. Accepit a Patre promissionem Spiritus Sancti. Et haec est promissio, quam promisit nobis, ipsa vita aeterna. Jesu, Domine noster, perfecisti et confirmasti per manus sanctorum discipulorum tuorum promissionem Patris, quam promisit, et acceperunt donum Spiritus Sancti et profecti sunt facientes discipulos baptizando nationes et populos et variis linguis converterunt eos ad fidem.

Gloria Patri etc. Benedictus, qui vos etc. pag. 239.

Archidiaconus: Pax nobiscum.

Oratio. Fove, Domine, fomentis Spiritus tui et extende lumen faciei tuae, super hunc famulum tuum, coram te stantem, ut sit pastor gregis tui. Radios splendoris tui fac super eum lucere, indue eum vestimento gloriae tuae, et da in ejus manum virtutem tuam et gladium verbi mandati tui, ut pascat oves pascuae tuae secundum voluntatem Majestatis tuae. Et da ei auctoritatem de potestate tua et fortitudinem de dextera tua, ut se probatum reddat coram te secundum voluntatem tuam et templum sit tui honoris. Domine omnium etc.**)

Canon. Psalmus 118, 65—73.

Tu bone, qui commisisti Apostolis tuis potestatem et auctoritatem

---

*) Forsan sensus est, teipsum proprio motu movendo.

**) Confer orationem: Oriri fac etc. apud Assemanum p. 239.

super altitudines et profunditates, da, Domine potestatem gratiae tuae huic tuo adoratori.

Tu bone, qui ditasti Apostolos tuos illapsu Paracliti, laetifica hunc servum tuum dono, quod daturus es ei.

Tunc unusquisque episcopus praesens, secundum ordinem praecedentiae, dicat unum ex canonibus supplementariis: post quos caput dicat hanc orationem:

Effunde, Domine potentiam gratiae tuae super hunc servum tuum et impone capiti ejus decoram et gloriosam coronam summi sacerdotii et da in manus ejus baculum pastoralem, ut conducat, pascat et nutriat greges pascuae tuae omnibus diebus vitae suae et in fine sit ex numero eorum, qui ad dexteram tuam stabunt, Domine omnium, etc.

Canon. Psalmus 122. vel 66.

Domine, effunde gratiam tuam super hunc servum tuum.

Postea dicatur: Gloria Patri. *Canone absoluto archidiaconus extendat operculum evangelii super dorsum ordinandi et caput, ponat evangelium super operculum, ita ut liber respiciat eum, qui ex eo lecturus est. Tunc archidiaconus dicat:*

Stemus parati ad audiendum sanctum evangelium. Sanctum evangelium Domini nostri Jesu Christi ex praedicatione S. Matthaei. Matth. 16, 13—19. Joh. 21, 15—18. Matth. 16, 19.

Tunc sequens legatur super dorsa duorum episcoporum vel plurium.

Sanctum evangelium Domini nostri Jesu Christi ex praedicatione S. Lucae. Luc. 10, 1. 2. Marc. 16, 15. Matth. 10, 16. 17 (usque ad hominibus). Matth. 10, 8; 18, 19. 20. Luc. 10, 19. 20; 10, 23 (inde a Beati). 24. Joh. 20, 22. 23. Matth. 18, 18. Joh. 20, 21 (inde a Sicut). Matth. 28, 19. 20.

Populus: Gloria sit Christo Domino nostro.

Tunc episcopus claudat evangelium et relinquat in dorso ejus, qui ordinatur. Postea episcopi ponant dexteras suas super latera ejus, usque dum pronunciata sit ordinatio et archidiaconus dicat: Pax nobiscum.

Oratio. Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae semper deficientia supplet, beneplacito Dei Patris et virtute Spiritus Sancti, sit nobiscum jugiter et perficiat per manus nostras debiles hoc sublime et venerandum ministerium, ad salutem vitae nostrae, nunc et semper Amen.

Hic caput signet seipsum et archidiaconus dicat: Pax nobiscum.

Tunc caput dicat hanc orationem manu capiti ejus, qui ordinatur, imposita et sinistra extensa:

Deus noster bone et rex misericors in omnes (Repete), qui dives es in miseratione, et cujus misericordia superabundans est, tu, Domine, in miseratione tua ineffabili fecisti me canalem divinorum donorum tuorum ad Ecclesiam tuam sanctam, ad danda talenta ministerii Spiritus ministris sanctorum sacramentorum tuorum, et nunc secundum apostolicam traditionem, quae descendit ad nos per impositionem manuum, ministerii Ecclesiae, ecce offero coram te hunc servum tuum, ut sit electus episcopus in sancta ecclesia in oppido (*vel* civitate) N. Et oremus omnes pro eo *(Repete)*, ut descendat in eum gratia Spiritus Sancti, quae eum perficiat ad opus hujus ministerii, ad quod promotus est, gratia et misericordia Unigeniti tui, cui tecum et cum Spiritu Sancto tribuimus gloriam, honorem et adorationem nunc et in saecula saeculorum. *R.:* Amen.

Hic signet caput ejus, qui ordinatur. Archidiaconus: Attollite corda vestra ad altitudines altissimorum et supplicate miserationem Dei misericordis pro presbytero N. (*vel* monacho N.), qui ordinatur episcopus super urbem N. (*vel* super ecclesiam Dei in civitate N.), ad quam designatus est. Orate pro eo.

R.: Dignum et justum est.

Tunc caput imponat dexteram capiti ejus, qui ordinatur, sinistra extensa ad modum supplicantis et dicat: Deus magne etc. p. 243.

Hic signet caput ordinati: post quod episcopi removeant manus suas de lateribus ejus et evangelium de dorso ejus et ipse adoret et surgat. Tunc archidiaconus sumat Maapram et Beronam de altari, et det eas capiti, qui iis induat ordinatum et dicat:

Dominus induat te veste coelestis gloriae; armet te mysticis et spiritualibus armis; ornet te operibus justitiae et honestet te donis castitatis; ut absque macula vel turpitudine pascas oves commissas Reverentiae tuae, in timore Dei et in omni sanctitate, nunc et semper. Amen.

Tunc caput tradat pedum in dexteram ejus et dicat:

Virga virtutis, quam Jesus Christus Dominus emittit ex Sion. Ipse te pascat et per te ducat eos, quos tu pasturus es. Amen.

Tunc signet eum inter oculos pollice suo ab infra sursum et a dextera ad sinistram et dicat:

Segregatus est, consecratus et perfectus N. ad magnum opus episcopatus in civitate (*vel* oppido) N. in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.

R.: Amen.

Tunc osculetur caput ejus et dicat:

Christus, qui te elegit ad pascendas oves suas, confortet te, ut probatum te reddas voluntati Majestatis ejus, usque in finem. Amen.

Tunc ordinatus inclinet coram capite et osculetur ejus dexteram, et caput collocet eum in loco ejus proprio, ubi omnes praesentes eum salutent. Postea dicatur oratio Kanke (cancellorum), et tunc omnes proficiscantur in chorum et recens ordinatus leget evangelium, praedicabit et offeret oblationem. Si duo simul ordinati sunt, unus legat evangelium et alter offerat: si tres, tertius praedicet.

Ordinatio metropolitarum.

Post duas horas ab ortu solis, patriarcha, metropolitae et episcopi induant vestes suas et ingrediantur in bema et patriarcha stet in gradu altaris pedum suum manu tenens.

Si ille, qui metropolita fit, sit presbyter vel monachus ministrans Ecclesiae, ordo ordinationis episcopi legatur super ipsum, et ipse ascendat a presbyteratu ad gradum metropolitae, excepto quod in orationibus ordinationis: Deus noster bone etc. *et* Deus magne etc. *vox* metropolita *substituatur illi* episcopus. *Si sit episcopus, ingrediatur in bema, non ut summus sacerdos, sed vestitus pallio presbyteri, licet sit episcopus, et patriarcha dicat:*

Gratias agimus superabundanti sanctitati tuae, Domine, et adoramus thronum Majestatis tuae et laudamus perfectam potentiam tuae adorandae Trinitatis, tu, qui es causa cujuscunque initii, dator cujuscunque doni, ens sine initio et sine fine, Domine omnium, etc.

Psalmus 131.

Diviserunt nationes et civitates ad opus suum, ut unusquisque se probatum redderet per suos labores. Profecti sunt confidentes verbo, quod ipse locutus est: ecce, ego vobiscum sum jugiter usque ad finem mundi.

Oratio. Oramus et obsecramus te, rex excelse et Domine adorande, qui facis quodcunque tibi placuerit propria auctoritate, in coelo et in terra, et sustines et regis omnia miti potentia voluntatis tuae, ut velis mittere deorsum dexteram miserationum tuarum et fovere super hunc famulum tuum, quem gratia tua elegit, ut perficiatur ad mysticum opus summi sacerdotii, dator omnium donorum spiritualium, Domine omnium etc.

Tunc sequatur canon: Dominus Deus noster omnia, quaecunque vult, facit, *sicut in ordine ordinationis episcoporum in fine doxologiae. Post quem unusquisque metropolita et episcopus dicat unum ex canonibus supplementariis.*

Tunc patriarcha oret sicut sequitur.

Domine, indue hunc tuum adoratorem veste summi sacerdotii et vesti eum summo sacerdotio et da in manum ejus baculum pastoralem, et fac eum sapientem administrum domus tuae, ut dispenset cibi portionem debito tempore, Domine omnium etc.

Psalmus 122.

Domine, da huic tuo servo donum auctoritatis summi sacerdotii.

Tunc legatur evangelium assignatum festo Petri et Pauli, post quod archidiaconus dicat: Pax nobiscum. *Tunc caput dicat:* Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae perficit omni tempore, *usque ad responsorium:* Dignum et justum est, *sicut in ordine ordinationis episcoporum, voce* metropolita *substituta in locum illius* episcopus. *Post quod sequatur oratio:* Deus magne et aeterne, qui omnia secreta novisti etc. *cum hac additione post vocem* diaconissas: et post nostrum exitum ex hoc mundo, secundum voluntatem tuae divinitatis, officium patriarchatus perficiatur per ipsum ad omnem populum in Ecclesia Dei.

Hac oratione absoluta, caput vestiat metropolitam talari et casula et det in manum ejus pedum et signet eum inter oculos et dicat:

Segregatus est etc. in officium metropolitae etc., ut in ordine praecedenti.

Tunc osculetur ejus caput et dicat:

Christus, qui erexit gradum tuum et magnificavit donum, quod tibi dedit ex misericordia sua, ipse in gratia sua et miseratione perficiat te in omni vita proba et pia nunc et semper. Amen.

Tunc caput sumat eum manu et collocet eum in proprium locum. Postea omnes presbyteri et diaconi salutent eum, et ipse proficiscatur cum patriarcha in chorum et legat, et si potest, praedicet.

3. Restitutio sacerdotis, qui offendit.

(Habetur anglice apud G. Percy Badger, the Nestorians and their rituals. Lond. 1852. T. II. p. 350.)

Si sacerdos, qui offendit, suspensus fuerit a sacerdotio suo, episcopus vel metropolita, qui eum restituit, dicat super ipsum hanc orationem.

Deus noster bone et rex, qui omnium misereris, cujus gratia et misericordia abundat in omnes, effunde, Domine, miserationem charitatis tuae super hunc famulum tuum, et renova in eo Spiritum Sanctum, ut administret tua vivifica et sancta sacramenta; purifica eum ab omni inquinamento corporis et animae, confirma in eo spem tuam, dirige gressus ejus in via justitiae, fac eum idoneum in tua miseratione ad offerendas tibi oblationes puras in tuo sancto altari ad utilitatem populi tui electi, et ad consecrandum propitiatorium sinum spiritualis nativitatis pro illis, qui gratia tua ad communionem adoptionis Majestatis tuae vocandi sunt; fac eum sodalem sacerdotum purorum in Ecclesia tua sancta, et conforta eum gratia tua, ut servet mandata tua, perficiat voluntatem tuam et ministret coram te corde puro et conscientia bona, ut dignus sit, qui recipiat coelestem haereditatem, cum apparuerit dilectus Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus de caelo, cui cum te et Spiritu Sancto tribuamus gloriam, honorem, laudem et adorationem, nunc et in saecula saeculorum. Amen. *)

Hic episcopus signet caput ejus signo crucis.

Ordinationes Armenorum.

(Ex ordinationibus Armenorum usque ad presbyteratum inclusive praecipuos ritus praecipuasque orationes primus edidit Clemens Galanus in Conciliationis ecclesiae Armenae cum Romana Tomo I. p. 110. sqq. ex vetustissimo rituali Armeno, quo episcopos in ordinibus conferendis utentes ipse Constantinopoli in Armena, quae inibi exstat, ecclesia patriarchali viderat, et in latinam linguam verterat jussu S. C. de Propaganda Fide. Aliqua etiam ex ordinationibus praebuit T. III. p. 650. sqq. Omnes ordinationes Armenorum, inclusa etiam patriarcharum consecratione et Vartabietorum promotione edidit collatis nonnunquam pluribus codicibus Joannes Marchio de Serpos in opere suo: Compendio storico di memorie cronologiche concernenti la religione e la morale della nazione Armena suddita dell' impero Ottomano Venezia 1786. T. III. p. 372. sqq. Ritus italice describit, orationes plurimas latine tradidit. Nos hic ordinationum Armenicarum usque ad presbyteratum inclusive versionem a R. D. Richter, in collegiata S. Cajetani Monachii praebendato confertam ex Maschdoz majori Monophysitarum 1807. impresso edimus collatis aliorum recensionibus, consecrationem episcopi et patriarchae ex Serposio addentes, cum in rituali nostro non sint. Ea enim, quae ad patriarcham pertinent, in his, quae episcopis inserviunt, Pontificalibus impressa non sunt. Vartabietorum promotiones ex eodem rituali, collato Serposio, sunt. Notis et collationibus nostris quaedam Cl. translatoris animadversiones de vocabulorum Armenorum significatione locisque Scripturae, ad quae textus alludit, superadditae sunt.)

Ordo tonsurationis clericorum.

Canon et initium ordinis septem dignitatum Ecclesiae: clericorum et diaconorum et sacerdotum, qui ordinantur ab episcopo.

---

*) Cf. orationes: Deus noster bone p. 236 et Domine Deus fortis p. 236.

Et primum dignitatum clericorum, qui sunt psalmos canentes et lectores.

Deinde et aliorum secundum unumquemque ordinem*).

*Episcopus vestitus thus affert mensae, et exiens foras ad portam ecclesiae sedet in throno**), et clericorum ordines circumstantes eum dicunt hymnum secundum diem convenientem, sive etiam:*

Laetare, sancta Ecclesia, nam Christus, rex coelestis, hodie te coronavit per sanctam crucem suam et ornavit arces tuas admirabili gloria sua.

Exsulta valde filia Sion, nam terra hodie facta est coelum iterum renovatione tua, et rex coelestis dignatus est habitare in te.

Cum ordinibus coelestium exercituum exsultantes celebramus hodie incessabilem glorificationem.

Laetare, sponsa immaculata, de tuo imperscrutabili mysterio.

Gloria Patri etc.

Ordines angelorum descendentes de coelo cantant dicentes, mirabili voce modulantes cantant canticum benedictionis voce ter: Sanctus, dicente.

Deinde ducunt ordinandum ad episcopum, et diaconus dicit:

Et etiam Dominum pacis rogemus, suscipe, salva et miserere.

Et populus dicit: Domine miserere.

Diaconus proclamat:

Unanimiter deprecemur clementissimum Deum, Dominum nostrum Jesum Christum pro servo suo N., qui festinavit amore praecidere capillos verticis ejus, ut det ei Spiritum Sanctum et aperiat oculos ejus omni spirituali sapientia conversari cum terricolis et pervenire ad lumen dulcedinis gloriae coelestis. Omnipotens Domine Deus noster salva et miserere. Benedic Domine.

---

*) Serposius sequentia praemittit ritibus ordinationum a se descriptis: Ordinans certior factus, in ordinandis nihil eorum desiderari, quae ad ordinationem requiruntur, die ante ordinationem Pontificalibus indutus se confert ad limina ecclesiae, comitante clero. Ibi omnes ordinandos genuflexos benedicit sedensque in faldistorio ipsos interrogat, ad quosnam ordines promoveri velint. Postquam senior sacerdotum ad haec respondit, tunc exponit ipsis strenuo altitudinem et gravitatem vocationis, officia et terribilem rationem, quam Deo erunt redituri, si forent praevaricatores. Deinde alloquitur circumstantem clerum et populum, omnes appellat, ut si quid habeant quod dicant de fide et moribus candidatorum, libera voce pandant, nihil celantes; hoc enim non fieri posse sine gravissima culpa; protestatur, se fore innocentem coram Domino, admittens in sanctuarium homines indignos deceptus falsis testimoniis vel securus silentio perverso illorum, qui respectu humano nollent veritati honorem tribuere. His dictis discedit, et discedente illo discedunt pariter ordinandi cum reliquo clero et populo; interea praeparantur omnia ad sacram crastinae diei, quae dominica esse solet, ordinationem requisita.

**) Ex Serposio episcopus incipit liturgiam (sicut et Galanus inter missarum solemnia tonsuram conferri testatur) incensato altari et dicto Introitu descendit ab altari et sedet in sede episcopali, tonsuram collaturus.

Et episcopus dicit:

Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et deinde dicit hanc orationem:

Domine Deus noster respice in adorationem nostram et custodi hunc servum tuum N. et omnes, qui sunt in hoc servitio, et confirma in eo tuo auxilio, ut immaculate serviant in sancta tua Ecclesia et gloriae futurae participes efficiantur, per gratiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, quem decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

O Domine, qui solus sanctus es et cui non est terminus, ne respicias peccata nostra, sed aufer ab hoc servo tuo indignationem tuam et dispelle ab eo morbos peccatorum, et habitare fac super eum gratiam tuam et custodi eum ab omnibus tentationibus, nam a vita saeculari dissoluta, in qua usque ad huc conversatus est, nunc separatus accessit ad jugum tuum et vult accipere tuam gratiam. Nunc sicut nos damus ei similitudinem tuae coronae, et tu dignum fac eum, ut sit dignus coronae tuae in habitatione coelesti, et germinare fac in spiritu ejus spiritum sapientiae per Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet gloria, potestas etc.

Deinde dicunt psalmum alternatim usque ad finem.

Dominus pars haereditatis meae etc.

Conserva me, Domine, quoniam in te etc.

Item psalmum:

Domini est terra et plenitudo ejus, orbis etc.

Quia ipse super maria fundavit eum etc.*)

Deinde praecidit capillos verticis ordinandi ad modum crucis, quod significat, eum praecidere corporalia residua desideria in quatuor, hoc est: in sensu, in memoria, in mente et in voluntate. Cum hoc demonstrat, se crucem, passionem in se suscepturum esse ad similitudinem Christi, qui habuit in capite suo coronam spineam in cruce.

Et dicit ter:

Auribus percipe et attende cum toto corde, ut quae modularis ore, credas corde, et quae credideris corde, eadem exhibeas et opere; quatenus praecisis capillis tuis praecidatur a te terrena concupiscentia mundi in aeternum[1]. Amen.

Deinde tradit psalterium in manus ejus dicens:

Prehende, accipe, fili, et attende, ut quae nunc suscipis secundum vires tuas in vita tua psallere, non negligas deinde debitum reddere**).

---

[1] G. S. deest: in aeternum; add. in nomine P. et F. et Sp. S.

*) Ex Serposio haec ita sunt: Cantatur a choro antiphona: Dominus pars haereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues haereditatem meam mihi, postea psalmus 15: Conserva me Domine etc. et psalmus 23: Domini est terra et plenitudo ejus.

**) Serposius psalterii traditionem cum tonsurationis actu ita conjungit, ut actum ipsum immediate post capillorum abscissionem memoret et unicam formam: Auribus percipe etc. addat.

Deinde dicunt hymnum:

Qui vocasti remotos ad nuptias tui Unigeniti, bibere calicem sapientiae de manu sancti Gregorii, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Qui passionibus naturam humanam exsuperantibus Electi tui reduxisti errantes ad agnitionem veritatis, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Qui in abysso profundissima contrivisti per eum caput serpentis, per descensum ejus in foveae interiora exaltasti nos ad coelum, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Deinde dicunt psalmum usque ad finem.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum. Concupiscit et deficit anima mea in atria tua*).

Et episcopus tradit scopam in manum ejus dicens:

Accipe potestatem verrendi in domo Domini et[1] mundandi ecclesiam Dei![2]

Tollunt de manu ordinandi scopam.

Et dicunt hymnum:

Lux de luce generatio et emanatio, qui venisti, ut quaereres ovis, quae periit, naturam, quam cum cruce exaltasti supra humerum tuum, purifica nos a peccatis nostris.

Sancta cum sanctis entibus purificatio, qui verristi domum tuam, a peccatis mundum purificando, in ea inventam imaginem tuam renovasti, renova nos a vetustate peccatorum.

Cum prodigo filio clamamus ad te, Patrem misericordem. Peccavimus in coelum et coram te, expiator transgressionum, occurre cum amore, amplectere cum osculo, purifica nos.

Fons vitae exiens de Eden, Sancta Dei Genitrix, per quam irrigata est terra arida Spiritus sapientia, deprecare, ut nobis det fontem lacrimarum, ut purificet**).

Praeconium:

Per sanctam crucem. *Oratio:* Custodi, *et* Pater noster.

---

[1] G. deest: verrendi in domo Domini et. — [2] S. G. add. Insimul expurget a te Dominus peccata, quae te circumstant, in nomine P. et F. et Sp. S. Amen.

*) Serposius statim post formam: Auribus percipe etc. chorum antiphonam: Elegi abjectus esse etc. cantare ait et alternatim psalmum 83: Quam dilecta tabernacula tua etc.

**) Serposius post hymnum haec ab episcopo fieri addit: Imponit ordinando vestem clericalem, dicens: Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, ipsumque tradit archidiacono ad hoc, ut sicut decet ecclesiasticum educetur. Haec non memorat Galanus.

Ordinatio ostiarii.

Primus gradus ordinis: ostiariatus.

Episcopus incensat sanctum altare, et dicunt hymnum: Laetare sancta Ecclesia. *Vel etiam:*

Hodie divinitas jubilavit noviter fundando terram. Sancti chori laudant vigilum et nos voce benedictionis ornemus sanctum festum.

Hodie et nos exsultemus de hoc festo cum universali concentu, magnifico splendore apparuit in mundo.

Ad Deum gratiarum actiones currunt, annuntiant sine fine Verbum vivum.

Laetare et exsultare, Ecclesia, virgo sancta et sponsa sponsi coelestis.

Ecce videmus unctum, Christum, essendo apud te lumen gentium.

Et diaconus vel chartophylax ducit ordinandum ad episcopum et dicit:

Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Et populus dicit:

Domine miserere.

Deinde diaconus proclamat:

Deprecemur omni corde Deum omnipotentem, patrem nostrum, ut tribuat huic deinde induere vestem ostiariatus, et esse ad jussum primi diaconi et doceri ab eo, et largiatur huic servo suo N., qui vocatus est ad munus ostiariatus, recte stare in ordine suo die ac nocte, de mane usque ad vesperam et meridiem, et meminisse nominis Domini nostri Jesu Christi, qui venit et regnavit in saecula saeculorum. Salva et miserere. Benedic Domine!

Et episcopus dicit: Benedictio etc.

Deinde dicit hanc orationem:

Tu Domine, Deus Pater sancte, qui potens es in aeternum, cum omnibus sanctis tuis, custodi hunc servum tuum N., ut per tuam virtutem maneat in munere perficere opus suum in sancta Ecclesia. Et da ei mercedem fidelis servitii ejus in his operibus in coelesti regno tuo. Et tibi gloria in saecula. Amen.

Et dat episcopus clavem ecclesiae in manus ordinandi dicens:

Accipe potestatem aperiendi et claudendi portam [1] hujus sancti templi, et [2] sic age, quasi redditurus Deo rationem pro hoc munere; et iis, quae his clavibus recluduntur [3], diligentiam adhibe; et dum aperis vel claudis januas ecclesiae, Deum precare.

Haec repetit ter, et diacono dicit: Doce hunc [4]. *Et diaconus tollit clavem de manibus ordinandi, eamque immittit in portam ecclesiae demonstrans, quomodo aperiatur et claudatur.*

Et dicunt psalmum:

Confitemini Domino, quoniam bonus est, quoniam in saeculum est misericordia ejus.

---

[1] S. Accipe claves. — [2] G. deest: Accipe . . . templi et. — [3] G. hic punctum ponit. — [4] S. quomodo hic debeat ministrare in domo Dei.

Et dum dicunt: Aperite mihi portas justitiae, ingressus in eas confitebor Domino.

Dicunt hymnum:

Misericordiae tuae portam aperi nobis Domine, et dignos fac nos lucidi domicilii tui cum sanctis tuis, in praeparata tua habitatione sanctorum tuorum. Accipe et nos Salvator ad adoptionem filiorum in libro vitae.

Quando sedebis in throno judex tremendus parce creaturis tuis per intercessionem et preces sanctorum ascetarum.

Et aperta porta intrant in ecclesiam).*

Praeconium: Per sanctam crucem. *Oratio:* Custodi *et* Pater noster.

Et incipiunt ordinem secundum.

Ordinatio lectoris.

Secundus gradus ordinis: lectoratus.

Diaconus proclamat:

Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Et populus:

Domine miserere.

Diaconus:

Deprecemur Deum Patrem omnium pro hoc servo suo N., qui accipit gradum lectoratus, ut revelet et doceat eum legem suam et confortet eum per gratiam suam, eique tribuat, ut quod semel legit labiis, perficiat operibus ad gloriam nominis sui sancti.

Omnipotens Domine Deus noster salva et miserere.

Et episcopus dicit hanc orationem:

Tu Domine et dominator, Pater sancte, qui habes imperium a saeculo super mundum, effunde omnisplendentem gratiam tuae misericordiae super hunc servum tuum N., qui pervenit ad munus lectoratus. Et da ei diligentiam omni tempore in lege tua, et semper meditari in amore mandatorum tuorum, et permanere in munere hoc, ad quod ordinatus est, diligenter dicere verbum tuum et legere librum legis tuae in sancta Ecclesia et facere operibus et puro corde, consilium dare populo tuo, et dirigere sanctam Ecclesiam ad auditionem mandatorum tuorum per Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet etc.

Diaconus: Atque etiam pacis Dominum deprecemur. Benedic Domine.

Et episcopus: Benedictio et gloria etc.

---

*) Haec ita exponuntur a Serposio, ut ad versum: Aperite mihi portas etc. aperiantur portae templi, et intrantibus per illas diacono et ostiario recitetur hilari cantu hymnus. Ex Galano autem procedunt post traditionem clavium omnes ad januam ecclesiae, ubi diaconus ter dicit pontifici: Doce hunc, et pontifex, ponens clavem in sera, ter quoque dicit ordinando: Sic age quasi redditurus Deo rationem etc. ut supra.

Deinde dat librum Apostolorum et Prophetarum *) *in manus ordinandi dicens:*

Accipe potestatem legendi librum in ecclesia[1], et esto verbi Dei relator instructus in iis. Si recta mente et animo officium tuum impleveris, habebis partem in coetu sanctorum et diligentium Deum. Tu ergo frater eris lector in domo Dei, officium Dei perficiendo[2]; hic gradus est tibi, quem diligenter geras. Sed Deus, qui largus est, concedet tibi misericordiae suae gratiam per Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum et per virtutem Sancti Spiritus[3], nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et dicunt hymnum:

Domine, qui misericordiam tuam abundantem effudisti super Apostolos tuos, per preces eorum miserere.

Per quos gratia Spiritus Sancti in omnem terram dispersa est, per preces eorum miserere.

Qui per eos illuminasti per lavacrum baptismi sanctam tuam Ecclesiam, per preces eorum miserere.

Praeconium: Per sanctam crucem. *Oratio:* Custodi et Pater noster.

Ordinatio exorcistae.

Tertius gradus ordinis: exorcistatus.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Et populus: Domine miserere.

Diaconus:

Fratres venerabiles, omni corde deprecemur clementissimum Deum, Patrem omnipotentem, ut det sapientiam huic servo suo N. ad opus exorcistatus, ut potens sit per Spiritum Sanctum ejicere daemonia ab hominibus, et per exorcismum faciat homines renuntiare Satanicis operibus per gratiam unigeniti Filii sui, Domini nostri Jesu Christi, salva et miserere. Benedic Domine.

Et episcopus: Benedictio et gloria etc.

Et deinde hanc orationem:

Tu Domine, Pater sanctissime et infinite Deus, ad virtutem huic servo tuo N. ad hoc opus exorcistatus, ad quod ordinatur, ut confortetur per verbum oris sui ejicere ab hominibus spiritum immundum ejusque sordidas cogitationes et opera, et esse verus sanator et medicus Ecclesiae tuae sanctae, per sanctam gratiam tuam, quam abundantem das a coelestibus donis tuis per Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet gloria, potestas etc.

Deinde dat rituale, in quo scripti sunt exorcismi baptismi sive renuntiationis dicens:

---

[1] SG. librum hunc, deest: potestatem legendi librum in ecclesia. — [2] S. Tu ergo frater leges in domo Dei opera Dei. G. deest: officium Dei perficiendo. — [3] G. deest: Filium . . . Spiritus.

*) Ex Serposio traditur codex Actuum Apostolorum; ex Galano liber Epistolarum.

Accipe potestatem a Spiritu Sancto[1], et commenda memoriae, quae hic scripta sunt. Potestas tibi est imponendi manus super energumenos et eos, qui veniunt ad baptismum, ut abrenuntiare eos facias[2] Satanae iisque, quae sunt Satanae[3], et gratiarum actione glorifices Patrem et Filium et Sanctum Spiritum, nunc etc.

Et dicunt hymnum:

Gloria glorificata sancta Trinitas, natos per lavacrum gloriae fac dignos coelestis tuae haereditatis.

Laetata per sanguinem martyrum, natos per lavacrum gloriae fac dignos coelestis tuae haereditatis.

In sanctuario tuo benedicimus tibi, per preces Dei Genitricis natos per lavacrum gloriae fac dignos coelestis tuae haereditatis.

Remove a nobis Domine per signum crucis tuae adversariam et invisibilem bestiam, et ne tradas in corruptionem haereditatem tuam.

Praeconium: Per sanctam crucem. *Oratio:* Custodi et Pater noster.

Ordinatio acolythi.

Quartus gradus ordinis; acolythatus.

Ducunt ordinandum ad episcopum dicentes hymnum:

Per lumen Deitatis tuae, Christe, illuminasti sanctam Ecclesiam, custodi eam immobilem in fide. Celebrat hodie Jerusalem, credentium multitudo, dedicationem sanctae Ecclesiae, custodi eam immobilem in fide.

Apertae sunt portae fidei novae Sion, ut excipiant te immortalem Sponsum in thalamum. Distribuit corpus tuum et sanguinem, custodi eam immobilem in fide.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Et populus dicit: Domine miserere.

Diaconus:

Fratres dilecti, deprecemur Deum omnipotentem, Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det huic servo suo N. per chirotoniam accipere quartum ordinem, gratiam accendendi luminaria, et esse spiritu lumen per adjutorium Dei Patris Domini nostri Jesu Christi. Salva et miserere. Benedic Domine.

Et episcopus dicit hanc orationem:

Domine Deus, Pater omnipotens et sempiterne, qui unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum misisti in terram, qui elegit discipulos suos, eosque vocavit lucem mundi, et misit ad praedicationem evangelii, qui universum orbem illuminaverunt et interfectores nostros, malos daemones disperserunt, qui postulasti a Filio tuo, ut ad lignum crucis accedat, qui voluisti, ut fons sanguinis stillet de latere ejus, per quem redemptio mundi facta est. Tu hoc disposuisti. Benedic et nunc hunc servum tuum N. ad officium acolythatus, ut accendat luminaria in sancta ecclesia, et impleat vinum in calicem sanguinis Filii tui et ponat corpus Domini nostri Dei in hac sancta mensa. Domine Deus illumina

---

[1] SG. deest: potestatem a Spiritu Sancto. — [2] G. et faciendi, ut venientes ad baptismum abrenuntient. — [3] S. deest: Satanae iisque quae sunt Satanae. G. deest: iisque quae sunt Satanae.

spiritum et mentem haeredum horum a radiis Sancti Spiritus, ut cum fide serviant in sancta Ecclesia per gratiam Domini nostri Jesu Christi, cum quo te Patrem et Spiritum Sanctum decet gloria, potestas et honor etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Omnipotens Deus, fons lucis et dator bonorum, Domine noster Jesu Christe, qui illuminasti mundum, et per mysterium passionum tuarum redemisti. Tu Domine benedic nunc hunc servum tuum N., qui chirotonia signatur in nomen acolythatus. Petimus a tua beneficentia, custodi hunc et cor ejus in timore tuo sancto et illumina luce sapientiae tuae, ut permaneat in officio suo per tuum auxilium et perveniat ad vitam aeternam, per tuam gratiam, Christe Jesu, qui es Dominus noster, et te et Patrem et Spiritum Sanctum decet gloria, potestas et honor.

Diaconus: Atque etiam pacis Dominum.

Et episcopus dicit: Benedictio et gloria Patri etc.

Deinde accipit ceroferarium cum ardentibus cereis et dat in manum ordinandi dicens:

Accipe ceroferarium cum cereo, et habe [1] potestatem accendendi luminaria et lampades in sanctis ecclesiis [2].

Simili modo tradit etiam urceolum seu calicis vas vacuum dicens:

Accipe urceolum hunc ad suggerendum vinum calici pro sanguine Christi, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Deinde: Per sanctam crucem. Custodi *et* Pater noster *).

Et sciendum est: hujus officium est, luminaria et lampades ecclesiarum accendere, hostias facere et calicem praeparare.

Item: huc usque potest nubere is, qui quatuor [3] ordines habet, sed a quinto et [4] deinceps non potest, nam permissum non est [5].

Ordinatio subdiaconi.

Quintus gradus ordinis: subdiaconatus.

Ducit ordinandum chartophylax ad episcopum, dicens hymnum: **)

Laetare sancta Ecclesia, nam etc.

Et episcopus facit signum crucis super praesentatum.

Et dicunt psalmum.

Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem.

Lectio e Proverbiis. (4, 1—9.)

Audite, filii, disciplinam patris — et corona inclyta proteget te.

---

[1] G. et scias te habere. — [2] G. deest: et lampades in sanctis ecclesiis. — [3] S. deest: quatuor. — [4] S. deest: a quinto et. — [5] S. deest: nam . . . est.

*) Serposius addit, post Pater noster episcopum liturgiam prosequi et concludere, intra quam ordinatis sanctam communionem distribuit. Ipsos vere manere in sanctuario septem dies continuos, ut exerceant suos quisque gradus.

**) Ex Serposio, postquam episcopus initium facit liturgiae, sedet in faldistorio, archidiaconus ipsi praesentat candidatum, rogans ut promoveatur.

Lectio e propheta Isaia. (6, 1—10.)

In anno, quo mortuus est rex Ozias — et sanem eum.

Lectio est ex epistola Apostoli Pauli ad Hebraeos. (9, 11—15.)

Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum — qui vocati sunt aeternae haereditatis.

Alleluja. Alleluja.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Marcum. (10, 13—16.)

Ad Dominum nostrum Jesum Christum. Et offerebant illi parvulos — benedicebat eos.

Diaconus sive etiam chartophylax proclamat:

Atque etiam pacis Dominum etc.

Fratres dilecti, deprecemur Dominum, dare huic servo suo N. benedictionem suam, ut confortet eum ad officium subdiaconatus, servire cum fide coram ipso, et recipere remunerationem, quam promisit sanctis suis, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, salvum fac et miserere. Benedic Domine.

Et episcopus capiti ordinandi manum imponit dicens:

Spes immortalitatis et vita, Domine et creator omnium, a quo perterriti tremunt omnes creaturae visibiles et invisibiles, rationales et intellectuales, qui propter multam clementiam generis humani misertus misisti Filium unigenitum, ut nos redimeret, qui humiliatus benigne induit corpus a Sancta Virgine Maria, passus est, ut errantes ad se reduceret; elevatus est in coelum ad Patrem, ut nos conduceret ad vitam aeternam; et praecepit discipulis suis, custodire mandata sua omnibus diebus vitae eorum, et tempore conveniente promisit vitam aeternam, hic iste servus tuus, successor factus sanctorum Apostolorum, desideravit ordinem. Quapropter deprecamur te, benefice et multae misericordiae Deus, exaudi deprecationes nostras et inclina ad preces nostrum omnium, et hunc servum tuum N., quem elegisti et vocasti ad thurificationem [1] et ad ministerium sacri altaris tui, et ad lectionem divinorum mandatorum tuorum, sanctum conserva in vocatione, in qua vocatus est, Domine fortis et omnipotens, qui sanctus es sanctorum [2]. Elige et sanctifica et [3] dignum fac eum omni sapientia ac intelligentia divinorum verborum tuorum, ut lectiones memoria teneat [4] et opere compleat. Conserva eum sine infamia et macula, eumque dignum fac, ut tempore conveniente majorem [5] diaconatus gradum recipiat. Largire ei mansuetudinem, humilitatem et verecundiam. Inspira in eum Spiritum Sanctum tuum, ut dignus efficiatur meditari in divinis die ac nocte. Delibera eum a vaniloquio et a lascivia [6] et fac eum dignum cum sanctitate [7] servire Ecclesiae tuae sanctae, per misericordiam et clementiam Christi Filii tui, cum quo te Patrem et Spiritum Sanctum decet gloria, potestas et honor.

Pax omnibus. Deum adoremus.

---

[1] G. deest: thurificationem. — [2] S. deest: sanctorum. — [3] G. deest: qui sanctus . . . sanctifica et. S. deest: sanctifica et. — [4] G. qui cum sapientia et intellectu divinas lectiones tuas mente percipiat. — [5] G. magnum. — [6] G. deest: et a lascivia. — [7] G. deest cum sanctitate.

Glorificate ab omnibus clementissime Domine, dator bonorum et accipiens preces, suscipe nunc hunc servum tuum N., quem elegisti in servitium Ecclesiae tuae. Reple eum omni spirituali sapientia sicut tunc temporis divino tuo brachio parvulos, quos suscepisti. Corrobora eum secundum gradum tui veri testis, conservando eum ab omnibus astutis insidiis Satanae, ut dignus efficiatur cum sanctitate et immaculato corde intrare in ordinem diaconatus secundum tuam voluntatem et olim etiam pervenire ad spem vitae aeternae cum omnibus sanctis tuis, qui ab initio tibi placuerunt. Et nos omnes divino et spirituali osculo recipientes eum, in omnibus gratias agentes glorificemus te et Patrem tuum omnipotentem cum vivificante et deliberante Spiritu Sancto, nunc, et semper etc.

Et induunt ordinandum veste clerici, et episcopus ponit manipulum in sinistro brachio ejus) et dat in manum ejus calicem vacuum et patenam dicens:**)*

Accipe sanctum hunc calicem, et habes potestatem a Domino[1] portandi ad sanctam mensam[2] pro salutifero[3] mysterio Christi Dei[4] nostri, quem decet gloria, potestas etc.

*Simili modo tradit vestem missae, purificatorium, missale***) et omnia paramenta dicens:****)*

Vide[5] ad quod mysterium vocatus es; nam ab ultimo ministerio, in quo eras, promotus es. Deinceps esto vigilans in servitio Ecclesiae[6]; expergiscere a pigritia; castus esto a mollitie[7]; et panem propositionis, quem dedit Christus Ecclesiae suae panem vitae, attente praepara[8] quantum sufficit populo ad communionem, nec plus, vel minus[9]. In vase,

---

[1] S. deest: a Domino; add. proferendi et. — [2] S. add. Domini. — [3] S.: magno et pretioso. — [4] S.: Domini. — [5] S. add. fili. — [6] S. in hoc officio. G. in ministrando. — [7] G. deest: castus esto a mollitie. — [8] G. diligenter adverte, ut tantum adducas in altare. — [9] G. deest: nec plus vel minus.

*) S. ad traditionem manipuli hanc formulam habet: Accipe manipulum ad custodiam animae tuae, ut puris manibus servias in domo Domini nostri Jesu Christi; quae et apud G. deest.

**) G. episcopum ait ad hanc traditionem dicere, quae infra sequuntur: Vide, ad quod mysterium etc.

***) G. testatur, traditionem libri Epistolarum, quae juxta ritum Latinum fit in ordinatione subdiaconi, apud Armenos non esse. Serposius autem sequentia hic inserit: Deinde porrigit ipsi librum Epistolarum, quae leguntur in missa et dicit: Accipe librum hunc lectionum et habeto potestatem legendi eas in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen.

****) S. haec ita habet: Postea ipsi exhibet in canistra convenienti omnia paramenta sacra, quae inserviunt sancto sacrificio, et dicit: Accipe sacras vestes et omnia paramenta missae et habeto potestatem a Domino ministrandi et vestiendi sacerdotes ad mysterium cultus Christi Dei nostri. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Postremo adhortatur ipsum de ordine suscepto, dicens: Vide fili etc.

ubi corporale lavabis, nihil aliud intinges, et aquam, qua lavasti, in baptisterium immittes[1]; et in concha, ubi lavasti mappam mensae, lavabis omnia linteamenta ecclesiae[2]. Ideo expono tibi haec, ut diligenter perficias opera tua, et placeas Deo et Domino nostro Jesu Christo, quem decet gloria, potestas etc.

Et dicunt hymnum:

Sapientia coelestis, descendisti desuper, congregare electos a principio, stultos mundi*), et replevisti eos luce tuae sapientiae, ut per eos a nobis expellantur tenebrae ignorantiae, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Supra mare ambulans cursu sine vestigio**), in lacu vocasti „Venatores animalium irrationabilium***) ad mortem", ut in mari mundi caperent rationabiles****) ad vitam, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Tu agricola coelestis terrae rationalis, qui dedisti semen vitae in linguas sermonis agricolarum eosque misisti seminare in spiritus rationales, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Qui symbolum duodecim Apostolorum tuorum, Christe, et septuaginta electorum discipulorum antea manifestasti in numero palmarum et fontium in Elim †), per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Qui aedificasti domum tuam Ecclesiam, Sapientia Patris, Jesu, et erexisti in ea columnas, septemradiantem virtutem Spiritus et misisti famulos tuos, sanctos Apostolos, vocare gentiles ad potum poculi laetitia mixti, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Qui tuae Dominicae potestatis participes reddidisti sanctos Apostolos ligare et solvere filios hominum in coelo et in terra, iisque promisisti, eos tibi συνθρόνους futuros, quando sedebis in throno judiciali, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Deinde: Per sanctam crucem. Custodi nos et hunc servum tuum. Pater noster ††).

Hujus servitium majus est quam praecedentium, scilicet: in ecclesia praeconium dicere, thurificari, celebrantem induere, vacuum calicem in oblatorio †††) ponere, ad mensam accedere et missae sanctae ministrare.

---

[1] G. add.: in quo et catinum ipsum lavabis. — [2] G. deest: et in concha . . . ecclesiae.

*) I. Cor. 1, 27. R.

**) Joan. 6, 19. R.

***) Piscatores Matth. 4, 18. R.

****) Homines Matth. 4, 19. R.

†) Exod. 15, 27. R.

††) Serposius addit: Episcopus prosequitur et concludit liturgiam, intra quam ordinatus subdiaconus communicat; ipse quoque manet per quindecim dies in sanctuario ad ministrandum.

†††) Chorhrtanoz sive enzajaran, oblatorio; altare della protesi; altare oblatorio. Ciakciak. (T. Emm. Mechitarista, in suo Dizionario Armeno-Italiano, Venezia 1837.) R.

Ordinatio diaconi.

Sextus gradus ordinis: diaconatus.

Induunt episcopum splendidis vestibus, et omnes ordines ministrorum secundum legem, habentes in manibus thuribulum et campanam *) *et cereos ardentes, crux coram episcopo, et concham in manu, exeunt foras de tabernaculo et stant coram altari dicentes hymnum:* Laetare sancta Ecclesia, nam etc.

Et accedunt ad altare, et episcopus incensat sanctam mensam et diaconus clamat: Benedic Domine.

Episcopus dicit: Benedictum regnum Patris, et Filii etc.

Deinde dicit secreto:

Domine Deus noster, suscipe preces extensis brachiis oblatas famulorum tuorum, et miserere secundum magnam misericordiam tuam. Emitte clementiam tuam super nos et omnem populum hunc, qui sperant a te abundantem tuam misericordiam.

Alta voce: Nam misericors es et hominum amator, cum sis Deus, et te decet etc.

Deinde dicunt psalmum 14. usque ad finem. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus dicit: Benedictio et gloria etc.

Item psalmum 25. Judica me Domine, quoniam ego etc. *usque ad finem.*

Diaconus clamat: Benedic Domine.

Episcopus dicit: Benedictio et gloria etc.

Item psalmum 42. Judica me Deus, et discerne etc. *usque ad finem.*

Et dum dicunt psalmum, descendunt duo diaconi et chartophylax de bemate et ferunt ordinandum coram bemate **).

Et chartophylax dicit episcopo alta voce:

Pater sancte, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia, ut hunc N. subdiaconum, quem praesentat tibi, ordines nobis ad diaconum [1].

Et episcopus dicit:

Scitis, utrum sit dignus, qualis sit, qualem conversationem habeat, ex mundone conjugio natus sit an ex immundo [2], et qualem habeat scientiam et sanctitatem?

Respondet chartophylax: [3]

Quantum humana fragilitas nosse sinit, scimus et testificamur, ipsum dignum esse ad tollendum jugum hujus dignitatis [4], et habere scientiam et sanctitatem.

[1] S. ut ordines ad onus diaconii, G. ut ordines nobis N. subdiaconum, quem offerimus ad onus diaconii. — [2] G. deest: an ex immundo. — [3] G. sacerdos quidam ex circumstantibus. — [4] G. ad hujus onus officii.

*) Kschoz, un istrumento da suonare nella messa Armena e Greca. Ciakciak. R.

**) Haec teste S. fiunt incoepta liturgia coram episcopo sedente in faldistorio.

Et episcopus facit signum crucis et dicit:

Per gratiam Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti vocamus hunc subdiaconum N. ad officium diaconii. Quapropter rogemus benignissimum Deum, ut splendide illustret eum donis sanctitatis suae per Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet gloria, potestas et honor etc.

Deinde ferunt ordinandum ad mensam, et adducunt ad episcopum super sinistrum genu. Et episcopus benedicit cruce et dicit:

Benedictio et gloria Patri etc.

Deinde chartophylax vel diaconus proclamat dicens:

Rogemus Deum omnipotentem pro hoc servo suo N., qui prope est, ut vocetur in gradum diaconii, ut dignus efficiatur per ordinationem accipere gratiam ad similitudinem Stephani, primi diaconi et protomartyris, a Deo omnipotenti. Salvum faciat et misereatur.

Benedic Domine.

Et episcopus imponit dexteram capiti ordinandi et dicit hanc orationem:

Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, tibi humiliavit hic famulus tuus cervicem animae et corporis. Extende invisibilem dexteram tuam, et benedic illum, ut dignus fiat vocatione ministerii sanctae Ecclesiae, et accipiat gratiam ad similitudinem dilectorum tuorum, qui distribuis largiter fidelibus juxta cujusque gradum, ad colendum te verum Deum, cujus gratiae dono dignus factus, rejiciat terrena, ut sit praeco abundantissimae gratiae tuae ac evangelii pacis ad gloriam sanctissimae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, nunc etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine Deus virtutum et exercituum ordinum coelestium, qui et nos disposuisti in sorte ministerii hujus, et scis mentem filiorum hominum et perscrutator es cogitationum et meditationum omnium, da et nunc secundum magnam misericordiam tuam dona tua, et munda eum, qui nunc ordinatur, et purifica eum ab omnibus impuritatibus, a peccatis, quae cogitatione et opere commisit per insidias diaboli. Corrobora eum ad mores virtutis, et remove ab eo tenebrarum cogitationes sicut fumum a facie terrae. Reple eum virtute tuae gratiae et misericordia Unigeniti tui et gratia veri Spiritus Sancti. Et da ei fieri famulus dignus Novi Testamenti, ut possit sine offensione et scandalo stare coram nomine tuo sancto, laudare et servire mysteria admirabilia deposita nobis, nam dulcis es et largae sunt misericordiae tuae adversus eos, qui clamant ad te, et te solum decet gloria, potestas etc.

Deinde dicunt psalmum: Beati immaculati (118) *usque ad finem.*

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis etc. Benedic Domine.

Et episcopus dexteram cum cruce) imponit capiti ordinandi et dicit:*

Domine Deus, omnipotens, factor omnium creaturarum, qui elegisti tibi novum populum peculiarem de omnibus nationibus terrae, et con-

---

*) Nulla crucis in manuum impositionibus adhibendae mentio occurrit apud G. et S. Res, quae ulteriori inquisitione indiget.

firmasti Ecclesiam tuam sanctam, aedificatam super fundamentum Apostolorum et prophetarum, et constituisti in ea antistites et pastores et doctores, suscipe et nunc preces nostrum omnium, et quiescere fac gratiam Spiritus tui Sancti in hoc famulo tuo N., qui accessit ad ordinationem ministerii sanctae Ecclesiae tuae. Custodi hunc constantem et immobilem ab omni tentatione inimici, ut incedat immaculate coram te in catholica Ecclesia, mundo corde et sincera fide, in omnibus operibus bonis juxta benevolum placitum tuum, et dignus efficiatur glorificare sanctissimam Trinitatem, nunc etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine noster Jesu Christe, qui elegisti hunc famulum tuum N. ad opus ministerii, munda eum et dignum fac omni sapientia et spirituali intelligentia vigiliam et lectionem divinorum verborum tuorum in mentem suscipere et observare mandata tua immaculata monachitate et bonis moribus vivere in hoc mundo et pervenire ad dona coelestia cum omnibus sanctis tuis. Corrobora eum secundum ordinem tui veri testis sancti Stephani custodiendo eum ab omnibus insidiis Satanae, ut dignus efficiatur cordis sanctitate custodire gradum diaconatus secundum benevolam tuam voluntatem pervenire, ut maneat eum spes vitae aeternae cum omnibus sanctis tuis. Et nostrum omnium divino et spirituali sancto osculo suscipientes eum, in omnibus digni efficiamur gratias agentes glorificare Patrem et Filium et Sanctum tuum Spiritum, nunc etc.

Deinde ordinandi dirigunt facies suas ad occidentem, et manus super elevant, et alii circulum facientes ter clament alta voce:

Divina ac coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. a subdiaconatu ad diaconatum in sanctae Ecclesiae ministerium, juxta testificationem sui ipsius, totiusque populi.

Et populus dicit ter: Dignus est.

Et vertunt ordinandum versus orientem et ponunt sacerdotes manus super humeros ejus.

Et episcopus imponit dexteram capiti ejus dicens:

Divina et coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. a subdiaconatu ad diaconatum in[1] sanctae Ecclesiae ministerium, juxta testificationem sui ipsius, totiusque populi.

Ego impono manum, vos autem omnes orate, ut dignus sit hic gradum diaconatus immaculate conservare ad[2] sanctum altare Dei.

Dicit populus ter: Domine miserere.

Diaconus clamat: Benedic Domine.

Et episcopus dicit orationem hanc:

Domine Deus fortis et glorificate ab omnibus, magnae et tremendae voluntatis tuae sanctae famuli fiunt creaturae, coelestes et terrestres prompta obedientia, magis etiam intellectuales et rationales, dispositi tua voluntate ad ministerium Ecclesiae tuae, perficiunt magno cum gaudio mandata tua. Gratias agimus tibi, qui in omnibus fortis es et non in-

---

[1] G. ad officium diaconii et ejusdem. — [2] G. add. hoc.

digens, qui tua clementia respexisti genus humanum et elegisti tibi ecclesiam a nobis, templum habitationis sanctissimae gloriosae Trinitatis tuae, et disposuisti in eo diaconos ad ministerium sanctae Ecclesiae tuae. Deprecamur te Domine ac petimus a bonitate tua, respice oculo propitio de praeparata habitatione tua super hunc famulum tuum, qui ordinatus est nunc ad ministerium Ecclesiae tuae sanctae. Constantem conserva eum in vocatione, ad quam vocatus est. Remove eum ab omnibus rebus malis. Corrobora eum in omnibus operibus bonis, et adauge in eo caritatem et fidem. Da ei virtutem et gratiam sancti Stephani, protomartyris tui et primi diaconi, ut repletus Spiritu tuo Sancto permaneat immaculatus in ministerio mensae tuae sanctae. Incensando moribus bene olentibus et bonis operibus in sancta tua Ecclesia laetificet se ipsum et omnes vicinos et remotos, et dignus efficiatur tempore convenienti adipisci magnum gradum presbyteratus, per gratiam et clementiam Domini nostri Jesu Christi, qui invitavit nos ad suum regnum et gloriam. Et tibi Patri omnipotenti et Filio tuo unigenito et Sancto Spiritui tuo vero gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Clementissime Domine, qui vocasti hunc servum tuum N. ad illuminationem sanctitatis morum verecundia et modestia. Nunc suscipe eum per gratiam misericordiae tuae, qui speravit in te, Domine, et consecravit animam suam tibi redemptori Jesu Christo et datori gratiae Spiritui Sancto. Da ei virtutem et sapientiam et gratiam, corroborari contra inimicum, qui solet decipere et perdere homines. Per victricem virtutem tuam et gratiam Spiritus tui Sancti impediantur omnes virtutes retium ejus et per manuum nostrarum impositionem, quae super eum finita est, donum sacrificii (templi) appareat circa eum per virtutem tuam, magni Domini nostri, largientis clementiam, qui magna largiris et paululum tantum postulas, praecepti tui scilicet observationem. Et nunc esto ei protegens adjutor et custos die ac nocte. Conserva eum sanctum et immaculatum, subditum et justum in omnibus propter gloriam nominis tui, nam tu es Deus omnium creaturarum, qui potens es in omnibus sancta Trinitas, et te decet gloria, potestas etc.

Alleluja. Alleluja.

Domine ut scuto beneplacito tu coronasti eum.

Verba mea auribus percipe, et intende orationem maam.

Lectio e Provérbiis. (4, 1—9.)

Audite filii disciplinam patris — corona inclyta proteget te.

Lectio Jeremiae prophetae. (1, 1—10.)

Verbum Domini, quod factum est ad Jeremiam, filium Helciae — aedifices et plantes.

Item lectio Jeremiae prophetae. (23, 5—6.)

In diebus illis et in tempore illo suscitabo David germen justum — justus noster. Nam sic dicit Dominus: Non deerit Davidi vir, qui sedeat in throno domus Israel, et sacerdotibus et levitis non deficiet vir a facie mea offerre holocausta, sacrificia et incensare omnibus diebus.

Lectio Osee prophetae. (14, 10.)

Sic dicit Dominus: Quis sapiens — corruent in eis.

Lectio Actuum Apostolorum. (6, 2—7.)

Convocantes autem duodecim — obediebat fidei.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Timotheum. (I. Timoth. 3, 7—16.)

Exerce autem teipsum ad pietatem — qui te audiunt.

Alleluja. Alleluja.

Spiritu Sancto corroborate Stephane, et electe ab utero vere martyr, amator et misse a mittente, a Christo accepisti vigilum coronam.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Lucam. (10, 21—24.)

Dominus noster Jesus Christus. In ipsa hora exsultavit — et non audierunt.

Et dicunt Credo.

Et diaconus proclamat: Atque etiam pacis etc. Atque etiam cum fide etc.

Et portant oblationes ad altare. Et episcopus dicit: secreto.

Dominus Deus virtutum et creator omnium entium, qui a non esse ad esse perduxisti naturas, qui et nostras terrenas naturas clementissime formasti, et nos hujus tremendi et ineffabilis mysterii ministros effecisti. Tu, Domine, cui offerimus oblationes, suscipe a nobis hanc propositionem et fini eam in mysterium corporis et sanguinis Unigeniti tui, remedium remissionis peccatorum dona gustantibus panem hunc et calicem.

Cum voce:

Per gratiam et clementiam Domini nostri et Redemptoris Jesu Christi, cum quo te Patrem una cum Spiritu Sancto tuo decet gloria, potestas etc.

Deinde diaconus proclamat:

Atque etiam pacis Dominum deprecemur etc.

Unanimiter omnes deprecemur cum fide clementissimum Deum pro episcopo nostro N., ut eum largiatur multum temporis orthodoxa doctrina cum fide et bonis moribus Ecclesiae suae populi (s. populo), quem redemit suo sanguine. Ut dignas ordinationes faciens ad opus sanctae Ecclesiae ministerii, vivat puris et immaculatis moribus coram Deo omnibus diebus vitae nostrae.

Et oremus pro hoc diacono N., qui vocatus est ad ministerium sanctae mensae, ut cum sanctitate et irreprehensibilis prosperet ad opus ministerii sanctae mensae, et sortem haereditatis accipiat cum sanctis in regno coelorum.

Atque etiam pro beati patriarchae nostri vita et salute animae cum fide Dominum rogemus. Salva et miserere.

Deinde clamat: Benedic Domine.

Et episcopus imponit dextram cum cruce capiti ejus (sicut et Christus manum posuit super discipulos suos eosque benedixit) et dicit orationem:

Domine Deus omnipotens et providens omnibus, qui elegisti hunc famulum tuum N., munda eum et dignum fac omni spirituali sapientia et intelligentia, ut evigilet, ac lectionem divinorum verborum tuorum apprehendat et observet praecepta tua inculpata custodia, ac innoxiis moribus vivat in hoc mundo, et consequi mereatur dona coelestia cum omnibus sanctis a Christo Jesu Domino nostro, cum quo te Patrem omnipotentem una cum vivificante et emundante Sancto Spiritu decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine benefice suscipe deprecationes nostrum omnium, et hunc famulum tuum N., quem elegisti et vocasti ad ministerium sanctae mensae tuae, reple cum Spiritu tuo Sancto, et idoneum fac eum ad opera virtutis. Adjutor et custos esto ei omni tempore cum umbra omnipotentis brachii tui.

Conserva eum intrepidum a visibili et invisibili inimico, ut immaculate ingrediens secundum voluntatem tuam in omnibus viis virtutis, dignus efficiatur vitae aeternae cum omnibus sanctis tuis, et nostrûm omnium osculo recipientes eum, ut in omnibus et nunc glorificemus sanctissimam Trinitatem in saecula. Amen.

Et dicunt hymnum:

Mitte nobis Domine multae clementiae tuae misericordiam, per intercessionem sancti protomartyris tui et miserere.

Cui apertâ coelorum portâ monstrasti ineffabile mysterium, per intercessionem ejus respice in nos et miserere.

Qui pro impiis occisoribus suis veniam petiit a te devota petitione, per intercessionem ejus respice in nos et miserere.

O felix radius, apostolicis praedicationibus dignus effecte sancte Stephane, stabilitatem a Christo pete pro sancta Ecclesia.

Qui per tuam voluntariam passionem suscepisti lapidationem, cuique a Domino concessum est, consortem esse passionum Christi, ut et nos doceas glorificare sanctam Trinitatem.

Rogasti pro lapidatoribus tuis, tu protomartyr, ut recipias mercedem boni a creatore omnium. Et nunc te deprecamur, intercede pro nobis.

Deinde dicunt introitum:

Ab utero electe sancte Stephane, ab utero electe sancte Stephane, testis vere apostolicarum praedicationum, qui pro impiis lapidatoribus tuis rogasti Christum Deum tuum dicens: Ne statuas illis hoc peccatum.

Nunc per ejus intercessionem largire nobis Domine magnam tuam misericordiam.

Diaconus: Atque etiam pacis etc. Benedic Domine.

Episcopus: Benedictio etc.

Deinde induunt ordinandum exutum) veste diaconi. Et episcopus extendit stolam super sinistrum humerum ejus et dicit:*

Accipe mundam et candidam[1] stolam de manu Domini nostri Jesu Christi, et esto purus ab omni deceptione peccati in conspectu ejus, vita et conversatio tua sit exemplum populo, qui sanctus est fide in Christum[2], ut videant te operari ea, quibus possis consequi vitam per Christum[3] Jesum Dominum nostrum, qui est benedictus in saecula. Amen.

Diaconus dicit: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus: Benedictio et gloria Patri etc.

Deinde tradit ei evangelium dicens:

Accipe potestatem legendi sanctum evangelium in ecclesiis Dei, in auscultationem vivorum et in commemorationem mortuorum.

---

[1] G. sanctam. — [2] G fideli huic. — [3] G Christi, desunt reliqua.

*) Holani, rimaso colla tonaca sola. Ciakciak. R.

Deinde tradit ei thuribulum dicens:

Accipe potestatem et permissionem[1] thurificandi et adolendi odorem suavitatis in ministerio mysterii.

Et ordinandus incensat sanctam mensam ter et dicit: Atque etiam pacis etc. Benedic Domine.

Et episcopus dicit ter:

Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc etc.

Deinde: Per sanctam crucem. Custodi nos et hunc famulum tuum, Christe. Pater noster.*)

*Et spirituali amore et sancto osculo salutent ordinandum et ipse fortiter maneat in ecclesia, et cognoscat se ipsum, quales gratias receperit.***)

Opus eorum majus est quam subdiaconi. Scilicet: In missa sanctum evangelium apportent et legant in auscultationem populi, sed etiam Sanctum Sacramentum ab oblatorio portantes adducant sacerdoti celebranti.

Ordinatio presbyteri.

Septimus gradus sancti ordinis: presbyteratus.

*Vespere ante „vocationem" ordinationis***) archiepiscopus sedens in throno in medio congregationis et coram omni multitudine examinet ordinandum multa circumspectione secundum necessitatem admonitionis sancti Gregorii Rhetoris magni magistri.*

Primum videat, utrum habeat scientiam sufficientem ad presbyteratum nec ne. Nam si ignarus sit, ne ordinet eum, nam ignorantia irrationalium est, et irrationalis ne fiat sacerdos; quapropter dicit Propheta: Labia sacerdotis custodient scientiam, nam os Domini omnipotentis est. Quae igitur ab ore Omnipotentis dicta sunt, scire debet sacerdos, deinde poterit dici Os ejus.

Secundo videat, utrum orthodoxus sit nec ne, nam si erit haereticus, non est ordinandus; quapropter dicit Apostolus: Ejice fermentum malitiae, ne totum fermentetur. Duplex est autem haereticus. Primum is, qui verbo fit haereticus in divinis. Secundo is, qui in moribus sacerdotii aliquid impuri doceat, qui labentem erigit, et lapsum et vacillantem ad sacramenta Ecclesiae invitat, quos sancti patres impediunt canonibus a septem sacramentis Ecclesiae. Tales separati sunt a gratia Dei et excommunicati.

Tertio videat, licet sciens sit et orthodoxus, utrum habeat etiam opus justitiae, annon; nam si opere indignus sit, licet habeat omnem scientiam, ordinandus non est. Quapropter dicit Paulus: Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.

---

[1] S deest: et permissionem.

*) Ex S. episcopus post haec continuat et absolvit liturgiam, intra quam neodiaconus communionem suscipit.

**) Per viginti continuos dies in sanctuario versatur et ministrat. Ita S.

***) Ex S. cum dominica conferatur presbyteratus, vespere sabbati.

Nam Satanas, licet omnem habeat scientiam, tamen propter malitiam expulsus est a gratia Dei et ab ordinibus angelorum. Item, divina potestas super indignos non quiescit, nam sanctitas fit objectum potestatis ordinum, et quando non est sanctitas, non quiescit super eum potestas, sicut sine fundamento aedificium non stat, ita etiam, si post presbyteratum tollitur sanctitas, cum ea solvitur et potestas.*)

Quarto si dignus fuerit presbyteratu, videat, utrum pervenerit ad mensuram aetatis necne; nam si fuerit immaturus et imperfectus aetate, ne ordinetur, nam omnis juvenis puritatis (sanctitatis) studens erit et gloriae amans, non enim habet ullam cogitationum impudicitiae, sed quando pervenerit ad mensuram aetatis, deinde apparent passiones naturae in eo, et a natura devictus cadit in peccata et errans conteritur. Quapropter necesse est, mensuram aetatis examinare, ut tranquilla sit natura in quocunque opere et perfecta voluntate eligat, quodquod voluerit, et innocentes sint invitatores ejus. Sed si quis dixerit: quod si juvenis repletus sit omni sapientia et sanctitate, licet eum ordinare, nam ad hoc idoneus est, sicut dicit Salomon: Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata. Dicimus utique, verum est hoc, nam: Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis erit. Sed dicimus, non est (valet) hoc apud omnes duabus de causis: Primum: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Secundo: quia hoc est opus perfectorum. Si igitur juvenis sit etiam scientiâ et innocentiá perfectus, sed aetate et voluntate immaturus, fortasse, quando aetate et voluntate perfectus erit, opus sanctitatis in imperfectum pervenit, et fit dupliciter imperfectus, hoc est, tunc aetate, nunc opere. Quapropter necesse est, ut, quando duae perfectiones consentiunt, hoc est voluntas et sanctitas cum aetate, deinde duplici perfectionē, spiritu et corpore, suscipiat gradum perfectum presbyteratus. Quapropter dicit Dominus: Si duo ex vobis consenserint de omni re, fiet illis, quodcumque petierint. Melius igitur est, fieri totaliter perfectus, quam fieri imperfecte perfectus. Quapropter dicit Dominus: Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est. Et qui perfectus est aetate, ecce hic est triginta annorum. Sicut dicit Apostolus Paulus: Donec occurramus omnes in unitatem in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; et hoc est tempus accipiendi hujus potestatis gratiam, sicut et Christus accipiens Spiritum Sanctum a Patre distribuit in membra sua in sancta regeneratione lavacri.

Quinto examinet episcopus ordinandum, utrum a piis genitoribus et puro thoro sit natus necne. Nam si alienigenae sit semen sive apostatae, sive a fornicatione natus, ne ordinet eum. Nam licet baptismo sit mundatus puer, nec judicetur filius cum patre, sed secundum virtutem innatam et radicis massam, naturam et mores parentum in se fert. Et erit perfectio ejus sicut illorum, et erit indignus ad opus presbyteratus et castigatur a Deo; licet non omnes, sed multi sunt sic, et erunt scandalum Ecclesiae. Quapropter dicit Apostolus: Nolite omni spiritui credere.

---

*) Haec infaustissime dicta esse, facile omnes videbunt.

Necesse igitur est, ut eligant a piis parentibus natum semen et a puro thoro. Sicut dicit Paulus*): Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.

Sexto interroget episcopus confessorem illius coram populo dicens: Testificaris dignitatem ejus, quod dignus est hujus magni gradus et divinae potestatis? Et hic testificetur, quomodo sciet. Et talem rationem redditurus est hic de peccatis ejus in tremendo judicio Christi**). Et si testificati fuerint, eum esse dignum, deinde audeat episcopus vocare eum ad sanctam vocationem.

Septimo aperiat ei episcopus mandatum Dei: hodie speculator daris populo Dei, si videris aliquem in peccatis neque locutus fueris, ut avertatur a malis, sanguinem ejus de manu tua requiram, dicit Dominus.

Octavo caveat episcopus, ne fortasse haec omnia, quae dicta sunt, negligat; sed sive intercessione quorundam sive propter timorem potentiorum, sive propter res, sive etiam propter aliam causam quamcunque cogatur, neque voluntarie ordinet aliquem de talibus, punietur propter peccatum aliorum: sed ad beneplacitum Dei et electionem omnium canonum, coactionibus posthabitis omnibus, digne perficiat ordinationem, ut sine culpa sit et ordinans et ordinatus. Ut possit dicere in die judicii: Ecce ego, et filii, quos dedit mihi Deus.

Nono imponat ei canonem coram omni populo. Duplicem canonem dando ei. Primum canonem temporalem et secundum canonem usque ad mortem. Ita: primum imponat ei abstinentiam duos annos, plus vel minus, sicut etiam conveniet ei jejuniis***). Et quadraginta dies facere poenitentiam in ecclesia jejuniis, orationibus, genuflexionibus et lacrymis. Et hoc duabus de causis: primum quia parvulus, quadraginta dierum cum sit in utero matris, accipit rationalem spiritum a Deo. Igitur sicut parvulus post conceptionem a matre usque ad diem sextum sicut caseus fit, secundum Job, qui dicit: Sicut caseum me coagulasti. Similiter et novitius usque ad diem sextum cernua facie coagulatos habeat omnes sensus, in pavore, tremore et timore Dei, sicut dicit Apostolus: horrendum est incidere in manus Dei viventis. Quapropter et propheta Moises, quum montem Dei appropinquaret, dixit magno cum angore: Timens factus sum et tremo.

Sed parvulus post sex dies transformatur in sanguinem, et usque ad 20. diem spiritu vegetabili crescit in utero matris. Similiter et novitius post sex dies incipit sanguine mensuram athletae ad duram asceticam genuflexione, ad sudorem, lacrimas, stare in pedibus, jejunia (vigilias), pernoctare in oratione Dei, et sic fit complantatus cruci Christi. Et sicut in illa nocte stillabant a Domino guttae sanguinis, pisiformis sudoris, similiter et hic per ea fit consors mortis ejus et gloriae particeps resurrectionis. Quapropter dicit Propheta: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Qui autem non tali electione radices egerit, de eo dicit Dominus: Planta, quam non plantavit Pater

*) Non Paulus, sed Petrus. 1. Petr. 2, 9. R.

**) Res abusibus subjecta et scandalum generans.

***) srpapah pah. Srpapahk digiuno rigoroso; astinenza dall' olio e dal vino ancora (Ciakciak) R.

meus coelestis, eradicabitur. Item: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur et cremabitur. Sed quae fructum suum dabit in tempore suo, ejus folium non defluet. Et sicut a die vigesimo usque ad diem 40. sensoria parvuli incipiunt distingui et formari in formam hominis, primum cor, deinde caput, et deinde alia membra et sensoria, et deinde sensitivo spiritu crescit in utero matris: similiter et initiandus post 20 dies poenitentiâ firmatus erit corde in amorem Christi sine dubio, et mente spectat ad caput, Christum, et in corde suo, quae sursum sunt, cogitat, quo sedet Christus ad dextram Patris, et praeparat se ipsum corpus et membrum capitis, Christi, et attendit deinde, ad quemnam gradum et gloriam sit vocatus, et formatus est ad normam Christi. Deinde usque ad diem sextum servili amore servit Deo, et usque ad 20. diem mercenario amore laborat in poenitentia, cruce-participando cum Christo, et a die 20. usque ad diem 40. filiali amore confortatur corde suo à Deo.

Et sicut parvulus die 40. accipit rationalem spiritum, ita etiam initiandus fit repletus gratia Spiritus Dei et offert corpus et sanguinem Christi, gustando spiritum Dei. Sicut dicit David: Os meum aperui et attraxi spiritum, hoc est, corpus et sanguinem Domini*). Nam sic fecerunt priores, 40 dierum jejunio observato divinarum visionum digni facti sunt, sicut Abraham, Moses, Elias et alii e sanctis. Quapropter debet initiandus 40 dies magna cum poenitentia vigilare tali cogitatione, quali demonstravimus, et deinde digne offerre Christum et cum Deo uniri. Sicut dicit Dominus: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

Secundo hac de causa observet 40 dies, ut assuefiat ad practicam vigiliae et vigilantiae, standi in pedibus, precum et sanctitatis, et obliviscatur sensualitatis, qua hucusque vivere solebat. Nam debet is, qui novam gratiam accepit, novos mores accipere et renovari.

Tertio quia omni initiato et nova gratia praedito novum bellum excitat Satanas. Sic erat cum Adam accepto vitae mandato. Similiter et apud Abraham, dando ei multas vexationes post Dei agnitionem, item apud Job multis tentationibus. Et apud David prophetam post unctionem, dando ei varias calamitates perferre ab alienigenis et a Saule. Similiter et cum Domino nostro, qui post baptismum 40 dies jejunavit, timore tentationum Satanae. Simili modo cum omnibus sanctis bellum gerit Satanas, postquam gratiam acceperunt. Quare debent omnes novitii 40

*) Locus iste, sicut alter infra occurrens in ordinatione monachi ad presbyteratum, in quo Eucharistia dicitur panis incorporeus, nisi mitissimam adhibeas interpretationem, ejusmodi esse videtur, ut errorem repraesentet, cujus Prateolus et Guido a Perpignano aliique Armenos incusant, eos nempe realem praesentiam negare, vel etiam illum, quem ipsis Euthymius in Panoplia tit. 20. iis exprobrat, quod nempe Sacramentum non corpus Christi, sed corpus Divinitatis dicant, qui cum erroribus Julianistarum cohaeret, quibus primitus addicti erant. Caeterum errorem istum de Eucharistia non totius nationis esse, neque ex ejus monumentis sequi, ostendimus in opere nostro: Kritik der Vorlesungen von Thiersch, fasc. III. p. 134. sq. 140.

dies magna cum poenitentia custodire jejunium (vigiliam), ne tententur a Satana.

Hic canon temporalis.

Sed secundum canonem imponat ei episcopus usque ad mortem. Primum, ut habeat in se typum Christi, qui est mitis, humilis, misericors, hominum amator, mali immemor et benignus. Quapropter dicit Dominus: Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Quod est dicere: ne sitis superbi, iracundi, invidi, litigiosi, injusti, audaces, impudici, astuti, tales enim sunt typus Satanae, neque gratiam accipient a Deo. Quapropter dicit Apostolus: Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Tertium canonem imponat ei, ne sit vagabundus neve ebrius. Et caelibibus praeceptum det, ne sint omnino familiares cum mulieribus, neve accipiant patrinam, aut matrem adoptivam, aut sororem adoptivam, neve servam habeant de mulieribus, nam haec omnia Satanae sunt insidiae et viae; nam qui suae matri renuntiavit, quamnam partem habet is cum reliquis mulieribus; quapropter eos, qui eas vident, adulteros vocat Dominus*). Quapropter canon est sanctorum patriarcharum: Si sacerdos caelebs antistes sit populi, maledictus est ipse et populus ejus.

Decimo adhortetur episcopus eum dicens: Vide in quem gradum vocatus sis, hoc est, in gradum angelorum. Deinceps gloria et castigatio tua non erit cum hominibus, sed cum angelis salvatis et lapsis. Nam si dignus ordine tuo eris, cum angelis est classificatio tua, sed si lapsus fueris, cum lapsis daemonibus est castigatio tua, neque cum aliis peccatoribus. Quapropter dicit Propheta: In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur. Neque talem tantum, sed etiam majorem quam angeli potestatem habet sacerdos, opera enim Dei facit, opus Christi perficiens, hoc est, panem et vinum in corpus et sanguinem Christi convertens, et parvulum, in peccatis natum, filium Dei faciens, et duas diversas personas unum corpus faciens, et peccata hominum dimittens, et cetera. Haec autem Dei sunt opera, minime vero angelorum, sed tantum hominibus concessa haec est magna potestas. Quapropter dicit Dominus: Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet. Si autem sacerdos, opera Dei cum facere debeat, opera facit Satanae, magis quam hic puniendus erit; sed si digne perseveraverit in presbyteratu, majoris quam angeli gloriae dignus fit. Secundum id: Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Item: In mensa Patris mei faciam vos discumbere, et transiens ministrabo vobis. Tantum igitur et tam stupendum pavorem et timorem si in mente semper conservas, praesento te gratiae Spiritus Sancti, et deprecamur cum omni clero sanctae Ecclesiae clementissimum Deum, ut amore commotus dulcis sit tibi, et effundens destillet gratiam Spiritus Sancti super te irrigatione fluminum more, luce-splendentibus radiis, ut linguarum ignearum splendorem gratiarumque divisionem in sancto coenaculo. Et qui ornavit entia omnia

---

*) 1. Matth. 5, 28. R.

vario decore, proprio splendore mirifice condecoret te a radiis lucis Deitatis suae septiformi gratia usque ad infinita saecula. Amen.

Vocatio presbyteratus vespere.

Quibus omnibus peractis, episcopus simili modo sedens in throno coram sancta mensa faciat vocationem tali modo: Intrant primi sacerdotes ad portam templi), habentes secum ordinandum genua flectentes.*

Et dicunt hymnum:

Respice in nos et miserere nostri, Christe, qui habes multam misericordiam[1]. Qui es pater pupillorum et judex viduarum, Christe, qui habes multam misericordiam. Qui coronator es sanctorum, audi et nos per preces eorum, Christe, qui habes multam misericordiam.

Et clamat diaconus alta voce: Jube Domine benedicere.

Et episcopus dicit:

Laetitiam coelestem det vobis[2], qui habitat in excelsis Dominus Deus noster.

Et progressi aliquantulum in medium ecclesiae, iterum genuflectant et dicant:

Qui pater es pupillorum et judex viduarum, Christe, qui habes multam misericordiam[3].

Deinde: Jube Domine benedicere.

Et episcopus dicit:

Benedicat vos Dominus ex Sion, is qui habitat in Jerusalem.

*Deinceps progressi veniunt ad mensam**) et dicunt:*

Qui coronator es sanctorum, audi et nos per preces eorum, Christe, qui habes multam misericordiam.

Iterum: Jube Domine benedicere.

Et episcopus dicit: Permissum est vobis a Domino loqui[4].

Et quidam e primoribus chartophylax, nominatus ab ore omnium tanquam interpres procedens dicit:

Gratiis ornate sancte pontifex, qui es constitutus pastor gregis Christi, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia[5], ut N. diaconum, quem tibi praesentat[6], ordines nobis sacerdotem[7].

Et episcopus dicit:

Et scitis conversationem ejus? Estne ex pudico matrimonio et immaculato thoro natus? et est illibatus ab omnibus impuris operibus? et est dignus hoc sancto gradu? et testificamini juxta pietatem vestram[8]?

Respondet chartophylax:

Pater sancte, quantum nos humana fragilitas nosse sinit, quantum oculis vidimus et quantum audivimus auribus, testificamur, ipsum dignum

---

[1] S reliqua hymni desunt. — [2] S add. omnipotens Pater coelestis. — [3] S add. respice nos et miserere. — [4] S add. et aperire petitiones vestras. — [5] S add. cum toto clero. — [6] S hunc; deest: quem tibi praesentat. — [7] S ad gradum sacerdotii in ministerium sanctae Ecclesiae promoveas. — [8] S add. coram hoc sancto altari Dei.

*) H. e. teste S. aliquantum ingressi.

**) Iterum genuflectentes. S.

esse. Pro occultis vero operibus suis ipse rationem reddet, et nos innoxii invenimur coram te pater sancte et coram terribili judicio Christi, et defectum ei suppleat Dominus Jesus per preces vestras [1].

Episcopus dicit:

Scitisne, quod voluntarie venerit in hunc ordinem, et sponte sua suscipiat jugum Domini nostri Jesu Christi; an vero ex coactione invitantium?

Respondet chartophylax:

Pater sancte, voluntate et propensione cordis sui venit in hunc ordinem, non ex cujusvis coactione.

Dicit episcopus:

Sic dicit Dominus noster Jesus Christus: Nemo venit ad me, nisi Pater meus coelestis traxerit eum ad me. Et omnem, qui venit ad me, non ejiciam foras. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est et onus meum leve.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis etc. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Vocatio omnipotentis virtutis Dei confortabit te ad tollendum cum amore jugum Christi et ad sequendum vivificantem [2] in inexhaustis laetitiis. Amen.

*Et dicunt voce *):* Amen, fiat, fiat.

Iterum interrogat episcopus:

Reliquitne omnes curas sollicitudinum mundi et vitam secundum mores mundi? Sicut dicit Dominus noster: Qui non relinquit patrem et matrem, sororem et fratres, adhuc et animam suam, non potest esse meus discipulus. Non enim potestis, dicit, duobus dominis servire, qui enim non relinquit haec omnia, et tollit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.

*Respondet chartophylax **):*

Ita, Pater sancte, haec omnia reliquit propensione cordis sui, et omni anima et virtute accensus stat in amore Christi et dicit: Mihi mundus crucifixus est et ego mundo, nam ego reliqui haec omnia et secutus sum Christum.

Episcopus dicit:

Sic (dicit) Dominus noster Jesus Christus: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis etc. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis dicens:

Confessio omnipotentis Dei Jesu Christi dignum te faciat sempi-

---

[1] S deest: per preces vestras. — [2] S. eum.

*) Ex S. omnis populus respondet.

**) Notat hic S., responsiones fieri sive a dignissimo cleri, sive a confessario praesentati, sive a praesentato ipso.

ternae laetitiae, hereditare vitam aeternam, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, multiplici retributione cum omnibus sanctis, per gratiam Christi. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat!

Iterum interrogat episcopus:

Conservavit animam suam sanctam et immaculatam a nativitate sua usque adhuc?

Respondet chartophylax:

Ita, Pater sancte, conservavit animam suam cum sanctitate per gratiam Dei, et per voluntatem misericordiae ejus conversatus est moribus sanctitatis a nativitate usque adhuc.

Dicit episcopus:

Sic dicit Dominus noster Jesus Christus: Nolite parvulos prohibere ad me venire, talium est enim regnum coelorum.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et ducunt ordinandum supra genua in mensam ad episcopum, et hic imponit ei manum et dicit:

Eadem benedictio divinae dexterae requiescat super te custodiendo te cum sanctitate ad servitium sanctae Ecclesiae ab hoc nunc et usque in saecula.

Et populus dicit: Fiat, fiat!

Et episcopus iterum interrogat:

Habet scientiam sanctarum Scripturarum plene, cum cognitione divinae legis? Nam qui nescit sanctas Scripturas, etiam virtutem Dei nescit, quae in iis est secundum evangelium*). Ne forte erret. Tales deplorans dicit magnus Salomon: Vae iis, qui reliquerunt doctrinam infantiae et obliti sunt pacti divini.

Respondet chartophylax:

Pater sancte, didicit doctrinam Scripturarum ab infantia sua, et habet scientiam legis Dei, perfectus fide in ea conversatus professione in Christum.

Et episcopus dicit:

Haec dicit Dominus noster Jesus Christus: Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Et ego dabo legem meam in mentem eorum.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Mandata Domini, quae lux sunt et lucem dant oculis, illuminent oculos mentis tuae, ut accendatur in te lux scientiae Christi Dei nostri et voceris a Domino: „Vos estis lux mundi.“ Item: Non est in te pars tenebrarum et totaliter illuminatus splendebis sicut sol in regno coelorum cum omnibus sanctis secundum mandatum Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat!

Iterum interrogat episcopus:

Estne potens et in se recipit promittere, se secuturum esse Christi vestigia in paupertate, fame, siti, calamitatibus, persecutionibus, opprobriis, passionibus propter Christum, sicut dicit Dominus: Qui mihi mini-

*) Matth. 22, 29. R.

strat, me sequatur. Talia autem sunt vestigia Christi, qualia monstravimus.

Respondet ordinandus per chartophylacem dicens:

Ita, in me recipio et promitto (sicut filii Zebedaei) haec omnia perficere amore et voluntate Dei et potestate virtutis ipsius, qualiscunque sit mea potestas.

Et episcopus dicit:

Haec dicit Dominus noster: Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam Patris mei mecum in regno meo.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Eadem promissio divini mandati perficiatur super te secundum infallibile verbum, quod dicit: Quae vobis dico, omnibus dico, scribendo nomen tuum in librum vitae cum beatis ordinibus sanctorum Apostolorum.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Iterum interrogat episcopus:

Igitur quando haec omnia facta sunt, recipis in te sine taedio omni tempore attendere in ministerium Dei, neque permutare opus Dei cum corporalibus operibus. Sicut dicit Petrus: Non licet nobis derelinquere ministerium Dei et servire corporalibus mensis.

Respondet ordinandus dicens:

In me recipio cum omni promptitudine stare in servitio Dei, neque permutare opus Dei propter corporale opus; sicut potero, serviam ei omnibus diebus vitae meae sequendo eum.

Episcopus dicit:

Haec dicit Dominus noster Jesus Christus: Qui mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Gratia Domini nostri Jesu Christi corroboret te, ut omni tempore servias Deo viventi et heredites promissum locum: „Ubi ego sum, illic et minister meus erit," ad hunc amorem accendendo mentem tuam omni tempore. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Iterum interrogat episcopus:

Recipisne in te, perficere omnia mandata sanctorum Apostolorum et prophetarum et patriarcharum et conversari secundum canones ipsorum, et non solvere sive contra canones docere aliquem in moribus christianitatis?

Respondet dicens:

Ita, in me recipio, perficere omnia mandata, vestros secundum canones Sanctorum ambulare, neque solvere sive Prioribus contradicere.

Episcopus dicit:

Sic dicit Dominus noster Jesus Christus: Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Gratia ejus, qui largitus est mandata Dei, confortet te, ut omni tempore vivas secundum canones legis Dei, ut faciendo et docendo magnus voceris in regno Domini nostri Jesu Christi cum sanctis omnibus. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Iterum interrogat episcopus:

Habetne confessorem, et edoctus est omnem qualitatem confessionis, ut et ipse possit audire confessionem populi, eosque adhortari valeat cavere ab omni peccato, ne sanguis eorum de manibus ipsius requirat Deus?

Respondet chartophylax:

Ita Pater sancte: habet confessorem et edoctus est omnia a vobis praescripta.

Dicit episcopus:

Sic dicit Dominus noster Jesus Christus: Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro: et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Pastor bonus, qui dedit animam suam pro rationali grege suo, confortet te, ut pascas gregem suum cum justitia, et des animam tuam esse exemplum gregis sui. Ut reducas eos ab omnibus malis, sicut reversus est prodigus filius; ut dimittas omnia peccata eorum et des vestem priorem. Et tu, cum apparebit princeps gregis, accipias immarcescibilem gloriae coronam.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Et iterum interrogat episcopus:

Habesne professionem confessionis orthodoxae fidei in sanctam Trinitatem et in incarnationem Christi Dei nostri, et detestaris omnes haereticos?

Respondet dicens:

Ita, Pater sancte, habeo professionem orthodoxae fidei, et confiteor sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Sanctum Spiritum, consubstantialem Deitatem, et incarnationem Christi Dei nostri cum sanctis patriarchis, et anathematizo omnes haereticos, Arium, Macedonium et Nestorium, omnesque Diphysitarum ordines*).

---

*) S. ad hunc locum notat, in illo, quem prae manibus habebat, codice novem quaestiones, novem responsiones, novem sententias S. Scripturae et novem benedictiones exhiberi, et immediate sequi professionem fidei. Ex decem antiquissimis codicibus in bibliotheca domestica R. R. P. P. Mechitaristarum Viennae existentibus apparere, hanc caeremoniam praeparatoriam modo relato semper ordinationem antevertisse. In tribus solis XVIII. saeculo exaratis, quorum alter libris imprimendis etiam inserviebat, sequentes caeremonias particulares ex caeremoniali doctorum desumtas insertas esse. Ad haec a Serposio dicta adjicimus, in rituali etiam Armenorum impresso Constantinopoli anno Armenorum 1163, Christi 1714 (Bibl. orient. Tom. III. P. I. p. 654.) haec omnia occurrere.

Deinde jubet magnus Vartaped):*

Oportet te, fili, detestari omnem sectam 159 haereticorum, et anathematizare proprio nomine omnes haereticorum ordines, qui contradixerunt sanctae fidei Christi Dei nostri, et sectari orthodoxos sanctos patriarchas.

Et ministri dicunt: Anathema, anathematizatus sit.

Interrogat episcopus dicens:

Anathematizasne eos, qui non confitentur Jesum Christum Deum et hominem perfectum, et hominem Deum-factum, et propterea neque Dei Genitricem Sanctam Virginem Mariam?

Et invocatus manibus elevatis dicit:

Detestor et anathematizo.

Et ministri dicunt: Anathema, anathematizatus sit. *Ita in omni detestatione fit.*

Detestaris et anathematizas Arium Alexandrinum, qui non confessus est naturam unitam in corpore Verbi Dei, et eundem unum Christum?

Detestaris et anathematizas Macedonium blasphematorem, qui non confessus est Spiritum Sanctum consubstantialem Patri et Filio, sed factum et creaturam?

Detestaris et anathematizas illum Nestorium, qui profitetur, Christum simplicem esse hominem, neque Dei Genitricem esse Sanctam Virginem Mariam, et natum ab ea non esse omnino Deum, sed tantum hominem?

Detestaris et anathematizas Paulum Samosatensem, qui unum Christum divisit in duas personas et in duas facies, et appropinquantem (vicinam) tantum gloriam et potentiam dedit ei, et non unitatem naturâ?

Detestaris et anathematizas Sabellium Libycum, qui in duas personas et in duas virtutes dividit verba sanctae Scripturae, verba scilicet Prophetarum, et Apostolorum et Evangelistarum sanctorum, quae de Christo dicta sunt, eaque ipsa, quae Jesus de se dixit; et eorum quaedam separati hominis intelligit, quae de corpore, et quaedam Verbi, quae de Deo Patre?

Anathematizas Tioridum Tarsonensem et Theodorum Samosatensem, et eos qui non confitentur: unitum esse Verbum in corpore, idemque confitendum esse unum Dominum unum Jesum unum Filium Dei, Deum et hominem perfectum, Filium Dei et filium hominis?

Anathematizas Manem haereticum, qui duos dixit esse Deos, bonum alterum, et alterum malum?

Anathematizas Epicurum, qui dixit, a se ortas esse creaturas?

Anathematizas Sabellium, qui negavit personalitatem Trinitatis, et non personam vocavit Trinitatem?

Anathematizas Socratem, qui dixit, mundum e coaeterna materia esse ortum?

Anathematizas Calianum**), qui dixit, visibilia ab angelis facta et formata esse?

---

*) S. has quaestiones omnes episcopo tribuit, ex caeremoniali tamen Vartapedorum desumtas dicit, ut modo vidimus.

**) Ex Serposio Galenum.

Anathematizas impurum Gapagratum*), qui dixit, a Josepho et Maria esse Christum?

Detestaris et anathematizas omnes haereticos et corruptores, qui dixerunt, Spiritum Sanctum esse alienum a natura Dei, inferiorem et adoratorem, aliosque multos errores dixerunt?

Anathematizas Manicum**), qui per oculos incarnatum esse Verbum dixit?

Anathematizas Eutychen, qui justificationem per gratiam Christi negavit?

Anathematizas Anthroidum, qui dixit, de terra assumsisse Christum corpus suum, eumque transisse per Virginem sicuti per canalem?

Anathematizas Leonem***) haereticum, et libellum ejus impurum, quem scripsit, unum dividens in duos?

Anathematizasne et detestaris insimul omnes haereticos malignos, maligni ministros, eorumque sectas?

*Deinde ipse episcopus****) dicit:*

Anathematizati[1] et maledicti sint omnes ordines haereticorum a Patre et Filio et Spiritu Sancto. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Et iterum dicit Vartaped:

Cum renuntiaveris, fili[2], omnibus malignis haereticis, oportet te deinceps sectatorem esse et discipulum[3] omnium orthodoxorum et theologorum patriarcharum.

Et ministri†) dicunt: Aeterna memoria justorum sit in benedictione.

Interrogat episcopus: Esne discipulus et sectator Sancti Dionysii Aeropagitae et Hierothei doctoris?

Et invocatus dicit: Discipulus et sectator sum. *Ministri:* Aeterna memoria justorum sit in benedictione.

Et sic dicitur in omni interrogatione.

Esne discipulus Sancti Silvestri et Antonii††) patriarcharum?

Esne discipulus Sancti Gregorii nostri Illuminatoris et filiorum et nepotum ejus?

Esne discipulus Sanctorum interpretum nostrorum Isaci et Mesropi patriarcharum?

1 S Anathema sint, anathematizati. — 2 S deest fili. — 3 S deest et discipulum.

*) Carpocratem.

**) S. hoc loco habet Apollinarem.

***) Ex his intelliges indolem erroris istorum Armenorum. Rejiciunt S. Leonem et Diphysitas, sed et Eutychen anathematizant et Christum dicunt Deum perfectum et perfectum hominem. Primitus vero plerique Julianistae sive Phantasiastae erant. (Bibl. Or. T. II. Diss. de Monophysitis n. 2, 4; T. II. p. 296).

****) Ex S. haec respondet praesentatus.

†) Ex S. praesentatus haec dicit, populo vocem suam cum ipsius voce conjungente.

††) S. hoc loco habet Athanasium.

Esne discipulus Sancti Barsilai Caesariensis et Gregorii Nyssensis?
Esne discipulus Sancti Cyrilli Hierosolymitani et Ephrem commentatoris Syri?
Esne discipulus Sancti Gregorii Theologi et episcopi Cyprii?
Esne discipulus Sancti Joannis Chrysostomi et Cyrilli Alexandrini?
Esne discipulus Sancti Jacobi Nisibeni et Jacobi Sarugenis et Gregorii Thaumaturgi?
Esne discipulus Sancti Joannis Ozniensis et Joannis Orodniensis, ejusque discipuli Sancti Gregorii Datievensis*)?
Esne discipulus Sancti Stephani Siuniensis et Pauli Taronensis?
Esne discipulus Sancti Barsumae eremitae et Simeonis Siuniensis?
Esne discipulus Nicaeni sancti concilii et 318 patriarcharum?
Esne discipulus Constantinopolitani sancti concilii, 150 patriarcharum?
Esne discipulus Ephesii sancti concilii, 200 patriarcharum?
Esne discipulus omnium orthodoxorum et sanctorum patriarcharum, qui recta professione abbreviant nobis verbum veritatis?

*Et deinde ipse magnus Vartaped dicit**):*

Aeterna memoria justorum sit in benedictione.

Deinde dicit et haec:

Haec dicit Dominus noster Jesus Christus: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in

---

*) Serposius ad hoc notat, in uno codicum trium, qui Constantinopoli hoc saeculo typis est impressus, anathematismum in S. Leonem supra jactum occurrere; et in eodem catalogo sanctorum et orthodoxorum doctorum addita esse nomina hic laudata Jacobi Sarugensis, Joannis Ozniensis, Joannis Orodniensis, ejusque discipuli Gregorii Datavensis, Stephani Syuniensis, Pauli Taronensis, Barsumae Eremitae. (Quae omnia revera occurrunt in Rituali Armenorum impresso Constantinopoli 1714., uti videre est ex Bibl. Orient. tom. III. P. I. p. 654). Neque tantum haec ritualibus libris communia non esse testatur et addit p. 396., ab episcopis Armenis ut plurimum, exceptis forsan obstinatis aliquibus, omitti anathematismum in S. Leonem jactum et Barsumae inter sanctos mentionem, sed et de reliquis p. 394. et 530. contendit, non constare, eos haereticos fuisse, speciatim vero Datavensem Gregorium non esse auctorem pessimi libri Interrogationum, neque Barsumam sacrilegum S. Flaviani parricidam. Verum tamen in hoc nimius videtur in eo, ut suos ab omni labe liberet, cum Galanus et alii secus de his judicent. Jacobum Sarugensem tamen excipimus, quem Assemanus in Bibl. Orient. ad ejus vitam contra Renaudotium vindicat. Conquestus etiam fuerat Galanus, (P. II. Tom. II. qu. 4. §. 6. p. 705), exordium ritualis Armenicae ordinationis, ab haereticis, uti vocat ipse, nuper intrusum, eorum ritum amaricie inficere. Promovendi quippe ad ordines hanc emittere fidei professionem jubentur: „Credimus in Christo unam personam et unam compositam naturam, atque cum sanctis patribus conspirantes rejicimus et execramur concilium Chalcedonense et immundam illam Leonis epistolam ad Flavianum, cunctis etiam Diphysitarum sectis anathema dicimus et diras imprecamur.“ Haec etiam a plerisque episcopis non usurpari testatur Serposius.

**) Hanc responsionem S. tribuit praesentato.

coelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus signum crucis facit super eum dicens:

Spiritus Sanctus, qui descendit in Jordanem et in coenaculum et revelavit Christi Deitatem, ipse effusionem gratiae Spiritus Sancti effundat super te, et aperiat thalamum mentis tuae ad agnitionem Deitatis Christi, quatenus nemo Jesum dicit Dominum, nisi cum Spiritu Sancto; et illuminet mentem tuam ad professionem orthodoxae fidei cum sanctis patriarchis. Amen.

Et populus dicit: Fiat, fiat.

Et jubet episcopus dicere hanc orthodoxam professionem fidei *):

Confitemur et credimus (vide in ritu Communionis infirmorum Tom. I. p. 427).

Haec est nostrae fidei orthodoxa professio, quam debent omnes christiani omni tempore in corde habere et in lingua custodire. Corde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem, dicit Apostolus.

Hoc est fundamentum, super hoc oportet aedificare opera bona, nam hi sunt gradus fidei, per quos pervenimus in coelum, pedetentim progredientes: mente, anima et corpore. Hoc est: Quanto tempore vivimus, mente et fide pervenimus ad Deum; et post mortem, animâ et bonis operibus; sed post resurrectionem corpore et animâ.

Et sic debet magnus pontifex in omni ordinatione facere dicere hanc professionem eamque exigere ab eo, quem ordinare vult.

Et deinde dicit episcopus:

Sic dicit Dominus noster Jesus Christus: Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.

Nam descendit Spiritus Sanctus Deus, gratiarum distributor, in talem mensam sanctitatis et in professorem orthodoxiae, et requiescit in uncto hoc; qui cognoscit alienum et domesticum. Et Christo Deo nostro gloria in saecula. Amen.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus facit signum crucis super eum dicens:

Nunc Deus, qui potens est, confortare te et confirmare in hoc (ad hoc), clementia sua custodiat et benedictione sua fortificet te, et splendenti gratia florere faciat mentem et sensus tuos, cor et cogitationes tuas, verba et opera tua, introitum et exitum tuum secundum potentem dexteram ejus, et manu forti et brachio excelso effundens super te gratias radiorum lucis Spiritus Sancti septiradiante splendore, sicut in ordines Apostolorum, ut ardenti effusione inflammeris ignearum linguarum divisione gratiarum, fruaris, exsultes, delecteris, gaudeas, laetis exsultationibus in gaudiis sempiternis, bibendo torrentes deliciarum Dei benedictionis per suam gratiam. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,

*) Coram altari, teste S.

quem decet gloria, potestas et honor, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Pater noster, qui es in coelis*).

Ritus ordinandi presbyterum mane.

Induitur episcopus ut decet, in sacristia, similiter et sacerdotes et diaconi cum clericis et thuribulo et cereis. Crux coram episcopo et ornatum pedum in manu ejus. Et sint foras dicentes hymnum: Hodie Deitas laetatur. Hodie et nos. Laetare etc. *Ps. 121.* Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.

Praeconium: Per sanctam ecclesiam deprecemur. Ad portam sanctae ecclesiae etc.

Hymnus: Laetare sancta Ecclesia. Exsulta valde. Cum ordinibus.

Psalmus: Jubilate Deo omnis. Introite in conspectu ejus in exsultatione (99).

Item psalmus: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. (105. sive 106?)

Et intrant in ecclesiam, et dicit:

In medio templi ejus et coram Deo. *Hymnus:* Tabernaculum sanctitatis. Ordines angelorum. Laetare cum jubilo.

Et accedunt ad bema, et incensat episcopus sanctam mensam et incipiunt missam. Diaconus clamat: Benedic Domine.

Et episcopus dicit: Benedictum regnum Patris etc.

Deinde dicit hanc orationem secreto: Domine Deus noster mult. Vide p. 244. (in originali).

*Deinde descendunt duo sacerdotes et chartophylax**), et prehendunt ordinandum eumque ducunt coram bemate ad episcopum***), et dicit chartophylax alta voce:*

Pater sancte, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia, ut ordines hunc diaconum N.. quem tibi praesentat, in sacerdotem [1].

Et episcopus dicit:

Scitisne utrum dignus sit, et qualis sit, et qualem conversationem habeat, et utrum natus sit ex mundo conjugio, an ex immundo, et quantam habeat scientiam [2].

Respondet chartophylax:

Tantum, quantum humana fragilitas nostra sinit nosse, scimus et testificamur ipsum dignum esse ad tollendum jugum hujus dignitatis, et habere sufficientem [3] sanctitatem et scientiam.

Et episcopus facit super eum signum crucis et dicit:

Per gratiam Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti voco hunc diaco-

---

[1] S ad onus sacerdotii. — [2] S add. et sanctitate. — [3] S deest: sufficientem.

*) Istas caeremonias praeparatorias non raro omitti pro circumstantiis adjungit S.

**) Serposius duos tantum sacerdotes ex senioribus, qui etiam dignissimi ex clero esse solent, memorat, et uni ex iis tribuit, quae hic Chartophylaci adscribuntur.

***) Ex S. candidatus genuflectit et episcopi pedes osculatur.

num N. ad sacerdotium. Quapropter rogemus benefacientem Deum, ut splendide illustret eum donis sanctitatis suae per Dominum nostrum Jesum Christum, quem decet gloria, potestas etc.

Deinde jaciunt ordinandum in mensam ad episcopum super duo genua et episcopus facit signum crucis super eum et dicit: Assumat te Dominus.

Et incipiunt psalmum 24. Ad te Domine levavi animam meam.

Versus usque ad finem dicit. Et in fine dicitur: Amen.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et episcopus dicit: Benedictio et gloria. *Item psalmus 25.* Judica me Domine.

Item psalmus 26. Dominus illuminatio mea et salus mea.

Deinde diaconus proclamat):*

Rogemus clementissimum Deum pro hoc diacono, qui in eo est, ut vocetur[1] ad presbyteratum, ut dignus fiat per virtutem et gratiam hujus vocationis, atque per hanc manuum impositionem accipere gratiam sacerdotii ab omnipotenti Deo, salva et miserere.

Et dicunt tricies: Domine miserere **).

*Et episcopus imponit dexteram suam super caput ordinandi ***) (quod significat: Dator potestatis et gratiae Spiritus Sanctus est. Et episcopus minister est et mediator; sicut canalis aquam ex fonte sumptam nobis adducit) et dicit hanc orationem:*

Domine Deus omnipotens, factor omnium creaturarum, reparator, liberator[2] et renovator generis humani, qui ex infinita benignitate tua gratias[3] distribuis visibiles et invisibiles Ecclesiae tuae sanctae. Nunc igitur precamur beneficam clementiam tuam, praesta gratiam huic famulo tuo, ut gradum subeat presbyterii per hanc vocationem et manuum impositionem, ut dignus fiat receptione Spiritus tui Sancti ad rite peragenda dona ministerii.

Per gratiam et misericordiam[4] Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, qui invitavit nos omnes ad vocationem sanctam juxta cujusque gradum, ad colendum Deum et gratiarum actione glorificandum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nunc et semper etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Deus excelse et terribilis, Deus inscrutabilis et mirabilium patrator, Deus misericors et clemens, respice benigne in nos et adimple petitiones nostras secundum misericordiam tuam. Tu es Deus, qui fecisti mirabilia erga genus humanum variis gratiis tuis. Quaesumus te, Pater coelestis, mitte Spiritum Sanctum tuum, et benedic novitium hunc, qui astat coram

---

[1] S N. qui vocatus est. — [2] G vivificator. — [3] G add. et dona. — [4] G deest: et misericordiam.

*) Finitis psalmis, ait S., praesentatus iterum ad pedes episcopi accedit; duo sacerdotes praesentantes ipsi ponunt manus super humeros, et priusquam episcopus manum dexteram imponit ejus capiti, diaconus praeconizat, dicens: Atque etiam pacis Dominum rogemus. Rogemus etc.

**) Ex S. diaconus post haec dicit: Benedic Domine.

***) Secundum Galanum haec est impositio manus consecratoria.

sacro altari tuo, et accepturus est gradum sacerdotii, ut sit speculator populi tui, et consessor Apostolorum tuorum, et scribatur nomen ejus in libro viventium, et liberetur a servitute diaboli. Et nos omnes efficiamur filii tui, Pater coelestis, et coheredes Christi, et mereamur ingredi coeleste regnum tuum, ut gratias agentes glorificemus Patrem etc.

*Deinde convertunt**) *faciem novitii ad populum, manus supra elevando, et reliqui alta voce dicunt ter:*

Divina et coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam sacri ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. a diaconatu ad presbyteratum in sanctae Ecclesiae ministerium, juxta testificationem sui ipsius totiusque populi.

*Et dicunt clerici et populus alta voce***)*:* Dignus est.

*Deinde convertunt novitium versus orientem, et episcopus ponit dexteram cum cruce****) *super caput novitii (eodem sensu, qui supra descriptus est) et dicit:*

Divina et coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam sacri ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. a diaconatu ad presbyteratum in sanctae Ecclesiae ministerium, juxta testificationem sui ipsius totiusque populi. Ego impono manus; vos autem omnes orate, ut dignus sit gradum sacerdotii immaculate conservare et stare ad sanctum altare Domini Dei.

Et dicunt duodecies: Domine miserere.

Et diaconus dicit alta voce: Benedic Domine.

*Episcopus imponit dexteram cum cruce*****) *(sicut et Christus manum imposuit discipulis suis eosque benedixit) et dicit:*

Domine Deus omnipotens, piissime, providentissime, creator omnium creaturarum, visibilium et invisibilium, tu habitas in terribili et inaccessibili luce et abyssi profunditatum apertae sunt coram oculis tuis. Te circumstant exercitus coelestes, Angeli, Archangeli, Potestates, Principatus, Throni, Dominationes, Seraphim et Cherubim omnesque incorporeae virtutes, et epinicio hymno semper te glorificant. Tu Domine virtutum omnium in omnibus fortis et non indigens, clementissima voluntate tua misertus humiliationis generis humani, segregasti tibi ab omnibus hominibus populum peculiarem, Ecclesiam tuam sanctam, quam „corpus et membra tua“ nominasti, et constituisti in ea sacerdotes, pascere populum tuum.

Exaudi Domine et nunc vocem deprecationum nostrarum, et quem elegisti, et ad presbyteratum recepisti famulum hunc tuum N. nunc ordinatum, immobilem conserva in hoc sacerdotio, ad quod vocatus est. Concede ei cor rectum, ut diligenter observet omnia mandata tua; diligat te ex tota virtute et corde suo et in tota mente sua; incedat inculpate in viis justitiae puro corde et sincera fide; abundet in bonis operibus, juxta voluntatem tuam rectissimam; stet constanter et immaculate in sa-

---

*) Sacerdotes nempe assistentes teste S.; initiatus autem versus populum manus extensas tenet et elevatas supplicantis instar.

**) S. ter dicunt.

***) Ex S. episcopus manus in formam crucis imponit.

****) Apud S. non fit mentio crucis.

cerdotio coram te in catholica Ecclesia, aedificatus et confirmatus super petram fidei Apostolorum et prophetarum, seminabit enim vivificam et orthodoxam fidem apostolicae Ecclesiae in omnibus se audientibus. Concede illi gratiam apostolicam ad fugandos et repellendos omnes languores exitiales et spiritus immundos ab hominibus, imponente eo manus, et invocante omnipotens nomen tuum super eos. Dignus sit vocare Spiritum Sanctum de coelis ad spiritualem vitam regeneratorum; innovans eos sacro lavacro, quo consequantur magnam gratiam adoptionis tuae, et fiant haeredes regni coelorum templumque Spiritus Sancti, baptizati cum fide. Peragat terribile et sanctum sacramentum corporis sanguinisque Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem culparum digne communicantium; quin et omne officium sacerdotii sui integre et sancte adimpleat, et sit glorificator sanctissimae Trinitatis, et praemium cum beatis Apostolis recipiat in vita aeterna, duplici honore dignus effectus. Per gratiam et misericordiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, qui invitavit nos et vocavit ad suum regnum et gloriam; cum quo te Patrem omnipotentem, una cum vivifico et emundante Spiritu Sancto decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine Deus virtutum et Deus fortis et omnipotens, Deus gloriae et omnis honoris. Tu coronasti sanctos tuos gloria et honore. Tu donasti hominibus propheticas gratias. Tu donasti presbyteratum gloria et honore generis humani. Tu elegisti sanctos Apostolos et instituisti in catholica Ecclesia varios ordines directionis, constituens in ea pontifices et coetus diaconorum et cantantium hymnos et doctorum, per quos glorificatur nomen Unigeniti tui Jesu Christi. Et nunc hunc servum tuum N., quem elegisti ad vocationem sacerdotii splendide illumina per gratias Sancti Spiritus tui, ut stet illibatis et immaculatis moribus et serviat sanctae Ecclesiae tuae. Et hunc populum tuum conserva sine scandalis ab omni astutia Mali.

Et nos omnes recipientes hunc sancto amore et spirituali osculo nunc et omni tempore glorificemus Patrem et Filium et Sanctum Spiritum, nunc, et semper, et in saecula etc.

Et episcopus sua manu stolam fert a sinistra ad dexteram et dicit:

Accipe jugum Domini nostri Jesu Christi: Jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

Et dicunt psalmum 131.

Antiphona: Sacerdotes induantur justitiam: et sancti tui exsultent.

Psalmus: Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus. *Usque ad finem:*

Lectio Ezechielis prophetae. (3, 17—19).

Haec dicit Dominus: Fili hominis speculatorem — animam tuam liberasti.

Lectio Malachiae prophetae. (2, 5—7).

Haec dicit Dominus: Pactum meum — quia angelus Domini omnipotentis est.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 1—6).

Spiritus Domini super me — in gloria earum superbietis.

Petri Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Petri 5, 1—4).

Seniores ergo obsecro — immarcescibilem gloriae coronam.

Lectio primae epistolae ad Timotheum Pauli Apostoli. (1. Tim. 1, 12—17).

Gratias ago ei — gloria in saecula saeculorum. Amen.

Alleluja, Alleluja.

Sacerdotes tui induantur justitiam: et sancti tui exsultent.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Lucam. (Luc. 4, 14—22).

Dominus noster Christus:

Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilaeam — quae procedebant de ore ipsius.

Et dicunt Credo usque ad finem. Et novitius flexis genibus manet.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Atque etiam cum fide precemur et petamus a Salvatore nostro.

Dum ferunt oblata, dicit celebrans missam hanc orationem:

Domine Deus exercituum et creator omnium existentium etc.

Deinde sedet in thronum et dicunt psalmum 118: Beati immaculati.

Nam novitius mundo mortuus est, ut Christo vivat.

Deinde diaconi cantant alta voce:

Deus magnus, fortis et mirabilis faciens virtus, qui e nihilo produxisti coelum et terram et quae in eis sunt; deprecamur.

Et dicunt clerici: Exaudi Domine et miserere.

Creasti Seraphim et Cherubim, visibiles et invisibiles exercitus, creaturas rationis participes, ad imaginem et gloriam dominationis tuae; deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Donasti et corporeae naturae nostrae ratione sempiternam vitam habere tecum, clementissime; deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Memento Domine foederis et misericordiae tuae erga amatores nominis tui sancti. Exaudi vota nostra in templo gloriae sanctitatis tuae; deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Respice propitius in populum et veneratores nominis tui sancti, recordatus foederis tui cum amatoribus, manifesta super omnes copiosam tuam misericordiam, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Conserva Domine sanctam Ecclesiam tuam, quam redemisti pretioso sanguine tuo sancto; largire constanti fide propitiatorium tuum sacrificium et custodi usque ad diem adventus magni gloriae tuae, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Conserva Domine cum longis diebus venerabilem patriarcham nostrum N., ducere populum fidelium orthodoxa doctrina in omnibus viis vitae praesentis; deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Exalta in medio orbis terrarum ordines sacerdotii cum piis ministris omnemque clerum sanctae Ecclesiae, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Et imprimis etiam pro hoc famulo tuo N., quem elegisti ad gradum sacerdotii, ut sis ei adjutor et custos in omnibus, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Conserva eum imperterritum et illibatum in opere sacerdotii, sub umbra omnipotentis brachii tui ab insidiis diabolicis et ab omni visibili et invisibili inimico, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Redime Domine populum tuum et benedic eos, qui adorant coram dominatione tua, deprecamur.

Exaudi Domine et miserere.

Et imprimis etiam, ut donet nobis amoris exacutionem et boni operationem, petimus.

Animas nostras et nos invicem. Miserere nostri Domine Deus noster.

Et episcopus dexteram imponit capiti ejus et dicit hanc orationem:

Domine Deus virtutum et creator omnium creaturarum, visibilium et invisibilium, qui ab igneis exercitibus glorificaris, a Seraphim et a sanctis Archangelis, incorporeis exercitibus benediceris, copiosa tua clementia dignatus es etiam a terrigenis laudationes accipere, non ad supplementum omnipotentis dominationis tuae, omnipotens, qui nullius indiges.

Sed propter infinitam clementiam tuam descendisti e sinu paterno voluntarie ad nostram naturam, clementissime Fili Patris, et induisti corpus ex sancta Virgine et genus humanum deliberasti a maledictione Adae et a judicio. Et effusione incorruptibilis sanguinis tui fecisti pacem in coelis et in terris, et reconciliasti Patrem cum creaturis.

Sed etiam elegisti tibi populum peculiarem, sanctam Ecclesiam, eamque separasti ab impuritate conversationis humanae. Et nunc, Domine benefice, postulamus a copiosissima clementia tua, accipe supplicationes nostras et hujus populi, qui stat in templo gloriae nominis tui. Et hunc famulum tuum N., quem elegisti et vocasti ad regendum Ecclesiam tuam sanctam, reple Spiritu tuo Sancto, conforta eum ad opera bona, stare coram te illibatis moribus et bonis operibus in firma fide et servire coram sancta mensa tua, pascere sapientia et justitia gregem tuum. Custodi, Domine, eum et populum ejus a visibili et invisibili inimico, ut laetitiae sempiternae digni efficiantur. Et nos omnes recipientes eum spirituali et sancto osculo gratias agentes glorificemus tuam abundantem clementiam pro bonis nobis concessis, et promissis in vita aeterna, quae concedas nos omnes consequi cum omnibus sanctis tuis per gratiam et misericordiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, cum quo te Patrem omnipotentem, una cum vivifico et emundante Spiritu Sancto decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine omnipotens et Deus omnium entium, qui sedes super thronum non manu factum, ab invisibilibus et immortalibus sanctis vigilibus*) laudatus glorificaris, qui incessabili voce Trishagion concinentes laudant principalem gloriam. Deprecamur te unanimiter nos servi tui, inclinare ad deprecationes nostras, et largire nobis abundantem tuam misericordiam. Et dona huic servo tuo, gradum sacerdotii bonis moribus et illibata virtute custodire et offerre tibi laudem pro gratia accepta. Effunde

---

*) H. e. Angelis. R.

super eum abundanter gratias Spiritus Sancti septiformibus muneribus: veritate et sapientia, intellectu et magno consilio, fortitudine et scientia, pietate et timoris tui Domine, quibus conversans depellat a se omnem astutiam Inimici, ut juste vivat et per sui ipsius exemplum magister creditum sibi populum vere pascat; ut faciendo et docendo magnus vocetur in regno Christi tui et digne glorificet, Domine. Et nos omnes accipientes eum spirituali et sancto osculo, et gratiarum actione et benedictione omni tempore parati ad omnipotentem voluntatem tuam, benedicamus sanctissimam Trinitatem, nunc, et semper etc.

Tunc accipiunt diaconi in manus Pilon (sive Schurtschar); Urar, Pagdan, Kodi et caetera paramenta, et accedunt coram episcopo.

Et episcopus dicit hanc orationem:

Domine Jesu Christe, respice super hunc famulum tuum et super opus manuum tuarum, qui speravit in beneficentiam tuam et secutus est praecepta tua. Sicut dedisti omnibus fidelibus potestatem conculcare serpentes et scorpiones omnemque virtutem inimici: da huic et nunc victoriam per signum crucis tuae omnia vincentis, ambulare super aspidem et basiliscum, et conterere caput venenosi draconis, et haereditare cum beatis Apostolis regnum coelorum in saecula saeculorum. Amen.

Christe Deus, spes salutis et turris fortitudinis, custodi hunc famulum tuum immotum, qui divina tua vocatione pervenit in ordinem sacerdotii, perficere ad tuum beneplacitum.

Indue eum veste laetitiae et habitu gloriae, accende medium ejus omni patientia, fac eum austerum et factorem bonorum operum; honestum, devotum, sanctum et immaculatum, custodire sacerdotium immaculate, modestum, mitem, humilem, puro corde (sive purum corde), simpliciter, ut semel omnia dicam, in omni conversatione morum sanctitatis et in omni continentia immaculatum et benedictione tibi ad beneplacitum. Et una cum eo nos quoque benedic, Domine, spiritualium gratiarum donis ad gloriam omnibenedictae Trinitatis. Reple nos Spiritu tuo Sancto et spirituali laetitia, ut perveniamus ad illam perfectionem sanctitatis, ad quam nos invitasti. Nam tu es Deus susceptor et salvator, qui vis, ut omnes homines salvi fiant et ad agnitionem veritatis perveniant. Et tibi gloriam referimus Patri omnipotenti et unigenito Filio tuo et emundanti Spiritui Sancto tuo, benedictione, laudatione et praedicatione, nunc etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine Deus noster Jesu Christe, perfectio legis et prophetarum, distributor gratiae et misericordiae, benedic vestem et mitram hujus sicut benedixisti per Moisem vestem et mitram Aaronis et filiorum ejus. Et sicut tempore antiquo Jacob fecit tunicam polymitam Joseph. Benedic vestimenta et tunicam ejus sicut benedixisti pallium Eliae, per quod requievit spiritus Eliae super Eliseum. Benedic Domine tunicam ejus, ut requiescat super eum benedictio illius tunicae tuae, a Deo factae, textae de sursum, quam praedicens Propheta tuus dixit: Quis est iste, qui venit de Edom, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae? Eadem benedictio requiescat super eum et super tunicam ejus gratiae tuae. Et nos omnes deprecamur immutabilem dominationem Spiritus tui fortis, mitte Domine rorem dulcedinis tuae, et largire animae et directivo operationis sensui plenissimam gratiam copiosae misericordiae tuae; ara rationalem agrum corporalis obdurati

cordis ad receptionem fructuum spiritualis seminis. Tuae omniscienti essentiae debemus omnia dona, quae nobis florent et crescunt. Tu es qui imponis manus Apostolis, imples prophetas, doces doctores, loqui facis mutos, surdorumque aures aperis. Sicut consubstantialis tuus, coessentialis Patri unigenitus Filius, te cooperante faciens haec omnia praedicavit te Deum coaequalem hypostasi Patris. Largire et huic vocato nunc a te ad opus regiminis invisibilis mysterii Ecclesiae servire; loqui intrepide vivificum mysterium evangelii; sequi cursu celeriter mentis volanti in stadio immenso Testamentorum a te inspiratorum. Et quando aggreditur ad caput certaminis interpretationis verborum divinorum, praeveniat ad hoc tua misericordia, dicendo in hoc dignum et necessarium et quod tibi placet in tempore, ad gloriam et laudem divinitatis tuae, et ad complementum aedificii catholicae Ecclesiae. Extende super eum omnipraesentem dexteram tuam eumque corrobora per gratiam misericordiae tuae; repelle a mente ejus caliginem tenebrarum oblivionis, dissipa tenebras mentis, ut cogitationibus exaltetur ab hac terra ad coelestia. Illumina in eo iterum splendorem umbra carentem miraculorum scientiae divinitatis tuae, Fortis, ut dignus sit facere et docere adinstar bonorum Deum amantium vestigiorum. Per gratiam et misericordiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, qui invitavit nos et vocavit ad suum regnum et gloriam; cum quo te Patrem omnipotentem una cum vivificante et emundante Spiritu Sancto decet gloria, potestas etc.

Et deinde dicunt hymnum:

Coetus, qui digni effecti estis ad vocationem glorificationis Christi Dei nostri, venite et cantate Domino canticum novum.

Cantate nomen ejus voce exultationis ad novam benedictionem.

Confortati a te, Christe, coetus credentium vera confessione benedicimus mysterium tuae divinae incarnationis vitam ferentis; glorificantes terribile et admirabile nomen tuum, Domine Domine, magnum super omnem terram.

Laetare Ecclesia sancta, sponsa coelestis mysterii, in gloriam sanctissimae Trinitatis, quae consubstantiali sua potestate ortu lucis ornans coronat te cum omnibus sanctis suis.

Deinde: Mysterium profundum, inaccessibile etc.

Deinde ponit Sagavard (galeam) super caput novitii dicens:

Accipe galeam salutis e manibus Domini nostri Jesu Christi.

Et circumdans Urar (stolam) collo dicit:

Accipe potestatem a Spiritu Sancto, potens es enim tollere jugum Domini nostri Jesu Christi.

Cingit Kodi (cingulum) et dicit:

Accipe potestatem a Spiritu Sancto ligandi et solvendi, quam Dominus noster Jesus Christus dedit sanctis Apostolis dicens: Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in coelis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen[1].

Deinde Pilon (pallium) induit humeris dicens:

Accipe loricam justitiae e manibus Domini nostri Jesu Christi.

Et induunt ei Schurtschar (pluviale), et dicit:

---

[1] G deest: In nomine . . . Amen.

Dominus noster Jesus induit te vestimento salutis et nova tunica laetitiae ad decus[1] novae, spiritualis et immutabilis[2] vitae*).

Deinde cantant hymnum: Missa columba descendens etc.

Et episcopus ungit sancte-lucente chrismate primum frontem novitii dicens:

Benedicatur, ungatur et consecretur frons hujus sacerdotis N. per hoc etc.**)

Deinde duas manus et quidem duas palmas ad foras conjungens ungit similiter dicens:

Benedicatur, ungatur et consecretur dextera manus hujus sacerdotis N. per hoc signum etc.

Simili modo ungit sinistram manum et dicit:

Benedicatur, ungatur et consecretur sinistra manus hujus sacerdotis N. per hoc signum etc.***)

*Et in unctione a dextero pollice incipit ungere versus sinistrum digitum minimum****), et a sinistro pollice ad dexterum digitum minimum, quod indicat, quod novitius hoc modo repletus est gratiis Spiritus Sancti, ut supereffluant gratiae ad extremitates digitorum.*

Et post unctionem dicit hanc orationem:

Domine Deus noster, qui unxisti per gratiam Spiritus tui Sancti et spiritualem benedictionis sancti hujus chrismatis[3] manus has, omnia, quae semel hic benedicit, benedic, et quaecunque signat[4] in nomine tuo, confirma et rata habe, ut sint confortatae per gratiam Domini nostri Jesu Christi, quem decet gloria, potestas etc.

Deinde accipit episcopus et calicem et patenam cum vivifico corpore et sanguine†), et dat in manum novitii et dicit:

---

[1] G et indumento laetitiae renovatum in decore. — [2] G deest: et immutabilis. — [3] SG qui unxisti sanctitate et benedictione. — [4] SG manus istius signaverint.

*) Apud Serposium ordo induendi paramenta sacerdotalia in hoc ritu hic est: Primo induuntur semimanicae, quae dicuntur Pasban; deinde Ourar, postea Saghavard cum iisdem formulis; tunc cum formula, quae ad vestimentum hic dictum Pilon ponitur, Vagas, quod est collarium auro argentoque textum, cui annexus est amictus, qui dicitur Vasciamag, humerosque tegit, quod sane idem est; deinde Sciurciar, et denique Codi. Apud Galanum hic est ordo: Primo imponitur mitra incurva, deinde induitur amictu, casula, cingulo praecingitur.

**) Haec supplet S. ita: per hoc signum sanctae crucis sacrumque hoc chrisma. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen. Anteponit autem unctionem manuum unctioni frontis.

***) S. utramque formam ad manus in unam conjunctam exhibet: Benedicantur . . . manus hujus sacerdotis. G. unctionem frontis et manuum jungit et pro forma habet insequentem orationem: Domine etc.

****) Secundum S., unctiones dum fiunt, cantatur a Choro rythmus: O immortalis panis vitae etc. G. etiam memorat, clero hymnum canente fieri unctionem.

†) GS. loquuntur tantum de vino et hostia.

Accipe et suscipe potestatem et facultatem a Spiritu Sancto, signandi[1] et perficiendi sanctas missas in nomine Domini Jesu Christi pro vivis et defunctis.

Deinde accipit episcopus thuribulum et cum incensatione dicit ter ad novitium)*:

Atque etiam pacis Dominum rogemus. Suscipe, salva et miserere.

Benedic Domine N.

Et novitius cum adoratione ter dicit:

Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Amen. Pax omnibus *dicendo, signum facit crucis super populum.*

Et diaconus dicit: Deum adoremus. *Clerici dicunt:* Coram te Domine.

Deinde facit episcopus super eum signum crucis et dicit:

Benedictio Dei Patris, et Filii et Spiritus Sancti descendat super te, qui consecratus es in ordinem sacerdotii ad offerendum sacrificium corporis et sanguinis Christi pro pace mundi[2] et remissione peccatorum. Amen.**)

Deinde: Per sanctam crucem. Custodi nos et hunc famulum tuum sub umbra etc.

---

[1] S Accipe, quoniam suscepisti facultatem per gratiam Dei consecrandi. G Accipe, suscipe: accepisti enim potestatem consecrandi; deest a Spiritu Sancto. — [2] G deest: mundi.

*) S. haec ita exponit, ut episcopus secundum usum diaconorum hic cum ordinato agat, et ad trinam responsionem episcopus eum incenset.

**) Serposius haec addit: Statim post illam orationem recitatur psalmus 14: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo etc. cum duabus lectionibus ex Isaia et ex epistola S. Pauli ad Ephesios et cum evangelio secundum Matthaeum (c. 16. v. 13). Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi etc. usque ad: Erit solutum et in coelis. Deinde ultima vice ponit episcopus manum super caput ordinati et ita precatur: Gratias agimus tibi Domine Deus noster benignissime et piissime, qui vocasti hunc famulum tuum N. spirituali benedictione in munus sacerdotii ad ministerium veri corporis et sanguinis Unigeniti tui. Da illi gratiam, uti dedisti sanctis Apostolis, ut quodcunque ligaverit super terram, sit ligatum et in coelis, et quodcunque solverit in terra, sit solutum et in coelis. Protege et ductor esto rationalis gregis tui Domine. Imple istum Sanctissimi Spiritus virtute et custodi eum sanctum et immaculatum coram lucidissimis oculis tuis, ut prosperetur in operibus bonis, et innocenti conversatione ac puris moribus vivat juxta sanctam voluntatem et beneplacitum tuum, regatque coelesti et a te illustrata sapientia rationalem gregem tuum omnibus diebus vitae suae. Diligenter custodiat se populumque tuum sibi commissum a damnosis rebus, et ab omnibus malignis tentationibus diaboli, ut mereatur coelestem aeternamque laetitiam, quam praeparasti diligentibus te. Nos autem omnes in numero nostro cooptamus hunc spirituali et sancta salutatione, et gratias agimus tibi pro bonis nobis concessis et promissis in vita aeterna, quae concedas nos consequi per gratiam et misericordiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi;

Deinde accedunt ad missam, et missa fit, et communicet corpore et sanguine Domini) „vocatus ad sanctam vocationem.“ Et post finem missae salutatur ab episcopo et aliis sacerdotibus: et benedicitur. Et quadraginta dies maneat in ecclesia, et ordinem discat et se ipsum cognoscat.*

Et Christo Deo nostro gloria in saecula. Amen.

Si autem ordinandus fuerit monachus, etiam hic ordo perficitur ante missam.

Et dicitur psalmus 14, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?
Dic psalmum usque ad finem.

Lectio Isaiae Prophetae. (43, 1—4).

Haec dicit Dominus Deus, qui creavit te Jacob — pro capite tuo. Dicit Dominus omnipotens.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Ephesios. (6, 10—18).

De caetero confortamini in Domino — et in ipso vigilantes in omni instantia.

Alleluja, Alleluja.

Exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (16, 13—19).

Dominus noster Christus. Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi — erit solutum et in coelis.

Diaconus proclamat: Petamus cum fide unanimiter a Domino, ut gratiam misericordiae suae faciat etc.

Et episcopus imponit capiti ejus manum dicens hanc orationem:

Gratias agimus tibi Domine Deus noster benignissime et piissime, qui vocasti hunc famulum tuum N. spirituali benedictione in munus sacerdotii ad ministerium veri corporis et sanguinis Unigeniti tui. Da illi gratiam, uti dedisti sanctis Apostolis, ut quodcunque ligaverit super terram, sit ligatum et in coelis, et quodcunque solverit in terra, sit solutum et in coelis. Protege et ductor esto rationalis gregis tui, Domine. Imple istum sanctissimi Spiritus virtute, et custodi eum sanctum et immaculatum coram oculis tuis omnia videntibus, ut prosperetur in operibus bonis, et innocenti conversatione, ac puris moribus vivat juxta sanctam voluntatem et beneplacitum tuum, regatque coelesti et a te illustrata sapientia rationalem gregem tuum omnibus diebus vitae suae. Diligenter custodiat se populumque tuum sibi commissum a damnosis rebus, et ab omnibus malignis tentationibus diaboli, ut mereatur coelestem aeternamque laetitiam, quam praeparasti diligentibus te. Nos autem omnes in numero nostro cooptamus hunc spirituali et sancta salutatione, et gratias agimus tibi pro bonis nobis concessis, et promissis in vita aeterna, quae concedas nos consequi per gratiam et misericordiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi; cum quo te omnipotentem Patrem principii et

---

cum quo te omnipotentem Patrem principii et finis expertem, una cum vivifico et emundante S. Spiritu decet gloria, potestas et honor nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Hanc orationem excipit alia; factis a diacono praeconiis episcopus aliam brevissimam orationem dicit cum *Pater noster.*

*) Ex S. ipse per se sumens; ex G. episcopus ipse impertitur.

finis expertem, una cum vivifico et emundante Sancto Spiritu decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Petimus a te, clementissime Domine, respice oculo propitio et dulci voluntate tua ad deprecationes servorum tuorum. Et benedic, Domine, vestem et mitram ejus, sicut benedixisti per Moisem eas Aaronis et filiorum ejus. Benedic, Domine, vestem ejus sicut pallium magni Eliae, per quod requievit spiritus Eliae super Eliseum. Benedic, Domine, indumentum vestis ejus, ut requiescat super eum benedictio divinae voluntatis tuae, quam praedicens Propheta tuus dixit: „ornatus formosa stola et in multitudine fortitudinis.“ Igitur eadem benedictio requiescat super eum et super vestem ejus plenitudo gratiae tuae, ut et hic dignus effectus glorificet te Patrem omnipotentem, cum unigenito Filio tuo et vivificante et emundante Sancto Spiritu tuo, nunc etc.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis Dominum deprecemur. Suscipe, salva et miserere.

Episcopus: Benedictio et gloria Patri etc.

Et dicit item hanc orationem, quae propria est coelibum.

Deus aeterne, essentia perfecte in gloria decenti, qui in aeternum benediceris ab igneis immortalibus vigilibus, a Seraphim et Cherubim, et ab omnibus intellectualibus conjunctis congregationibus terrigenarum; cui complacuit ab iis suscipere et servitium rationalis naturae a terrigenis et ab humano genere et pura vocatione elegisti ordines justorum, ut digni efficiantur apud te piis supplicationibus et placore primitiarum sacrificii, sicuti Abelem primum in odorem suavitatis tibi ad beneplacitum, et modum pacifici sacrificii ejusdem, portum quietis a fluctibus, moribundus pacificatus a turbatione, et mysterium percipiens, et vocem audiens, dignus effectus est vigilanti sanctitate tibi, Domine, dedicati virginali puritate spirituale beneplacitum perficiendo ad visionem mysterii tui apparitione*). Largire et huic scutum spirituale (sive spiritualium) intellectualium congregationum exercituum igneorum**), ut fortis sit in hoc virginali certamine; et invisibili scuto trium personarum uniusque naturae dominationis sanctissimae Trinitatis armetur; et supplicationibus Deo acceptis cum Elia dignus fiat divinae et a Domino splendentis apparitionis, et ut spiritu oris labiorum deleat mortis destructione hostile, incorporeum, invisibile, animas perdens bellum daemonicorum exercituum aëreorumque spirituum. Conforta eum, Domine, in servitio hujus spiritualis convivio et in distributione incorporei panis***), qui est super sanctam mensam; ut laetatus gaudeat laeta et hilari jubilatione. Per gratiam et clementiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, quem decet gloria, potestas etc.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Spes creaturarum et vita renovationis omnium unigenite Fili et Verbum Patris, qui venisti renovare spirituali gratia et splendida doctrina

---

*) Locus obscurior. R.

**) H. e. Angelorum.

***) Vide quae de hoc loco alteroque simili diximus supra p. 295. not. *

genus humanum, quod etiam electione, primum invitante*) vocatione per Sanctum Spiritum manifestasti, et puro vivifico verbo tuo amicum tibi nominasti. Et igneis linguis fundasti sicut petram immobilem et sicut gemmam pretiosam in ornatu gloriae puerorum novi Sionis. Purifica, Domine, mentem et sensus ejus et illumina mentem interioris ejus, sicut et beatis discipulis largitus es, cognoscere te et praedicare essentialem et veram divinitatem tuam. Requiescere fac super hunc spiritum gratiae, ut diligat te; sicut dedisti sancto Evangelistae, non respicere vitam mundi, sed te solum amare et acquirere veram justitiam. Et tibi gloria, honor et potestas in saecula saeculorum. Amen.

Et dicunt psalmum 50.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.

Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Et episcopus dicit: Custodi animam meam, sancte Domine, et salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Fratres dicunt: Deus meus in te confido, non erubescam; neque irrideant me inimici mei.

Et episcopus dicit: Nihil proficiet inimicus in eo.

Fratres dicunt: Et filius iniquitatis non apponet nocere nobis.

Episcopus dicit: Deus virtutum converte nos.

Sacerdotes dicunt: Ostende nobis faciem tuam et salva nos.

Et episcopus dicit hanc orationem:

Deus pater misericors et ignoscens, qui non exacerbaris, propitius esto et clemens super filios tuos, quos mirabili mysterio convertis malos ad bonitatem. Largire dona scientiae abundantissima multitudine famulo tuo N., et ne despicias eum, qui accipit formam monachatus per manus nostrae indignitatis. Sed secundum magnitudinem hujus mysterii Domine Deus esto ei adjutor per Spiritum tuum Sanctum, et per gratiam Domini nostri Jesu Christi, quem etc.

Oratio ad Deum Patrem.

Deprecemur te, Domine Deus Pater coaeterne, per Filium tuum, per quem fecisti universum mundum, qui inveteratos peccatis per incarnationem Christi tui renovasti, petimus a te suppliciter, largire per Dominum nostrum Jesum Christum huic famulo tuo N., qui renuntiat desideriis mundi, dignum fieri misericordiae tuae, ut renovetur spiritu et corpore, et exuat veterem hominem cum cogitationibus et operibus ejus; et induat novum hominem, qui a te fundatus est justitia, sanctitate et veritate, per gratiam Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi, cum quo te Patrem et Spiritum tuum Sanctum decet etc.

Oratio ad Filium unigenitum.

Domine Jesu Christe, tu es via, sine te nemo potest venire ad Patrem. Propter magnam misericordiam tuam dirige hunc famulum tuum N., qui recedere desiderat a mundo, in viam et in ordinem humilitatis, nam tu es, qui peccatores vocasti et dixisti: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Da ei, ut secundum hoc dictum confortetur, et amove ab eo onus peccatorum, ut cognoscat dulcedinem et mansuetudinem tuam, et potens sit attente tibi servire tuo

---

*) Che invita anticipatamente; invitato prima. Ciakciak. R.

adjutorio, qui humiliasti temet ipsum et dedisti animam tuam pro ovibus. Cognosce hunc in medio ovium tuarum, et hic, te cognito, ne sequatur alium; neve audiat vocem aliorum, sed tuam, sicut dixisti: Qui me diligit, me sequatur. Et te cum Patre et Sancto Spiritu decet etc.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

Sancte Spiritus Domine Deus, qui apparuisti mundo, deprecamur gratiam beneficentiae tuae, qui largiris, cui vis. Descende ad famulum tuum N. et da ei cogitationes bonas, doce eum a te et dirige eum tua comitante gratia, et unge eum tua benedictione, per preces boni Patris nostri sancti Gregorii, qui dedit regulam huic sanctae provinciae, et per intercessionem omnium sanctorum tuorum, quos ipse nominavit. Et tu, qui es veniae largitor, averte eum ab omnibus malis desideriis et solve eum ab omnibus vinculis peccatorum. Respice super eum, et gratiam, ad quam definitus est, fervere fac; et omnes conturbationes remove. Et magna potestas tua obumbret eum, ut hic moveatur ad omne opus bonum libenter; ad omnem humilitatem et laborem, ad obedientiam et misericordiam. Ut perficiat praescriptum ordinem per te, qui datus es nobis arrhabo bonus, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, cum quo te et Patrem omnipotentem decet gloria, potestas etc.

Et dicunt hymnum:

Sancte in patribus Antoni, qui naturam humanam superans inventus es, apud Christum intercede pro animabus nostris.

Qui multos dies jejunando libenter tolerasti fragilitates corporis, apud Christum intercede pro animabus nostris.

Memoria nunquam obliviscente coram Christo adjutor esto colentibus tuam commemorationem, ut suscipiat et nostram benedictionem.

Cujus in spectaculum austeritatis coelites laeti respicientes admirantur, in corpore videntes mores ipsorum incorporeos, o sancte pater Antoni intercede apud Christum pro animabus nostris.

Qui super naturam humanam perpessus es, perferendo varia tormenta ab invisibili inimico, o sancte pater Antoni intercede apud Christum pro animabus nostris.

Unde et nos colimus austeritatis tuae sanctae commemorationem, qui factus es dux viae vitae bonae, translatus es a terrenis ad immortalium congregationes, o sancte pater Antoni intercede apud Christum pro animabus nostris.

Benedictio Vegar.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis Dominum deprecemur. Suscipe, salva.

Episcopus: Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc etc.

Deinde dicit hanc orationem:

Deprecamur te Domine Jesu Christe, et petimus ab abundanti misericordia tua, velamen mortis nostrae, quo et tu coopertus eras humilitate, et formam hujus habitus, quem dederunt nobis sancti patres nostri ad demonstrationem humilitatis et oblivionis mundi, quo et ipsi formati erant, tu, Domine, benedic, et hunc famulum tuum N. dignum fac σχῆμα sanctum habere in capite, et te decet gloria, potestas et honor etc.

Exuit Tschprun et dicit: Exuat Dominus hominem veterem cum operibus ejus.

Deinde induit Vegar et dicit: Deus induat te novum hominem, qui secundum Deum firmatus est justitia et sanctitate et veritate. Amen.

Et gloriam dant Deo. Et deinde archiepiscopus progreditur ad missam, et communicant pretioso Domini corpore et sanguine sacerdotes ordinati. Et salutantur ab episcopo et caeteris sacerdotibus. Et quadraginta dies in ecclesia permaneant. Ordinem discant, et se ipsos Deo offerant et cognoscant, qualem gratiam obtinuerint, et casti et vigilantes permaneant omni tempore.

Et Christo Deo nostro gloria in saecula. Amen.

Promotiones Vartapedorum.

Ordo dandi particularem (vel etiam partialem) facultatem discipulis veri verbi praedicationis, hoc est quatuor gradus baculi *).

Scriptus a sancto Gregorio Datjevensi magno Vartaped, ingeniosissimo rhetore et discipulo Sancti Joannis Orodnensis **); incomparabilis viri docti.

E splendidis verbis theologi prophetae Isaia splendida mente et interpretativa visione ad ritum Armenicae orthodoxae ecclesiae adaptatus et dispositus.

Primus gradus

datur in orientali parte ecclesiae coram bemate.

*Episcopus ***) ibi sedet in throno et praesentatus ****) genuflectitur coram eo. Et quidam dignitarius sacerdos, vel etiam primus diaconus, habens in manu ornatum baculum.*

Dicunt hymnum:

Disciplui Christi et missi in mundum universum, intercedite pro nobis apud Dominum.

Qui accepistis praeceptum praedicare verbum vitae in terrarum orbe, intercedite pro nobis apud Dominum.

Qui digni effecti estis videre cum corpore Filium Dei manifeste, intercedite pro nobis apud Dominum.

Sancti Apostoli Christi, qui estis amatores creatoris creaturarum, intercedite pro nobis apud Dominum.

---

*) Baculi doctorales teste Serposio artificiosius elaborati esse solent, facti ex pretioso metallo et ornati concha margaritifera. Vartapedorum minorum baculus ornatur in summitate capite serpentis se circumvolventis; majoribus datur baculus, qui duo capita sibi invicem opposita habet.

**) Joannes Orodnensis, qui saeculo XIII. et XIV. vixit, ejusque discipulus Gregorius Datjevensis ex Galano sunt haeretici, quos tamen Serposius Tomo III. p. 394, 530. sq. ab ista macula contra Galanum defendere nititur, in quibusdam nimius excusator.

***) Ex S. confertur etiam a capite Vartapedorum.

****) Sacerdotem, teste Serposio, esse oportet, qui ad doctoratum promovendus est.

Sancti Apostoli Christi, qui praedicatores estis in universo orbe terrarum, intercedite pro nobis apud Dominum.

Sancti Apostoli Christi, qui corona estis omnium ecclesiarum, intercedite pro nobis apud Dominum.

Et deinde chartophylax cum aliis ministris cantant: Jube Domine benedicere.

Et episcopus[1] dicit: Benedicat vos Deus a (e) coelo et a (e) terra.

Chartophylax repetit: Jube Domine benedicere.

Episcopus: Benedicat vos Dominus ex Sion, is qui habitat in Jerusalem.

Chartophylax: Jube Domine benedicere.

Episcopus: Permissum est vobis a Deo loqui.

Chartophylax: Gratiis praedite sancte patriarcha, qui es constitutus pastor gregis Christi, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia cum toto clero, ut voces hunc verbi ministrum N. ad honorem et gradum particularis doctoratus.

Interrogat episcopus et dicit:

Habetne doctrinam doctoratus et scientiam Veteris et Novi divini Testamenti sancti et confessionem orthodoxae professionis fidei in sanctam Trinitatem et in incarnationem Dei nostri, et renuntiat omnibus haereticorum sectis?

Dicit chartophylax:

Ita, Pater sancte, habet plenam doctrinam doctoratus et scientiam Veteris et Novi divini Testamenti sancti, et confessionem orthodoxae fidei, et profitetur sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Sanctum Spiritum, consubstantialem et unicam, et incarnationem Christi Dei nostri cum orthodoxis sanctis patriarchis.

Et episcopus dicit:

Renuntiare debes, fili, omni sectae haereticorum, qui contradixerunt orthodoxae fidei Dei nostri.

Et dicunt ministri alta voce:

Anathema, anathematizatus sit.

Deinde episcopus facit renuntiare praesentatum omnibus haereticis et jubet sequi sanctos orthodoxos patriarchas sicut scriptum est pagina 260. (in originali).

Deinde dicit episcopus:

Spiritus Sanctus Deus verus, qui descendit in Jordanem et in coenaculum et manifestavit Christi Deitatem. Eadem effusio gratiarum Sancti Spiritus descendat et effundatur super te ad agnitionem Deitatis, quatenus nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu Sancto. Et illuminet mentem tuam ad professionem orthodoxae fidei cum sanctis patriarchis.

Et ministri et populus dicunt: Amen, fiat, fiat.

Deinde jubet eum dicere: Credimus.

Et deinde dicunt: Alleluja, Alleluja.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?

Lectio Exodi. (3, 1—4, 17.)

Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui — virgam quoque, quae versa est in colubrum, sume in manu tua, in qua facturus es signa.

Lectio e Proverbiis. (1, 2—9.)

Ad sciendam sapientiam — ut addatur corona gratiae capiti tuo et torques aureus.

Lectio Isaiae prophetae. (6, 1—10.)

In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem — et convertatur et sanem eum.

Lectio Jeremiae prophetae. (1, 1—12.)

Verba Jeremiae — Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud.

Lectio Actuum Apostolorum. (12, 25—13, 12.)

Barnabas autem et Saul reversi sunt ab Jerosolymis — Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit admirans super doctrina Domini.

Lectio epistolae primae ad Corinthios Pauli Apostoli. (I. Cor. 12, 28—31.)

Et quosquam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos — Aemulamini autem charismata meliora.

Alleluja. Alleluja.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (10, 16—27.)

Dominus noster Jesus Christus dicit: Ecce ego mitto vos sicut oves — praedicate super tecta.

Per sanctam crucem. Custodi. Pater noster.

Explicit primus gradus doctoratus partialis potestatis.

Ordo secundi gradus partialis potestatis, qui datur in parte occidentali. Et ibi dicunt hymnum:

Qui super germinantem virgam Jesse quievisti septemformibus gratiis, Spiritus Dei et mysterii, Spiritus mansuetudinis et fortitudinis, Spiritus sapientiae et scientiae, Spiritus timoris et pietatis, deprecamur, largire et nobis misericorditer de tuis donis.

Qui tuam praedictionem per Isaiam sua incarnatione implevit unctus a te, dicit: Spiritus Domini super me, quod verbum Prophetae de se ipso in humiliatione dispensationis legit*), deprecamur, largire et nobis misericorditer de tuis donis.

Qui Verbi missionem a Patre et Spiritu in mundum per Prophetam annuntiavisti, cujus verbum in nomine incarnati ad genus humanum:

Dominus Dominus misit me et Spiritus ejus**), deprecamur, largire et nobis misericorditer de tuis donis.

Alleluja. Alleluja.

---

*) Is. 61, 1. Luc. 4, 18. R.

**) Is. 48, 16. R.

Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute multa. Exsurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

Lectio libri Numerorum. (Num. 11, 25—27.)

Descenditque Dominus per nubem — et prophetabant in castris.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 1—6.)

Spiritus Domini super me — et in gloria earum superbietis.

Lectio Amos prophetae. (7, 14—8, 2.)

Respondit Amos, et dixit ad Amasiam — Venit finis super populum meum Israel.

Lectio epistolae secundae ad Timotheum Pauli Apostoli. (2. Tim. 3, 10—4, 2.)

Tu autem assecutus es meam doctrinam — in omni patientia et doctrina.

Alleluja. Alleluja.

In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terrae verba eorum.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Joannem. (20, 19—23.)

Dominus noster Jesus Christus. Cum ergo sero esset — et quorum retinueritis, retenta sunt.

Et dicunt hymnum:

Trinitas indivisibilis et virtus coelestis, lux orta in mundo, ei referimus benedictiones cantando.

Qui descendit de coelis hodie et requievit super Apostolos verus Sanctus Spiritus, ei referimus benedictiones cantando.

Qui in mysterium salutiferum hodie descendendo super Apostolos demonstratus est Prophetae*), ei referimus benedictiones cantando.

Per sanctam crucem. Custodi. Pater noster.

Explicit secundus gradus doctoralis particularis potestatis.

Et incipiunt tertium gradum in parte septentrionali ecclesiae.

Et dicunt hymnum:

Hodie coelites nobiscum celebrantes commemorationem sanctorum patriarcharum, qui illuminaverunt fidei pueros et angelorum ordinibus aggregati sunt:

Hodie Apostolorum et prophetarum ordines, concelebrantes filiae superioris Sion, in memoriam sanctorum patriarcharum, qui mysteria sensus profundi illorum manifestarunt:

Hodie sacerdotes et ministri sanctae Ecclesiae colunt memoriam sanctorum doctorum, per quos ornati sunt gratiis coelestibus, cantant cum iis gloriam in aeternum.

Alleluja. Alleluja.

---

*) Joel 2, 28. Act. 2. R.

Spiritus tuus Sanctus et bonus deducet me in terram rectam. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua.

Lectio Joel prophetae. (3, 19—31.)

Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedines — et Dominus commorabitur in Sion.

Petri Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Petr. 3, 15—22.)

Parati semper — angelis et potestatibus et virtutibus.

Alleluja. Alleluja.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Lucam. (9, 1—6.)

Dominus noster Jesus Christus. Convocatis autem duodecim Apostolis — et curantes ubique.

Diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dicit: Benedictio et gloria Patri et Filio etc.

Et accipit baculum et dat in manum invocati dicens:

Accipe tertium gradum partialis doctoratus cum potestate a Spiritu Sancto, ut delinquentes ad poenitentiam revoces, qui scienter vel ignoranter in laqueos maligni inciderint, et convertas ab omnibus malis, ut filius prodigus conversus est, et remittas omnia peccata eorum et restituas illis stolam primam. Et tu, cum apparuerit princeps pastorum, percipies immarcescibilem gloriae coronam:

Per sanctam crucem. Custodi. Pater noster.

Explicit tertius gradus doctoralis partialis potestatis.

Et incipiunt quartum gradum
in parte meridionali ecclesiae.

Et dicunt hymnum:

Beati sancti Apostoli, vocati a principio et electi ab utero, servi et amici et testes Dei Filii, intercedite apud Dominum pro animabus nostris.

Qui accepistis potestatem super genus humanum ligandi atque solvendi in coelo et in terra, solvite nos a vinculis peccatorum nostrorum.

Socii effecti crucis Christi et cum eodem regnantes, in secundo adventu ejus sedebitis judices, veniam largimini et nobis peccatoribus.

Prophetam Excelsi et regis militem, qui et maximus vocatus est inter natos mulierum*), benedictionibus spiritualibus honoremus.

Unigeniti praecursorem et Verbi vocem, qui in utero Christum prodixit, benedictionibus spiritualibus honoremus.

---

*) Joannem Baptistam. Matth. 11, 11. R.

Habitatorem deserti et gratiae praeconem, qui etiam in inferno redemptionem praedicavit, benedictionibus spiritualibus honoremus.

Laetantes hodie festum celebrant coelites cum hominibus, participes facti redemptionis nostrae, nam apparuit nobis spiritualis thesaurus lucis, orientalis solis radius, sanctus Nerses, per intercessionem ejus Domine dona pacem Armeniae.

Hodie iterum renovatum est sacerdotale baculum pulchre florens splendore, nam sanctus Nerses, germen e radice Illuminatoris egressum, donatus est a pastore bono gregi rationali, per intercessionem ejus Domine firma potestatem throni patriarchalis.

Hodie magna gloria exultat regale baculum de reconciliatione amoris sancti patriarchae, nam advenit in adjutorium legislator regum, commilito militaris ordinis sanctus Nerses, per intercessionem ejus exalta potestatem throni regii.

Similis effectus es Moysi Domine doctor, ferens librum legis in terram Armenicam, per quem illuminati sunt populi filiorum Thorgam. Nam ille dignus factus est, stare in Sinaitica glorificatione, et accipiens praecepta viva dabat coetui Israelitico, quibus illuminati sunt populi filiorum Jacob. Nunc deprecamur tuam clementiam, Domine Vartaped, intercede apud Patrem coelestem pro tuis cultoribus, nam per te illuminati sunt pueri Ecclesiae.

Patriarcha sancte et illibate, et electe ab utero, mirabilium patrator, testis et decus generis humani, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Pastor spiritualis rationalis gregis, illuminator orbis terrarum, columna lucis, erecta in medio Ecclesiae, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Firmamentum fidei, corona et caput Ecclesiae, splendidus praeco orbis terrarum, et decus generis humani, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

In templo tuae sanctitatis veneramur tuas reliquias, glorificamus diem memoriae obitus tui, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Hodie sanctorum patriarcharum congregati in unum posuerunt firmiter fundamenta fidei super fundamentum Apostolorum et prophetarum.

Hodie „Verbum in principio" praedicaverunt sancti patriarchae, genitum ante saecula a Patre, ineffabilem creatorem, existentem a saeculis cum Patre, consubstantialem Spiritui.

Hodie Spiritum veritatis professi sunt sancti patriarchae, germen a Patre, emanantem indivisibiliter, cum eo coaeternum, conglorium Filio.

Spiritus vere, qui divina tua mandata, prophetiam David, implevisti, potando discipulos tua pinguedine in sancto coenaculo, miserere.

Qui missus es a Patre rivus vivificus et lux vera, per haec dando bibere filiis Sion torrentes voluptatis, miserere.

Qui implevisti desiderium appetitus cordium eorum, qui exspectantes permanserunt magnum adventum tuum in sancto coenaculo, miserere.

Natum a Sancta Virgine accipiamus in corda nostra cum fide, sicut olim in ulnas suas Simeon.

Benedicamus missum a Patre, qui pannis involutus est propter nos, et redemit nos a maledictione Adae.

Laetare deserta, sitiens, et effloresce cum fide beatitudine deinceps, nam Christus spes apparuit gentibus.

Hodie laetatae exultaverunt terrarum multitudines, in nuptiis sanctae Ecclesiae, nam datus est nobis pontifex aeternus ad illustrandam catholicam sanctam Ecclesiam, gloria adventui tuo, Domine.

Hodie lucis columna facta est nobis umbra ab excelsis, nam rex coelestis advenit in sanctam Ecclesiam et exercitus angelorum effusi festum celebrant cum hominibus, gloria adventui tuo, Domine.

Hodie pontifex verus divina lege honoratus erigit quadrangulam mensam crucis, decenter sacrificans distribuit corpus et sanguinem Domini.

Pure accedite, redempti novi populi, et petite a Christo, ut largiatur eum nobis in longitudinem dierum.

Alleluja. Alleluja.

Minuisti eum paulo minus ab angelis tuis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super omnia opera manuum tuarum. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Lectio libri primi Regnorum. (1. Reg. 16, 12—13.)

Et ait Dominus ad Samuelem: Surge, unge eum, ipse est enim bonus — Samuel abiit in Ramatha.

Lectio Jonae prophetae. (1, 1—5.)

Et factum est verbum Domini ad Jonam — ut alleviarentur ab eis.

Jacobi Apostoli in Catholicis epistolae est lectio. (Jac. 3, 1—12.)

Nolite plures magistri fieri — Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

Alleluja. Alleluja.

Constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Marcum. (16, 9—20.)

Dominus noster Christus. Surgens autem Jesus mane — se sequentibus signis.

***Diaconus proclamat*: Atque etiam. Benedic Domine.**

***Et Vartaped dicit*: Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui etc.**

***Et accipit baculum et dat in manum praesentati, et dicit*:**

Accipe, fili, etiam quartum gradum doctoratus, et animadverte, quid te vocaverit propheta Isaias, cum dixit: Vox clamantis in deserto. Idcirco oportet et primo peccatoribus, ignorantibus et infidelibus praedicare; secundo audacter praedicare sine personarum acceptione; tertio intrepide praedicare; quarto aperte et dilucide praedicare; quinto cum sapientia et scientia praedicare; sexto corripere, arguere et consolari; in desertis et praeruptis locis praedicare, h. e. iis qui desolato et afflicto sunt animo. Et Dominus noster Jesus Christus illuminet oculos mentis tuae, ut fulgeat in te lumen scientiae, et dicaris a Domino lux mundi, et non sit in te pars ulla tenebrarum, sed sis lucidus totus, et sicut sol oriaris in regno coelorum cum omnibus sanctis juxta promissa Domini Jesu Christi

Redemptoris nostri, cui cum Patre et Sancto Spiritu gloria, potestas et honor, nunc, et semper etc.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit quartus gradus partialis potestatis spiritualis doctoratus.

Ordo supremam potestatem dandi doctoribus veri verbi praedicationis, hoc est decem gradus supremi baculi.

Cujus ritus secundum Armenicam orthodoxam ecclesiam hic est:

Decorant baculum et ponunt supra mensam, et deinde incipiunt servitium diei conveniens, quo terminato, induuntur sacerdotes et clerici, et dant candelas in manus omnium, et incipiunt hymnum)*:

Deus admirabilis et semper bonus provisor, qui tua praescientia redemptionem Armeniorum incipiens, a Parthico reo populo Illuminatorem nobis donasti, quapropter per intercessionem ejus Redemptor salva nos nunc et in tremendo tuo adventu.

Admirabili miraculo sanctus Gregorius intolerabilia tormenta in se suscepit, et ter quinque annos in fovea habitabat infernalia perferens tormenta in medio venenatorum, quapropter per intercessionem ejus Redemptor salva nos nunc et in tremendo tuo adventu.

Per verbum tuum, quod mirabilia facit, et per magnam misericordiam tuam, veniens sanavit flagellatos diabolorum obsessione, adoratores faciens omnes sanctae Trinitatis, quapropter per intercessionem ejus Redemptor salva nos nunc et in tremendo tuo adventu.

Et veniunt ad portam ecclesiae et dicunt hymnum:

Virgam virtutis crucem tuam dedisti nobis Christe, et per eam vincamus iniquum inimicum.

Haec est gladius victoriae acutus sanguine Filii Dei, et per eam vincamus iniquum inimicum.

Haec est thronus dominationis, in ea crevit Christus Filius Dei, et per eam vincamus iniquum inimicum.

Haec est mensa sanctitatis et in ea oblatus est Christus, Agnus Dei, et per eam vincamus iniquum inimicum.

Haec est praecursor in die adventus Redemptoris et corona decoris credentium, et per eam vincamus iniquum inimicum.

Et ferunt baculum et dicunt:

Per sanctam crucem. Custos.

Et deinde hymnum:

Beati sancti Apostoli, vocati ab initio et electi ab utero, servi et amici et testes Dei Filii, intercedite apud Dominum pro animabus nostris.

Qui accepistis potestatem super genus humanum ligandi et solvendi in coelo et in terra, solvite nos a vinculis peccatorum nostrorum.

Passionum Christi socii et regni, in secundo adventu sedebitis judices, veniam largimini et nobis peccatoribus.

***) Hymnus historicus, cujus facta habet Agathangelus, qui tamen dicit 13 annos Gregorium fuisse in fovea, sed alii tantum non omnes auctores habent 15. R.**

Chartophylax *) *dicit*:

Gratiis praedite sancte patriarcha, qui es constitutus pastor gregis Christi, postulat a te mater nostra sancta Ecclesia cum toto clero, ut voces hunc verbi ministrum N. ad honorem gradus magni doctoratus.

Interrogat magnus Vartaped: **)

Habetne doctrinam doctoratus et scientiam Veteris et Novi Testamenti sancti, et confessionem orthodoxae professionis fidei in sanctam Trinitatem et in incarnationem Christi Dei nostri, et renuntiat omnibus haereticis?

Respondet Chartophylax:

Ita, Pater sancte, habet plenam doctrinam doctoratus et scientiam Veteris et Novi divini Testamenti sancti et confessionem orthodoxae fidei, et profitetur sanctam Trinitatem, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, consubstantialem Deitatem, et incarnationem Christi Dei nostri cum orthodoxis sanctis patriarchis.

Deinde adhortatur magnus Vartaped:

Renuntiare debes, fili, omnibus sectis 159 haereticorum, et anathematizare proprio nomine omnium haereticorum ordines, qui contradixerunt sanctae fidei Christi Dei nostri, et sequi sanctos patriarchas.

Et ministri dicunt: Anathema, anathematizatus sit.

Hic etiam episcopus renuntiare facit praesentatum omnibus haereticis, eumque jubet sequi sanctos patriarchas; quae videas a pagina 259 usque ad finem paginae 262. (in originali).

Deinde incipiunt hymnum:

Sapientia coelestis, descendisti desuper, congregare electos a principio, stultos mundi ***), et replevisti eos luce tuae sapientiae, ut per eos a nobis expellantur tenebrae ignorantiae, per preces eorum respice super nos, clementissime Redemptor.

Supra mare ambulans cursu sine vestigio ****), in lacu vocasti venatores animalium irrationabilium †) ad mortem, ut in mari mundi caperent rationabiles ††) ad vitam, per preces eorum respice super nos clementissime Redemptor.

Tu agricola coelestis terrae rationalis, qui dedisti semen vitae in linguas sermonis agricolarum eosque misisti seminare in spiritus rationales, per preces eorum respice super nos clementissime Redemptor.

Qui symbolum 12 Apostolorum tuorum, Christe, et 70 electorum

*) Ex Serposio praesentat candidatum aliquis senior Vartapedus, vel clericus dignior.

**) Ex S. interrogat episcopus, sed et ipse memorat supremum magistrum e coetu Vartapedorum majorum, qui sedet in sede distincta prope episcopum.

***) 1. Cor. 1, 27. R.

****) Joan. 6, 19. R.

†) Piscatores. Matth. 4, 18. R.

††) Homines. Matth. 4, 19. R.

discipulorum antea manifestasti in numero palmarum et fontium in Elim*), per preces eorum respice super nos clementissime Redemptor.

Qui aedificasti domum tuam Ecclesiam, Sapientia Patris, Jesu, et erexisti in ea columnas, septemradiantem virtutem Spiritus, et misisti famulos tuos, sanctos Apostolos, vocare gentiles ad potum poculi laetitia mixti, per preces eorum respice super nos clementissime Redemptor.

Qui tuae Dominicae potestatis participes reddidisti sanctos Apostolos ligare et solvere filios hominum in coelo et in terra, iisque promisisti, eos tibi συνθρόνους futuros, quando sedebis in throno judiciali, per preces eorum respice super nos clementissime Redemptor.

Hodie Ecclesia, quam praeparavit vox clamantis**) sponsam puram sponsi, exultat de spiritualibus nuptiis.

Hodie pronubus et amicus cum coelesti sponso unitus est, Ecclesiam mutando in coelum (sive cum coelo.)

Hodie donatae sunt nobis vitae medicamentum reliquiae ejus ossium per sanctum Illuminatorem Armeniae.

Hodie exultat laetata Ecclesia gentium, celebrando memoriam magni patriarchae et patris fidei Abrahae, benedicite pueri Ecclesiae patrem lucis incessabiliter.

Hodie nove Israel, vocate per prophetas ad Dominum, celebra cum jubilatione festum pastorum Israelis prioris; laudans caput anguli***) duorum murorum aedificii****).

Hodie in capite montium domus Dei fundata est; quae (qui) et semper irrigaris a nubibus Spiritus a Deo emanantis copiosissima pluvia, benedic fontem vitae potantem sitientes.

Qui vocasti remotos ad nuptias tui Unigeniti, bibere calicem sapientiae per manus sancti Gregorii, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Qui passionibus supernaturalibus tui Electi†) reduxisti errantes ad scientiam veritatis, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Qui in fovea abyssi contrivisti per eum caput serpentis, per descensum ejus ad abyssum inferiorem exaltasti nos ad coelos, per intercessionem ejus miserere nobis Deus.

Hodie Illuminatorem admirabili luce sedentium in tenebris, sanctum patriarcham Gregorium, venite adoremus.

Hodie Gregorium incorruptibilis Spiritus dona distribuentem nobis, filiis Thorkom, per quem in filios lucis renati sumus, venite adoremus.

Hodie divini verbi praeconem in Armenia, eruditi ab eo pueri, venite adoremus.

Hodie cantat Ecclesia per filios suos cum angelis in memoriam Illuminatoris Gloria in Excelsis Deo.

---

*) Exod. 15, 27. R.
**) Joannes. Matth. 3, 3. R.
***) Confer Matth. 21, 42 etc.
****) Novi et Veteris Testamenti Ecclesiae. R.
†) Gregorii. Vide Agathangelum. R.

Fons vitae, distributor gratiarum, Sancte Spiritus, qui descendisti de coelo, et pura dona tua distribuisti Apostolis:

Qui super aquas ferebaris et creaturas formasti, descendens in aquas baptisterii gignis filios Dei:

Qui ornans renovas semper novam tuam Ecclesiam, variarum gratiarum tuarum donis fulgent pueri ejus.

Corona coelestis contexta est e gemmis incorporeis, quam portavit Virgo, quando translata est in mundum superiorem, intercede unigeniti Deipara Mater Verbi.

Conveniens congregatur sancta cohors duodecim Apostolorum, volans ut aquila pervenit in civitatem Jerusalem, intercede unigeniti Deipara Mater Verbi.

Venit autem multitudo discipulorum Novi Testamenti in assumptione Deiparae splendentis margaritarum instar Sanctae Virginis, intercede unigeniti Deipara Mater Verbi.

Crucem sanctam, Christe, adorant omnes creaturae, quam ad salutem nostram erexisti, haec fiat nobis custos vincens, salvare a bello.

In ea exaltatus es auferens maledictionem, qui benedictus es cum Patre, congregare remotos per lignum vitam ferens, salvare a bello.

Per eam illustratae sunt creaturae omnes, eam exspectabant inclusi in carcere peccatorum amatore*), quae liberavit nos a bello.

Alleluja. Alleluja.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis. Miserere mei Deus.

Lectio libri Numerorum. (11, 24—27.)

Venit igitur Moyses — et prophetaverunt in castris.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 1—7.)

Spiritus Domini super me — et laetitia sempiterna super capita eorum.

Lectio Actuum Apostolorum. (2, 1—21.)

Et cum complerentur dies Pentecostes — Et erit: omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Lectio epistolae primae ad Corinthios Pauli Apostoli. (1. Cor. 2, 6—10.)

Sapientiam autem loquimur inter perfectos — Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

Alleluja. Alleluja.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (9, 35—10, 20.)

---

*) Inferno. R.

Dominus noster Christus. Et circuibat Jesus omnes civitates — Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Deinde diaconus accipit ornatum baculum a tabernaculo in manum suam, venit et surgit vicino archidomino) et dicit:* Atque etiam pacis Dominum deprecemur.

Et hic accipit baculum et dat in manum ministri verbi dicens:

Benedictio et gloria Patri et Filio etc.

Accipe purum et sanctum hunc baculum a Spiritu Sancto, et habeto potestatem consolandi afflictos et moestos, qui variis tentationibus jactantur, ut uberius coronentur, juxta illud: Consolamini, consolamini populum meum, dicit Dominus. Et tu secundum merita tua recipies consolationem Spiritus Sancti, et quoad animam et quoad corpus. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit primus gradus doctoratus.

Et deinde incipitur secundus gradus.

Eunt ad partem meridionalem et dicunt hymnum:

Exsultat hodie Ecclesia Dei per memoriam sanctorum Apostolorum, fundata supra petram fidei, ornata in gloriam incarnati Verbi.

Qui essentiam ineffabilis(em) Unigeniti, revelatione Patris de sursum, confessus est, et coelesti dignus effectus gratia, petra non vincenda a portis inferi:

Qui incorporeos ordines angelorum humana natura superavit, et exaltatus ad coelestia tabernacula ineffabilis verbi dignus effectus est:

Qui nominasti beatum Petrum, esse superiorem electorum Apostolorum ordinem, caput sanctae fidei, fundamentum Ecclesiae:**)

Qui priori vocatione misisti Antonium electum, ut revelet mundo ineffabilis incarnationis tuae mysterium et ad laudationem vocet gentes:

Qui duobus electis Illuminatoribus mundi fundasti Ecclesiam tuam, Christe, per preces eorum respice super nos.

Benedicite Dominum benedictione nova, nam ortum est nobis cornu salutis de domo David, salvare nos voluit. Benedicite Dominum benedictione nova.

Virga germinavit e radice Jesse, David propheta, et in ea germinavit Apostolus Jacob, testis ocularis et minister Verbi Dei. Benedicite Dominum benedictione nova.

In ecclesiis benedicite Dominum, qui per duos electos, per Apostolum Jacobum et prophetam David posuit fundamentum sanctae Ecclesiae. Benedicite Dominum benedictione nova.

---

*) Ex S. est hic supremus magister ex coetu Vartapedorum majorum, qui sedet in sede distincta prope episcopum.

**) Insignis locus de Petri primatu summoque magisterio.

Hodie exultant angeli in coelis per memoriam terrigenae angeli*), qui coordinati „voci clamantis“ cantant benedictiones Patri in Excelsis.

Hodie exsultant spiritus justorum, patriarcharum et prophetarum, et concinentes cum „majore inter natos mulierum“ cantant benedictiones Filio unigenito.

Hodie exsultant ordines Apostolorum, celebrantes memoriam magni Baptistae, qui Apostolorum est initium et prophetarum plenitudo, cum eo et nos procedenti a Patre canimus gloriam in Excelsis.

Hodie populi, qui a gentibus; invocati prius per prophetas, venire ad Dei Abrahae adorationem, laudate Dominum de coelis cum coelestibus.

Hodie filii filiae superioris Sion, aedificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, qui et bibistis copiosissimum rivum Spiritus in fontibus Israel, in ecclesiis sanctis, benedicite Dominum benedictione nova.

Hodie superiorum ordinum concinentes, coetus patriarcharum et prophetarum cantant Deo cantica spiritualia; in memoriam eorum cantamus et nos gloriam in Excelsis.

Hodie coelites nobiscum celebrantes memoriam sanctorum patriarcharum, qui illuminaverunt fidei pueros et ordinibus angelorum aggregati sunt:

Hodie Apostolorum et prophetarum ordines, concelebrantes cum filia superioris Sion, in memoriam sanctorum doctorum, qui sensus eorum profundi revelaverunt mysterium:

Hodie sacerdotes et ministri sanctae Ecclesiae valde celebrantes memoriam sanctorum doctorum, per quos divinis ornati sunt gratiis, cantant cum eis gloriam in aeternum.

Missa columba descendens magno sonitu de coelis, in similitudinem lucis splendentis igne armavit incombustibili discipulos, dum sedebant in sancto coenaculo.

Immaterialis columba, imperscrutabilis, quae perscrutatur profunda Dei, quae accepit a Patre, narrat tremendum et secundum adventum, quam praedicaverunt consubstantialem.

Benedictio in Excelsis descendenti a Patre Spiritui Sancto Dei, per quem Apostoli biberunt immortalem calicem, et invitaverunt terram et coelum.

Rex gloriae Deus Spiritus vivifice, in gratias distribuente die magnae nativitatis Mariae, filiae David regis, renova vitam nostri regis, ut benedicamus te, Domine, nunc et in aeternum.

Fons vitae et salutis nostrae Spiritus Patris et Filii, adveniens in tempore, quo e radice Jesse germinat virga, gratiis praeditam illustra

*) Joannes Baptista. R.

virgam potestatis nostri patriarchae, ut benedicamus te, Domine, nunc et in aeternum.

Plenitudo mundi et radius intellectualis Spiritus Sanctus Dei, in jubilationis die plenitudinis gaudii Joachim et Annae, per preces eorum supple indigentiam Armenicae ecclesiae, ut benedicamus te, Domine, nunc et in aeternum.

Virgam virtutis crucem tuam dedisti nobis, Christe, et per eam vincamus inimicum iniquum.

Haec est gladius victoriae sanguine Filii Dei acutus, et per eam vincamus inimicum iniquum.

Haec est thronus dominationis, et in eo sedit Christus Filius Dei, et per eam vincamus inimicum iniquum.

Haec est mensa sanctitatis et in ea oblatus est Christus, Agnus Dei, et per eam vincamus inimicum iniquum.

Haec est praecursor in die adventus Redemptoris et corona gloriae credentium, et per eam vincamus inimicum iniquum.

Alleluja. Alleluja.

Pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

Lectio libri Proverbiorum. (Sap. 7, 21 — 8, 2.)

Omnium enim artifex docuit me sapientiam (sic) — et amator factus sum formae illius.

Lectio Joel prophetae. (2, 28—32.)

Et erit post haec: effundam Spiritum meum — omnis, qui invocaverit nomen Domini salvus erit.

Lectio Actuum Apostolorum. (19, 1—6.)

Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi — et loquebantur linguis, et prophetabant.

Lectio epistolae Pauli Apostoli secundae ad Corinthios. (2, Cor. 4, 1—6.)

Ideo habentes administrationem — scientiae claritatis Dei, in facie Jesu Christi.

Alleluja. Alleluja.

In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Marcum. (3, 13—19.)

Dominus noster Jesus Christus. Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse — qui et tradidit illum.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Vartaped.

Et Vartaped accipit e manibus ejus baculum dicens:

Benedictio et gloria Patri et Filio etc.

Et dat praesentato et dicit:

Accipe potestatem a Spiritu Sancto et suscipe et secundum gradum doctoratus, ut sis primo mediator Dei et hominum; secundo pravorum corrector; tertio portus populi; quarto intercessor apud Deum; quinto immundorum mundator; sexto peccatorum justificator; septimo infidelium in fidem adductor; octavo ignorantium instructor; nono iniquorum ad legem compellator; decimo filiorum et haeredum Dei effector. Et esto

velut arbor fructifera, frugiferos reddens omnes, ut ambulent in voluntate Dei, quatenus faciens et docens magnus voceris in regno Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit secundus gradus doctoratus.

Et incipit tertius gradus in parte septentrionali.

Et dicitur hymnus:

O felix radius, apostolicae praedicationis dignus effectus, sancte Stephane, firmamentum a Christo postula sanctae Ecclesiae.

Qui tua voluntaria toleratione lapidationem suscepisti; concessum est tibi a Deo esse Christi passionum socius, ut et nos doceas glorificare sanctam Trinitatem.

Rogasti pro iis, qui te lapidaverunt, ut facias vindictam (accipias retributionem) bonam a creatore omnium, et nunc deprecamur te et pro nobis intercede.

Domus Dei inspector bone, gratia dignus effecte, Domine Gregori, altarium et templorum ruinator idolorum per virtutem crucis, antistes sacerdotum, electe revelatione divina.

Rabboni (Magistri) mandato a coelo vocate ad apostolicum thronum, Domine Gregori, facundo verbo, spirituali regeneratione, illuminasti Armeniam, omnibus in locis aedificasti tabernaculum gloriae Dei.

Corpore desiderandis Seraphim incorporeis moribus pure splendenti, Domine Gregori, in deserto habitasti sicut Joannes et Elias austere vivens, legislator mandatorum divinorum sicut magnus Moyses.

Hodie exsultat Ecclesia, incorporeis aggregata, celebrans memoriam tuam Domine sancte Nerses, qui descensu Sancti Spiritus in forma columbae demonstratus es, intercede apud Christum pro animabus nostris.

Pontifex electus, dignus gratiis Spiritus, distribuisti salutiferum corpus et sanguinem Domini, a quo ignea columna de coelo descendit, intercede apud Christum pro animabus nostris.

Nunc deprecamur te, illuminator spirituum nostrorum, similis Moysi protoprophetae magno, splendenti facie divina ignea apparitione, intercede apud Christum pro animabus nostris.

Victor et sancte patriarcha, similis magno Moysi, erector crucis, certamine gloriae repugnante, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

Missione Spiritus Sancti e deserto vocatus es, accepisti honorem magnitudinis similis Sancto Joanni, concinens cum superioribus, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

Potens factus es per virtutem signis mirabilia facientibus, similis magno Petro, pastor gratiis praedite a Deo electi gregis, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

Laetati sunt exercitus coelorum de magna tua austeritate, quam in corpore erexisti sicut superiores vigiles, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

Effusione tuarum sanctarum lacrymarum suscitasti mortuum, sicut Christus suscitavit Lazarum, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

Sed nos voce exultationis celebramus tuam sanctam memoriam, venerande martyr Christi sancte patriarcha Jacob, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

In te recepisti passiones propter arcam Noe, ab angelo recepisti lignum salutis mundi, te habemus intercessorem apud Patrem coelestem pro nobis.

A deserto vocatus es ad apostolicum thronum verbo sancte Jacob, exaltasti cornu Sion vera parte arcae Noe, qui justitia et luce tua splendes ut novus sol, lucidior quam stellae ardens per virtutem accensus a miraculo Padan. (?)

Qui unitus es sanctitate in luce pura sicut incorporeus; mirabiles monstrasti virtutes superiores, obstupescere fecisti creaturas.

Nunc deprecamur te pater misericors et pastor bone, cum precibus postula apud Dominum pro Ecclesia, ut conservet eam semper immobilem in aeternum.

Qui ex imperscrutabili sinu paterno descendens, Fili, apparuisti in medio duorum animalium, quae praescia visione monstravit Propheta:

Qui in throno igneo sedebas cum Patre, exaltatus es voluntarie in currum crucis, et per tuam quadrigam liberasti captivos.

Qui virginali nativitate ad redemptionem apparuisti, et misisti equos tuos praecones, evangelizare resurrectionem tuam vivificantem.

Hodie exultant coetus Apostolorum de adventu Spiritus Dei, quos consolatus est pro Verbo incarnato, factus cum eis; gloriam demus ei voce Sanctus dicente.

Hodie emanavit aqua viva e Jerusalem, aqua repleti sunt fluvii divini et currentes potant mundi fontem quatuor capitum Eden; gloriam demus ei voce Sanctus dicente.

Hodie rore intellectuali a nubibus Spiritus laetatae sunt arbores Ecclesiae, exsultaverunt campi justitia, et pura virginitate pulchra facta sunt deserta, gloriam demus ei voce Sanctus dicente.

Plantata a Deo thurifera arbor in horto fragranti, quae secus decursus rivorum Spiritus plantata es, et fructum immortalitatis dedisti nobis in tempore, propter quod nos omnes te semper magnificamus.

Immarcescibile germen ex horto divino venter tuus plantavit, protulisti e radice Jesse florem decorum virginea nativitate, propter quod nos omnes te semper magnificamus.

A stellis lucis orta in te accendit lucernam corporis lux mundi, per quod invenit imaginem suam, quam iterum renovavit in priorem modum, propter quod intercede, ut et nos renovet a vetustate peccatorum.

Epinicium et novum canticum semper in excelsis cantate regi Christo, popule fidelium.

Qui venit illuminare electam sanctam Ecclesiam eamque coronavit per sanctam crucem suam, ei gloriam cantate.

Hodie et nos celebremus nuptias sanctae crucis, et Redemptori referamus gloriam et honorem in saecula.

Alleluja. Alleluja.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis. Laudate Deum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Lectio libri Numerorum. (17, 1—9.)

Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: — et receperunt singuli virgas suas.

Lectio Isaiae prophetae. (11, 1—5.)

Et egredietur virga de radice Jesse — fides cinctorium renum ejus.

Lectio Actuum Apostolorum. (10, 34—48.)

Aperiens autem Petrus os suum — ut maneret apud eos aliquot diebus.

Lectio epistolae Pauli primae ad Corinthios.

Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia — sermonum. (1. Cor. 12, 28.)

Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus — dividens singulis prout vult. (1. Cor. 12, 5—11.)

Alleluja. Alleluja.

Laudate Dominum in sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Lucam. (9, 1—6.)

Dominus noster Jesus Christus. Convocatis autem duodecim Apostolis — et curantes ubique.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe tertium doctoratus gradum cum potestate a Spiritu Sancto, ut delinquentes ad poenitentiam revoces, qui scienter vel ignoranter in laqueos maligni inciderint, et eos ab omnibus malis eripias et convertas, ut filius prodigus conversus est, et remittas eis omnia peccata eorum, et restitues illis stolam primam. Et tu cum apparuerit princeps pastorum, percipies immarcescibilem gloriae coronam.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit tertius gradus doctoratus.

Et deinde incipit quartus gradus.

Eunt ad meridionalem partem et dicunt:

Beati sancti Apostoli, vocati ab initio et electi ab utero, servi et amici et testes Dei Filii, intercedite apud Dominum pro animabus nostris.

Qui accepistis potestatem super genus humanum ligandi atque solvendi in coelo et in terra, solvite nos a vinculis peccatorum nostrorum.

Socii effecti crucis Christi et cum eodem regnantes, in secundo adventu ejus sedebitis judices, veniam largimini et nobis peccatoribus.

Prophetam Excelsi et regis militem, qui et maximus vocatus est inter natos mulierum, benedictionibus spiritualibus honoremus.

Unigeniti praecursorem et clamantis vocem, qui in utero Christum praedixit, benedictionibus spiritualibus honoremus.

Deserti habitatorem et gratiae praeconem, qui etiam in inferno redemptionem praedicavit, benedictionibus spiritualibus honoremus.

Hodie laetantes festum celebrant coelites cum hominibus, participes facti nostrae redemptionis, nam apparuit nobis spiritualis thesaurus lucis, orientalis solis radius, sanctus Nerses: per intercessionem ejus, Domine, dona pacem Armeniae.

Hodie iterum renovata est virga sacerdotalis, pulchre florens splendore, nam donatus est a pastore bono rationali gregi, e radice Illuminatoris germen egressum, sanctus Nerses, per intercessionem ejus Domine firma potestatem patriarchalis throni.

Hodie magna gloria exsultat regale baculum de reconciliatione amoris sancti patriarchae, nam advenit in adjutorium legislator regum, commilito ordinis militaris sanctus Nerses, per intercessionem ejus Domine exalta potestatem regii throni.

Similis Moysi Dominus doctor ferens librum legis in terram Armenicam, per quem illuminatae sunt gentes filiorum Thorgam. Nam ille dignus factus est stare in sinaitica glorificatione, et accipiens praecepta viva dabat Israelitarum turmae, quibus illuminatae sunt gentes filiorum Jacob. Nunc deprecamur tuam clementiam, Domine doctor, intercede apud Patrem coelestem pro nobis tuis cultoribus, nam per te illuminati sunt pueri Ecclesiae. Patriarcha sancte et illibate, et electe ab utero, mirabilium patrator, testis et decus generis humani, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Pastor spiritualis rationalis gregis, illuminator orbis terrarum, columna lucis erecta in medio Ecclesiae, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Firmamento fidei, corona et caput Ecclesiae, splendidus praeco orbis terrarum, et decus generis humani, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

In templo tuo sanctitatis veneramur tuas reliquias, glorificamus diem memoriae obitus tui, apud Christum intercede pro nobis tuis cultoribus.

Congregati sancti patriarchae invitatione Spiritus Sancti, iterum fundaverunt apostolicam praedicationem super petram fidei, fundamenti sanctae Ecclesiae. Qui gladio Sancti Spiritus fortiter pugnantes fugaverunt contrarium errorem haereticorum sicut pastores boni repulerunt lupos a grege ovium; et fidem sanctae Trinitatis ubique praedicaverunt in ecclesiis orthodoxis, credere in Patrem et Filium et Sanctissimum Spiritum.

Spiritus vere, qui divina mandata tua, prophetiam David, implevisti, potando discipulos pinguedine tua in sancto coenaculo, miserere.

Qui missus es a Patre vivificus rivus et lux vera, dare bibere per haec filiis Sion torrentes voluptatis, miserere.

Qui implevisti desiderium appetitus cordium eorum, qui expectantes permanserunt magnum adventum tuum in sancto coenaculo, miserere.

Natum a Sancta Virgine accipiamus in corda nostra cum fide, sicut olim in ulnas suas Simeon.

Benedicamus missum a Patre, qui propter nos pannis involutus est, et nos redemit a maledictione Adae.

Laetare deserta sitiens et floresce fide beatitudine deinceps, nam Christus spes apparuit gentibus.

Hodie laetantes exsultant multitudines terrae, in nuptiis sanctae Ecclesiae, nam datus est nobis pontifex in aeternum, ad illustrandam catholicam sanctam Ecclesiam, gloria adventui tuo Domine.

Hodie lucis columna umbra facta est nobis ab Excelsis, nam rex coelestis advenit in sanctam Ecclesiam et angelorum exercitus effusi festum celebrant cum hominibus, gloria adventui tuo Domine.

Hodie verus pontifex, divina lege honoratus, erigit quadrangulam mensam crucis, decenter sacrificans distribuit corpus et sanguinem Domini.

Pure accedite, redempti novi populi, et petite a Christo, ut largiatur eum nobis in longitudinem dierum.

Alleluja. Alleluja.

Emittis Spiritum tuum et creas ea, et renovas faciem terrae. Benedic anima mea Domino, Domine Deus magnificatus es vehementer.

Lectio e quarto libro Regnorum. (4. Reg. 2, 9—15.)

Cumque transiisent, Elias dixit ad Eliseum — adoraverunt eum proni in terram.

Lectio Isaiae prophetae. (6, 8—10).

Et audivi vocem Domini dicentis — et sanem eum.

Lectio Malachiae prophetae. (2, 5—7.)

Haec dicit Dominus: Pactum meum — quia angelus Domini omnipotentis est.

Lectio Actuum Apostolorum. (1, 21—26.)

Oportet ergo ex his viris — et annumeratus est cum undecim Apostolis.

Joannis Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Joan. 4, 1—6.)

Carissimi, nolite omni spiritui credere — in hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.

Petri (sic!) Apostoli ad Timotheum primae epistolae est lectio. (1. Tim. 3, 9—16.)

Fidelis est sermo et omni acceptione dignus — et eos, qui te audiunt.

Alleluja. Alleluja.

Qui facis angelos tuos spiritus: et ministros tuos ignem urentem. Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Joannem. (Joan. 10, 14—16.)

Dominus noster Jesus Christus dicit: Ego sum pastor bonus — et unus pastor.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe, fili, etiam quartum gradum doctoratus, et animadverte, quid te vocaverit propheta Isaias, cum dixit: Vox clamantis in deserto. Idcirco oportet te primo peccatoribus, ignorantibus et infidelibus praedicare;

secundo intrepide praedicare; tertio audacter et sine personarum acceptione praedicare; quarto aperte et dilucide praedicare; quinto cum sapientia et scientia praedicare; sexto corripere, arguere et consolari; septimo in desertis et praeruptis locis praedicare, h. e. omnibus qui desolato et afflicto sunt animo. Et Dominus noster Jesus Christus illuminet oculos mentis tuae, ut fulgeat in te lumen scientiae, et dicaris a Domino lux mundi, et non sit in te pars ulla tenebrarum, sed sis lucidus totus, et sicut sol oriaris in regno coelorum cum omnibus sanctis, juxta promissa Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Per sanctam crucem. Custodi. Pater noster.

Explicit quartus gradus doctoratus.

Et incipit quintus gradus doctoratus

et quidem in eodem loco.

Et dicitur hymnus :

Incessabiles in coelis benedictores Patris coelestis, exercitus lucigenarum, intercedite pro nobis peccatoribus.

Dulci voce laudatores Filii unigeniti, ordines angelorum, intercedite pro nobis peccatoribus.

Incessabili sono laudatores spiritus veritatis turmae spirituum, intercedite pro nobis peccatoribus.

Voce ter Sanctus dicente laudatores sanctae Trinitatis, turbae Seraphim, intercedite pro nobis peccatoribus.

Qui lucem ineffabilium gratiarum divinae tuae scientiae splendescere fecisti in terra Armeniorum, clemens Pater coelestis miserere nobis peccatoribus.

Qui elegisti ab utero purum spiritu sanctum Nersem, ut haereditet sortem paternam, ut regat cum rectitudine et justitia.

Qui per legem veritatis ornavit Ecclesiam, administrans cum pietate, per preces ejus respice super nos Christe.

Repletus es divina gratia sancte Asceta Domine David, et nomen bonitatis tuae ascendit ad coelos gaudium angelorum et in mundo universo jubilatio est hominum.

Acquisiisti tibi nomen bonitatis in conversatione austeritatis, o Jacob.

Vicisti inimicum per crucem Christi, replesti gaudio universum orbem terrarum, et per preces tuas apud Deum factus es nobis adjutor.

Dedisti corpus tuum cum anima tua redemptionis pretium et per crucem et sanguinem intrasti regnum; recepisti potestatem intercessionis, roga Deum, ut salvet nos a meridiana destructione.

Per poenitentiam salvata est urbs Ninive, τό audire vocem Prophetae factum est remissio peccatorum.

Pervenit verbum ad regem, mandatum datur populo, τὸ audire vocem Prophetae factum est remissio peccatorum.

Ex oribus infantium lactentium clamabant ad regem coelorum pro auxilio, τό audire vocem Prophetae factum est remissio peccatorum.

Roseus ardens flos in neoplantato horto, luce ornatus apparuisti o beate Cyriace, pro nobis intercede apud Christum, Redemptorem nostrum.

Columba suaviloqua, blandiloqua cum Domino Jesu, sanguine torrentium instar tincta; germen aureum, tenerellum, pro nobis intercede apud Christum, Redemptorem nostrum.

Rabboni doctoris racemus suavis sanguine expressus, coronatus es a Christo cum beatis martyribus, pro nobis intercede apud Christum, Redemptorem nostrum.

Tu decus sanctae fidei, lucis corona Ecclesiae, mater cum filio laetans hodie, o beata sancta Julida, pro nobis intercedite apud Christum, Redemptorem nostrum.

Quando fidit Moyses baculo, crucis symbolo, fissa est abyssus et duxit eos inexplicabilis lux.

Et lignum crucis tuae, vitam praebens virga virtutis, apparuit mundo; venisti voluntarie ad crucem propter creaturarum redemptionem.

Intellectualis rationalis tabula inalterabilium litterarum Mosaicae legis, quae Deum omnium realiter in ulnas tuas, Maria: laudante voce canimus tibi cantica benedictionis omnibenedicta inter mulieres.

Hodie fons scientiae emanavit a sancto coenaculo, a quo repletus est orbis terrarum per decursus fluviorum irrigatione.

Hodie descendit in terram Patris Evangelium de Excelsis, dare evangelium Adae, reverti in Eden iterum.

Hodie exsultat nova Sion cum filiis suis, quos peperit, Spiritus unctione renovatis in filios lucis et diei.

Hodie cum voce laudationis Spiritum cum Patre et Filio spiritus omnes benedicite, trishagion canentes.

Hodie exsultamus et nos terrigenae de adventu coelesti, et choreas agentes cum angelis cantamus gloriam in Excelsis.

Hodie exsultant coelites et choreas agentes in Excelsis cantant cantica spiritualia in die nativitatis „Sanctae" (h. e. Mariae).

Hodie superna Sion clamat canticum Seraphim, trishagion dicens; in die nativitatis Sanctae.

Hodie stellae et luna cum sole exsultantes laudant lucem a Patre, in die nativitatis matris lucis.

Hodie senes legis cum filiis novae Sion, juvenes et virgines jubilant propter nativitatem Dominae.

Hodie Apostolorum turma et prophetarum chorus in die nativitatis matris Verbi cantant gloriam in Excelsis.

Ineffabilis currus *), imperscrutabilis mysterii receptaculum, o sancta quadriga, a Seraphim alas agitantibus, semper velantibus invisibiliter cum timore honorate, te adoramus, in adjutorium nostrum festina in oriente et in occidente.

---

*) H. e. Crux. Zacharias 6. it. 4, 2. R.

Invincibile signum, insuperabilis virtutis receptaculum, o sancta quadriga, in terrorem seditiosorum apparuisti, qui a te perterriti, trementes et perturbati in abyssum praecipitati perierunt, te adoramus etc.

Primum te vidit propheta Zacharias candelabrum aureum luce septemplici splendens in terra, o sancta quadriga.

Et supra te extensa est immaterialis existentia*) in nostram effecta naturam, et fontium instar manante latere purificavit squalorem generis humani, te adoramus etc.

Alleluja. Alleluja.

Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrae; commota est et contremuit terra.

Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Deum, et intendit mihi.

Lectio libri Exodi. (4, 1—12).

Respondens Moyses ait — quid loquaris.

Lectio Jeremiae prophetae. (1, 4—12).

Et factum est verbum Domini ad me — super verbo meo ut faciam illud.

Lectio Isaiae prophetae. (58, 1—2).

Clama fortiter, ne cesses — non dereliquerit.

Lectio Actuum Apostolorum. (9, 13—20).

Respondit autem Ananias — quoniam hic est filius Dei.

Pauli Apostoli ad Ephesios epistolae est lectio. (Eph. 6, 10—17).

De caetero fratres, confortamini in Domino — et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Alleluja. Alleluja.

Illuxerunt coruscationes tuae orbi terrarum; vidit et contremuit terra.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (16, 13—19).

Dominus noster Christus.

Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi — erit solutum et in coelis.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe quintum gradum doctoratus, et audi ejusdem sacriloqui prophetae Isaiae dicta: Parate viam Domini, recte facite semitas Dei nostri. Ideo tu quoque libenter para viam Domini cum lege et fide in animis et in corporibus fidelium. Et juxta laborem et merita tua dignus eris possidere locum jam promissum a Domino dicente: Ubi ego sum, ibi et minister meus erit; propterea in ejusdem amorem continuo mentem tuam excita. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit quintus gradus doctoratus.

**) H. e. Christus homo factus crucifixus est. R.

Et incipit sextus gradus doctoratus

et quidem in eodem loco.

Et dicitur hymnus:

O beate Domine sancte Gregori, sanctitatis serve, et antistes rationalis gregis, te habemus intercessorem apud Jesum Unigenitum et deprecatorem pro sodalibus tuis, praeveni, pete remissionem peccatorum pro iis, qui a te edocti sunt. Princeps fidei et illuminator animarum nostrarum Domine sancte Gregori (sive S. D. Gregorius), venite fideles per eum referamus Deo laudem.

Magnus confessor Christi et passiones in se suscipiens propter nos Dominus sanctus Gregorius, venite illuminati per eum referamus Deo laudem.

Pontifex Dei et relator divinae legis Dominus sanctus Gregorius, venite edocti ab eo cantemus gloriam in Excelsis Deo.

Qui luce divina verbi decorasti Ecclesiam, et tenebras ignorantiae depulisti a spiritibus humanis, o Domine sancte Gregori, intercede pro nobis apud unigeniti Verbi Patrem.

Qui consubstantialem naturam indivisam Trinitatem revelasti Ecclesiae confiteri unitate, o Domine sancte Gregori, intercede pro nobis apud unigeniti Verbi Patrem.

Qui salutiferam dispensationem incarnati propter nos docuisti unam e duabus novam conjunctionem admirabilem, o Domine sancte Gregori, intercede pro nobis apud unigeniti Verbi Patrem.

O beate et pie Theodosi, magne rex, intercede pro nobis apud regem coelestem, ut remittat nobis peccata nostra.

Qui adorator es Christi et fundator sanctae fidei, intercede pro nobis apud regem coelestem, ut remittat nobis peccata nostra.

Qui regum es in terra decus et in coelis coronatus, intercede pro nobis apud regem coelestem, ut remittat nobis peccata nostra.

Decus Ecclesiae et gaudium angelorum, o sancte pater Antoni, preces nostras semper offer sanctae Trinitati.

Qui in corpore es et incorporeorum tulisti in te mores, o sancte pater Antoni, preces nostras semper offer sanctae Trinitati.

Calicem spiritualem replesti divino gaudio, o sancte pater Antoni, preces nostras semper offer sanctae Trinitati.

Admirandus ignis Deitatis tuae, Domine, dilatatus est in universum mundum et incensus (ardens) consumpsit errorem protoplasti, nam omnes revocavit a morte ad immortalitatem.

In vinea tua immortalitatis gustaverunt sancti Apostoli, et repleverunt orbem terrarum laeto nuntio sanctae resurrectionis, ut cum iis digni efficiamur aeterni gaudii.

Qui ignem Deum in utero tuo recepisti et ineffabili modo peperisti vivificatorem omnium, mediatricem te habemus, quae benedicta es in mulieribus.

Idem et similis Patri et Filio Spiritus, non facte, et consubstantialis, emanatio Patris modo imperscrutabili, accipiens *) a Filio modo ineffabili, in coenaculum hodie descendisti, spiritum tuum gratiarum tuarum bibendum dedisti, pota et nos misericorditer a poculo tuo (tuae) sapientiae.

Rerum creator, qui ferebaris super aquas, idem super aquas baptisterii es, ut gratias nobis largiatur tuus consubstantialis.

Foves amore in forma columbae homines, cognosceris in forma Dei, pota et nos etc.

Rabboni (magister) intelligentiarum superiorum et inferiorum horum sensibilium, qui prophetas das e pastoribus **), et Apostolos e piscatoribus ***), nuntios tuos facis publicanos ****), et verbi tui praecones tuos persecutores †), pota et nos etc.

Lux, qui a Patre missus es, quando descendisti de coelo et incarnatus es in Sancta Virgine, tu es Agnus Dei et Filius Patris.

Hodie a Vidua oblatus es redemptor et a Magis adoratus; et pastores videntes te dixerunt: Tu es Agnus Dei et Filius Patris.

In similitudine columbae videns Spiritum Sanctum Joannes exclamavit: hic est Agnus Dei et Filius Patris.

Incorruptibilem sanctam crucem benedicamus, quae facta est dux latronis et legis nobis via, qui (quae) monstravit nobis per eam intrare portam „horti facti ab increato" (h. e. Paradisi).

Clavis regni data es terrigenis hominibus, inde a primi gustatione lapsi ab aeterna vita, qui monstr.

In forma virgae apparuisti Aegyptiis, demonstrans virtutem sanctae crucis, devorans virgas ††) maleficorum, qui monstr.

Symbolum illita es superliminaribus †††) portarum eorum, intrepidum custodiens populum a primogenitorum exterminatione; qui monstr.

Apparuisti similis laterculis lapis pretiosus in forma crucis, findens mare rubrum, conducens populum per columnam nubis lux inseparabilis, quae monstr.

Alleluja. Alleluja.

Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Exsultate justi in Domino: rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

---

*) Quia de meo accipiet. Joan. 16, 14. R.
**) Amos. Amos 1, 1. R.
***) Marc. 1, 16. 17. R.
****) Matthaeum. Matth. 9, 9. Marc. 2, 14. Luc. 5, 27. R.
†) Paulum. Act. 9. R.
††) Ex. 7, 11. R.
†††) Ex. 12, 22. R.

Lectio libri Deuteronomii. (Deut. 31).

Et praecepit Moyses Josue filio Nun et dixit: Confortare et esto robustus: tu enim judicabis filios Israel, in terra, quam daturum se iis promisit Dominus, et hic erit tecum. Josue vero filius Nun — praecepit Dominus Moysi. (Deutr. 34, 9). Et factum est post mortem Moysis — dabo filiis Israel Josue. (Josue 1, 1—2).

Lectio Ezechielis prophetae. (Ez. 3, 17—21. Conf. 33, 7—9).

Haec dicit voluntatem faciens Dominus: Fili hominis — animam tuam liberasti.

Lectio Actuum Apostolorum. (18, 7—11).

Et migrans inde, intravit in domum cujusdam, nomine Titi Justi — docens apud eos verbum Dei.

Jacobi Apostoli in Catholicis epistolae est lectio. (Jac. 1, 26—27).

Si quis autem putat se religiosum esse — ab hoc saeculo.

Pauli Apostoli in Catholicis (sic) epistolae est lectio. (Coloss. 1, 24—29).

Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis — quam operatur in me in virtute.

Alleluja. Alleluja.

Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini coeli firmati sunt: et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Marcum (6, 6—13).

Dominus noster Jesus Christus.

Et circuibat castella in circuitu docens — et ungebant oleo multos aegros.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe et sextum gradum doctoratus, et tecum reputa, quid de hoc gradu idem propheta Isaias praescribat cum dicit: Ascende in montem excelsum evangelizans Sion, h. e. ascende in verticem et in culmen omnium excelsarum arduarumque virtutum, et sic praedica verbum. Et tu sic faciens dignus fies ineffabilibus bonis coelestibus, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, et habebis mercedem plenam cum omnibus sanctis, per gratiam Christi Dei nostri. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit sextus gradus doctoratus.

Et incipiunt septimum.

Et revertuntur a parte meridionali, et eunt ad partem septentrionalem.

Et dicunt hymnum:

Amoris immortalis et coelestis sancti sponsi Ecclesiae paranymphus et invitator missus es sponsae filiae regis, apud Christum intercede.

Doctori orbis terrarum disposuisti tuos discipulos et lucem nocturnae lucernae tui verbi splendidissimo soli evangelii, apud Christum intercede.

Dominicae sanctae legis factus es praeco ad legis praevaricatores et propterea traditus carceri et vinculis furore Herodiadis, apud Christum intercede.

Discipuli Christi et in mundum universum missi, intercedite apud Dominum pro nobis.

Qui accepistis mandatum praedicandi intrepide verbum vitae in mundo, interc.

Qui digni facti estis videre in corpore Christum manifeste, interc.

Qui misisti praecursores tui adventus sanctos Apostolos, evangelizare descensum tuum e sinu Patris ad salutem gentium, per intercessionem eorum Christe respice in nos.

Qui humiliasti te ab ineffabili gloria, Fili Dei, et venisti, ut impleantur prophetarum praedictiones ineffabili mysterio, per intercessionem eorum Christe respice in nos.

Qui solvisti per vivificam mortem tuam timorem mortis, descendens ad inferos eduxisti tecum animas justorum prophetarum in lucem sine umbra, per intercessionem eorum Christe respice in nos.

Qui ornasti speciosae gloriae decore sanctam Ecclesiam, coronasti eam cum Apostolis et prophetis, et confirmans muniisti eam per sanctos reges, per intercessionem eorum Christe respice in nos.

Qui armis virtute spiritûs ardentes in bello fugarunt errores haereticorum et in vera fide confortaverunt orbem terrarum, per.

Qui largitus est, in mundo ut regnet magnus Theodosius et finiat vitam credens rectitudine, transtulisti eum hodie in regnum tuum coelorum, per.

Qui docuistis splendida cantica (carmina) spiritualia in honorem electorum ordinum superioris Sion longe superiora canticis (carminibus) in honorem regum gentium et nationum*); inaccessibilem lucem adoremus.

Ad similitudinem mysterii (conceptionis in utero beatae Virginis) verae lucis gloriae non Facti (Christi) liber vivus conceptus est in utero puro magni Mesrob, inacc.

Qui absconditum mysterium divinae dispensationis tuae revelantes, cogniti sunt similes sancto magno Moysi, inacc.

Ut in sanctis Apostolis vero amore ardentibus ita et in vobis ut fons habitabat Spiritus gratiarum, emanatio sine fine, inacc.

Qui per duos sanctos Illuminatores domus Thorgom fundasti ecclesiam Armenicam, luce intelligentiae in nobis accensa, per preces eorum respice in nos.

---

*) Hymnus de sanctis Interpretibus. R.

Evangelista magnae Armeniae currens in medio terrae, in septentrione, ventus meridiei in campum floridum promptus, sancte Sarkis, planta immortalitatis, intercede pro nobis apud Dominum.

Apostolicis armis incensus intrasti in magnum certamen valoris. Martyr cum filio tuo, ad gloriam martyrii promptus, sancte Sarkis et martyr magne, coronati intercedite apud Dominum pro nobis. Superiorem honorem recepisti ab exaltato Verbo, interc.

Perficiens vota, audiens preces, prompte (velox) sancte Sarkis, daemonum expulsor, interc.

Qui thronas super Seraphim scintillantibus, alis faciem velantibus, hodie in coetus hominum ineffabili amore effusus es de coelis, benedictus es Sancte Spiritus Dei.

Qui ab igneorum (angelorum) linguis Trishagion canentium glorificaris, hodie in labia terrigenarum ignem dispergens effunderis de coelis, benedictus es Sancte Spiritus Dei.

Qui igniformibus (angelis) splendidissima flamma appares, hodie terrigenis igneum poculum effunderis de coelis, benedictus es Sancte Spiritus Dei.

Principii expers Deus, indicibilis immensa virtus, qui ab aeternis principiis curam habuisti filiorum Adae, praecipue hodie gratiâ fulgens apparuisti per nativitatem matris Unigeniti tui electi, per prec.

Qui ex nihilo per verbum produxisti mundum universum, hodie clemens secundum dispensationem in Anna posuisti fundamentum novi mundi, per.

E sterili terra hodie germinavit nobis fertile germen bonum, lilium convallium, flos campi, mater unica Maria, radix plantae immortalitatis, per prec.

Supra petram fidei fundamentum Apostolorum et prophetarum aedificasti tuam sanctam Ecclesiam, et in ea aggregati sunt homines angelis, glorificando sanctam tuam Trinitatem. Locus refugii et coetus gregis rationalis, habitaculum angelorum, portus justorum et peccatorum expiatorium, ornatum per Apostolos et prophetas.

Verbum Deus et absconditum mysterium a saeculis, qui descendit de coelis incarnatus est de Virgine, crucifixus in terra et sepultus est in novo sepulcro, et resurrexit tertio die, ut prophetarum dicta impleret.

Alleluja. Alleluja.

Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Dominus regit me et nihil mihi deerit.

Lectio libri Exodi. (7, 8—12).

Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron — virgas eorum.

Lectio Isaiae prophetae. (52, 7).

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis — Deus tuus. (Is. 2, 7).

Quaesierunt me — in via non bona. (Is. 65, 1—2).

Lectio Actuum Apostolorum. (13, 1—5).

Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae — praedicabat verbum Dei.

Joannis Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Joan. 1, 1—5).

Quod fuit ab initio — et tenebrae in eo non sunt ullae.

Pauli Apostoli ad Timotheum secundae epistolae est lectio.

Tu autem assecutus es — persecutionem patientur. (II. Tim. 3, 10—12).

Tu ergo fili mi confortare — in omnibus intellectum. (II. Tim. 2, 1—7).

Alleluja. Alleluja.

Exaltavi electum de plebe mea. Et sedem seniorum hereditare faciam ei.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Marcum (sic.) (Luc. 10, 1—10).

Dominus noster Jesus Christus.

Post haec autem designavit et alios septuaginta duos, et misit illos binos — regnum Dei.

Deinde diaconus dicit: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe etiam septimum gradum doctoratus, ut possis per gratiam Spiritus Sancti adimplere opere quidquid praedicaveris ore; et fecundetur verbum efficax praedicationis tuae secundum prophetam dicentem: Exalta in fortitudine vocem tuam. Et tu semper faciens et docens, vocaberis magnus in regno Domini nostri Jesu Christi. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit septimus gradus doctoratus.

Et incipit octavus

Et quidem iterum in eodem loco, incipiunt hymnum:

Deus, qui misericordiam tuam abundantem effudisti in medio sanctorum Apostolorum tuorum, per preces eorum miserere.

Per quos dispersae sunt gratiae in universam terram, per preces eorum miserere.

Per quos illuminasti baptismo lavacri tuam sanctam Ecclesiam, per preces eorum miserere.

Coeli cives Joannes, maximus inter natos mulierum, praedicavit in deserto verbo exsequente*) ortum lucis Solis justitiae.

Verus propheta et digito monstrans Filium Dei, praecedens praecursor et relator divinae legis, praeparavit viam regis aeterni.

In iniquo convivio furibunda Herodias in doni partem petivit caput prophetae extinguens Luciferum et non extinguendam lucernam.

Qui occultum mysterium vitae incarnationis tuae, Christe, universo generi humano revelasti per prophetas, ortum lucis solis justitiae.

*) H. e. manu indicavit Messiam, quem praedicaverat. R.

Qui docuerunt Israel adorare tuam dominationem, et manifeste praedicaverunt redemptionem gentium, quando venit Messias rex Israel.

Qui templi similitudinem monstraverunt ventrem Sanctae Virginis, ubi datur nobis panis vitae immortalitatis, quem laudant incessabiliter coelestes exercitus.

Qui per gratiam Spiritus Sancti exaltasti crucem, salutiferam ab adoptione gratiam, o sancte pater Antoni, digne coelesti vocatione cum angelicis congregationibus; benedicimus semper sanctam Trinitatem.

Hodie et pueri sanctae Ecclesiae celebrant tuam sanctam memoriam, o sancte pater ascetarum, ut accipiant incorruptibile a Christo Deo nostro, ben.

Copiosa dona sursum accepisti gloriam in parte dextra Christi cum virginibus prudentibus, depostula a Christo remissionem peccatorum, ut audiamus illam vocem: Venite benedicti Patris mei, hereditate vitam aeternam.

Apparuisti quondam discipulis tuis mira visione; fulsisti in monte Thabor, et Trinae Unitatis intolerabilem lucem videntes Viventis mortui sunt. Advenientibus patriarchis in visione, petierunt a Domino dicentes: Bonum est nos hic esse. Faciamus tria tabernacula: Domino, Moysi et Eliae, et glorificemus incessabiliter Trinam Unitatem.

Deus, qui audisti clamorem Jonae in ventre ceti, delibera et me ab invisibili hoste, cum sis redemptor. Qui sedes super Cherubicum thronum. Qui elegisti tibi iterum praedicatorem Ninivitarum, deglutitum a ceto, triduano descensu in inferos; et peccatorem maximum solve a vinculis mortis ad vitam aeternam. Venisti ad redemptionem creaturarum tuarum, similis factus hominibus e pulvere formatis, peccata occidisti et mortis captivos deliberasti a peccatis. Congregati electi undecim exspectantes permanserunt promissionem Patris cum fide in coenaculo. Sanctus Spiritus apparuit Sanctis, replevit jubilatione sanctos Apostolos, cum fide. Qui biberunt ignem vivum et egressi potaverunt mundum; et potati ab iis vivi facti sunt.

Principii expers Deus Verbum, qui a Patre missus es, in tempore fieri voluisti et incarnatus es in Sancta Virgine, propter nostram salutem, hodie baptizari in Jordane a Joanne, portans transgressiones protoplasti hominis.

Tu, qui non factus es, Deus Verbum, inseparabilis a Patre, in tempore fieri voluisti et incarnatus in Sancta Virgine, Deus et homo apparuisti, hodie baptizari.

Quadriformis vitae mysterium praedicavit filius Sterilis videns Sanctum Spiritum in columbae specie descendentem super aquas, clamavit dicens: Ecce Agnus Dei, qui a Patre demonstratus est hisce verbis: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.

Beata, Deum amans, sancta Regina, veniens in urbem Jerusalem quaesivit salutiferum ortum magni splendoris, et praedicavit eis rubum ardentem, qui non comburitur; magnificans natum a Virgine.

Et cum cruciaret turmas Hebraeorum, confessus est Juda, perveniens ad locum Golgothae cum fide, et praedicavit eis portam, per quam ingressus est Verbum Deus; magnificans natum a Virgine.

Et exaltans vocem Juda petiit a Domino desiderandum omnibus sanctam crucem, et cum fide clamavit: Venite adoremus divinam sanctam crucem; magnificans natum a Virgine.

Alleluja. Alleluja.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Lectio e Proverbiis (sic). (Sapientia 1, 5—7).

Spiritus enim Sanctus — scientiam habet vocis.

Lectio libri Job. (28, 12—28).

Sapientia vero ubi invenitur — et recedere a malo, intelligentia.

Lectio Ezechielis prophetae. (34, 1—6).

Et factum est verbum Domini ad me — non erat, inquam, qui reduceret.

Lectio Actuum Apostolorum. (20, 28—32).

Attendite vobis, et universo gregi — et dare haereditatem cum sanctis omnibus.

Petri Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Petr. 5, 1—4).

Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro. consenior — immarcescibilem gloriae coronam.

Pauli Apostoli ad Timotheum primae epistolae est lectio. (1. Tim. 5, 17—22).

Qui bene praesunt presbyteri — te ipsum castum custodi.

Alleluja. Alleluja.

Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Joannem. (20, 19—23).

Dominus noster Jesus Christus:

Cum ergo sero esset, una sabbatorum — retenta sunt.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe etiam octavum doctoratus gradum, et induat te virtus Christi, ut fias tamquam petra immobilis adversus portas inferni, audacter praedicans, nec timens mortem. Noli aucupari gloriam ab hominibus, nec munera accipere, nec personas. Ne conniveas, neque ministerium negligas, sed confortare illo dicto prophetae; Exultate et nolite timere. Haec faciens adimplebis infallibile illud Domini: Quod vobis dico, omnibus dico; et conscribetur nomen tuum inter beatos choros Apostolorum in libro vitae. Amen.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit octavus gradus doctoratus.

Et incipit nonus,

iterum in eodem loco.

Et dicitur hymnus:

Qui fecisti virtute intellectualium mundum superiorem, et in eo constituisti villicum angelorum principem, benedicimus inaccessibiles virtutes.

Qui ut dominus dives formasti mundum secundum sensibilem, et in horto novo Eden villicum posuisti hominem primum, benedicimus inaccessibiles virtutes.

Qui modo sublimiore aedificasti Ecclesiam tuam mysterio, et in ea disposuisti villicum praedicatorem verbi veritatis, benedicimus inaccessibiles virtutes.

Immensi tentorium*), portans portatorem entium, quae peperisti cum corpore incorporeum natum Patris, intercede pro nobis Deipara Maria.

Qui in throno gloriae sedes Verbum Deus, descendisti e sinu paterno et accepisti corpus a Virgine, exaltando in locum praecipitati terrenam naturam.

Qui fixisti crucem tuam in terra, et per eam seraphicas portas aperuisti protoplasto, vivificando a gustu mortiferi fructus.

Et per virtutem crucis tuae, Christe, fundasti catholicam Ecclesiam, habitaculum sanctae Trinitatis, illustrando in ea gentes renascendas.

Scaturigo lucis atque radius, inextinguibilis lux, qui in te suscepisti lavare pedes discipulorum, repelle a nobis caliginem tenebrosam cogitationum et illumina nos.

Qui per corpus et sanguinem tuum monstrasti remissionem peccatorum, qui semper sacrificaris a nobis modo incruento, repelle.

Qui moriturorum a gustu protoplasti expiatorium novum sacrificium (missam) monstrasti post primum tuum (in cruce), repelle.

Qui digni facti estis vocari ad doctrinam Apostoli Thaddaei, et igne divino purificationis aurum probatum inventi estis in habitaculis angelorum, o beati sancti Oschiani (Vosgeank) intercedite apud Dominum, ut nos purget a peccatis nostris.

Qui perpetua confessione praedicastis Christum in portis Reginae**), baptizando bonos heroes in fontibus Ephrata, in floribus ornato splendore, o beati etc.

Qui invincibiles permansistis in adulationibus filii regis, passi propter Christum, velociter jugulati estis sacrificium acceptabile, o beati etc.

Qui consimilis magno Eliae et Joanni Baptistae habitasti in deserto angelicis moribus austere vivens, in spinosis ramis flos rosarum suavem odorem Christi ferens vitae ad vitam redemptorum, o beate sancte Ephrem, apud Christum intercede pro nobis te colentibus.

Qui e coelestibus rivis Spiritûs bibisti torrentes gratiarum, sicut in coenaculo Apostolorum chorus ex igneis linguis, quos copiose porrigens ad bibendum profudisti in orbe terrarum, ut biberent animae sitientes, o beate.

Tu, per quem plantatae a Deo intellectualis animae arboris vitae racemus fructificavit, a quo nutrivisti semperque nutris pueros Ecclesiae, regni coelorum scriba et doctor Veteris et Novi Testamenti, o beate.

---

*) H. e. Uterus Beatae Virginis. R.

**) Satinig; Ardavasd etc. vide Auctores historicos. R.

Venite illuminati pueri thalami, docti per eum verbum veritatis, cum **exsultatione celebremus memoriam doctoris Ecclesiae, qui cursu consummato** hodie translatus est ad tabernacula a Deo fabricata, ad primogenitorum spirituum ordines, ut pro nobis apud Dominum semper intercedat, ut donetur nobis expiatio transgressionum.

Gratias agentes glorificamus te Christe Rex gloriae, qui elegisti divinae tuae legis praeconem sanctum Ephrem, qui creditam sibi a te pecuniam Verbi commisit numulariis, spiritibus filiorum hominis, per preces ejus dignos fac nos glorificare sanctam Trinitatem in aeternum. Amen.

Qui consubstantialis es Patri et Filio, ineffabili modo emanatio ab eo, qui semper est, hodie emanasti aqua viva e Jerusalem, Spiritus Dei, miserere.

Qui creator es cum Patre et Filio, per quem vivae natae sunt ex aqua creaturae, hodie filios Dei generas ex aqua, Spiritus Dei miserere.

Qui conglorius es Patri et Filio et perscrutaris profunda Dei, hodie sapientes fecisti stultos mundi, Spiritus Dei miserere.

Sanctam Deiparam benedictionibus magnificemus. Nuntium ferens angelus nuntiavit nascendum Redemptorem e Sancta Virgine dicens: Ave, gratiâ plena, nam Dominus dominantium tecum est.

Lignum vitae, quod pro mortifero fructu Christum produxisti, muniens custodi congregationem fidelium.

Per te aperta est nobis via ligni vitae seraphicâ custodiâ, muniens.

Per te liberatus est protoplastus a gustu fructûs, et te adorant omnes fideles, muniens.

Alleluja. Alleluja.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum. Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Lectio Zachariae prophetae. (12, 6—10).

In die illa ponam duces Juda — spiritum gratiae et clementiae.

Lectio Isaiae prophetae. (45, 1—4).

Haec dicit Dominus uncto suo Cyro — vocavi te nomine tuo et elegi te.

Lectio Actuum Apostolorum. (28, 25—31).

Cumque invicem non essent consentientes — sine prohibitione cum omni fiducia.

Petri Apostoli in Catholicis primae epistolae est lectio. (1. Petr. 3, 13—20).

Et quis est, qui vobis noceat — octo animae salvae factae sunt per aquam.

Pauli Apostoli ad Timotheum secundae epistolae est lectio. (2. Tim. 1, 6—14).

Propter quam causam admoneo te — qui habitat in nobis.

Alleluja. Alleluja.

Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam. Elevaverunt flumina fluctus suos.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii **Jesu Christi secundum Matthaeum (5, 13—16).**

Dominus noster Jesus Christus dicit:

Vos estis sal terrae — et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est.

Deinde diaconus dicit: Atque etiam **pacis. Benedic Domine.**

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe nonum etiam gradum doctoratus, et habeto potestatem a Christo eundi et praedicandi per universum orbem terrarum et evangelizandi primum et ultimum adventum ejusdem Christi Dei nostri, juxta illud prophetae: Dic civitati Juda, esse Deus noster, ecce Dominus, Dominus cum virtute venit et brachium cum dominatione sua. Nos autem petimus ab optimo et invicto nostro pastorum principe Christo, ut praestet tibi dilatationem cordis et fortitudinem in omnibus, ut custodias gregem Domini, et dirigas eum in beneplacito Dei et perducas in adultam aetatem plenitudinis ejusdem Christi, et inveniaris in conspectu Domini operarius sine pudore, et servus fidelis, a quo principatum accipias decem civitatum, et remunereris a Christo Deo nostro. Amen. Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Explicit nonus gradus doctoratus.

Et incipit decimus gradus doctoratus.

Veniunt in Adcan et incipiunt communem ordinem divini officii et dicunt: Lzak aravodu *usque ad* Norasdiegzjeal. *Et deinde sedet major Vartaped in throno et dicit praeconium praescriptum ad discipulum. Et praeconio finito incipiunt hymnum:*

Qui est ab essentia, Filius semper ab eo qui est, non factus, Natus Patris, quem de sursum sonare fecerunt filii tonitrui, et revelarunt filiis hominum absconditum mysterium.

Verbum principii expers e Virgine principium accipiens, in terra corporaliter apparuit, quod viderunt praecones veritatis et demonstraverunt orbi terrarum Deum et hominem.

Realiter Verbum Deus unitum est in corpore; immutabile existens ab essentia; quod oculis viderunt filii tonitrui et semper praedicaverunt Verbum caro factum.

Hodie coelestes deorsum descendentes celebrant cum terrestribus memoriam sanctorum Apostolorum Christi, qui aggregaverunt **homines angelis, glorificande sanctam Trinitatem consubstantialem.**

Hodie aggregati sunt choro Superiorum filii novae Sion **in memoria linguarum ignearum,** cum **quibus** facti **sunt induentes** Christum, glorif.

Hodie sacerdotes et ministri sanctae Ecclesiae solemniter celebrant memoriam eorum, qui lucem fecerunt lucere, quibus mundati sunt unctione **Sancti Spiritus, glorif.**

Prophetarum summe et maxime inter natos mulierum, qui dispensationem Dei Filii in ventre cognovisti per Spiritum, deprecare pro pueris Ecclesiae.

E ventre (Elisabeth) in ventre (Mariae) adorator Christi, qui ignem Deum cum nostra natura baptizasti in Jordane, depr.

Plenitudo legis et primum initium gratiae, qui spiritibus in inferno praedicasti redemptionem per adventum Christi, depr.

Radix vera divinae legis et fundamentum fidei generis humani sancte Gregori, in supplicibus precibus tuis pete pro nobis a Domino.

Electe a Deo pontifex vere et pastor spiritualis rationalis gregis, Domine sancte Gregori, in suppl.

Corona decoris Ecclesiae Christi et dux vitae aeternae, Domine sancte Gregori, in suppl.

Divinae fidei patrum sanctorum confessio apparuit per te, perpetua lux Armeniae, sancte Aristages, semper intercede pro animabus nostris.

Rationalis gregis Christi electe pater bone, a Patre lucis germen procreatum bonum, Domine Vertanes, semper.

Laudande inter martyres, patri magno simillime, qui fortiter fregisti imaginem impiorum, Domine sancte Husig, semper.

Qui e radicibus patrum sanctorum nobis virgam germinare fecisti Isacum sanctum patriarcham, sequentem vestigia tua, Christe; qui depulsis tenebris ignorantiae Armeniae, scientiam oriri fecisti per eum filiis Thorkom; qui futurum mysterium tuum Domine visione Sancti demonstrasti, in memoria ejus suscipe preces festum celebrantium.

Dum elevatum est Verbum in coelum et sedit ad dexteram Patris, delectati Apostoli adoraverunt, benedicendo Patrem, missorem Verbi.

Simul congregati coetus Sanctorum in coenaculo mysterii, oculis elevatis Spiritum expectaverunt, benedic.

Repentino sonu effusus est vivificus fons vitae; immortalis vitae luce decorati sunt, qui benedixerunt Patrem, missorem Spiritus.

Hodie delectantur angeli in coelis suscipiendo a terra Matrem Verbi Dei in intellectualia tabernacula immortalium.

Hodie exsultat chorus Apostolorum videndo Dominum dominantium descendentem in occursum sanctissimae animae Matris et Virginis.

Hodie et filii Ecclesiae laetantes celebrant transmutationem Virginis de terra in civitatem superiorem Jerusalem.

Descendit Unigenitus a Patre et lux gloriae cum illo; vocibus resonavit infernus.

Vidit lucem magnam patriarcha Gregorius, narravit cum jubilatione regi ad fidem perducto.

Venite aedificemus sanctum tabernaculum lucis, nam in eo orta est nobis lux in terra Armeniae.

Alleluja. Alleluja.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Lectio libri primi Regnorum. (I. Reg. 16, 5—13).

Sanctificavit ergo Isai et filios ejus — a die illa in David et deinceps.

Lectio libri tertii Regnorum. (III. Reg. 1, 38—48).

Descendit ergo Sadoc sacerdos — videntibus oculis meis.

Lectio Cantici canticorum Salomonis. (7, 11—8, 3).

Veni dilecti mi — et dextera illius amplexabitur me.

Lectio Isaiae prophetae. (40, 1—10).

Consolamini, consolamini popule meus — et brachium ejus dominabitur.

Jacob Apostoli in Catholicis epistolae est lectio. (Jac. 5, 16—20).

Confitemini, fratres, alterutrum peccata — multitudinem peccatorum.

Pauli Apostoli ad Corinthios primae epistolae est lectio. (I. Cor. 14, 18—19. 26).

Gratias ago Deo meo, — verborum in lingua. Quid ergo est, fratres — omnia ad aedificationem.

Pauli Apostoli ad Timotheum secundae epistolae est lectio. (II. Tim. 4, 1—8).

Testificor coram Deo et Jesu Christo — qui diligunt adventum ejus.

Alleluja. Alleluja.

Spiritus tuus Sanctus et bonus deducet me in terram rectam.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (16, 13—19).

Dominus noster Christus.

Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi — erit solutum et in coelis.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam pacis. Benedic Domine.

Et Vartaped dans benedictionem, accipit baculum et dat in manum praesentati dicens:

Accipe hunc quoque gradum perfecti denarii, qui explet numerum graduum doctoratus quatuordecim: cumque impletus fueris Spiritu Sancto, exerce in Ecclesia quinque verba in sensu Apostoli, quae sunt: psallere, docere, revelare dicta Dei, linguis loqui et interpretari in aedificationem fratrum et incrementum Ecclesiae Dei. Et ipse Dominus noster Jesus Christus, qui potens est te confortare et confirmare in isto gradu, conservet te et muniat benedictione sua, et florescere faciat gratiarum suarum ubertate mentem et sensus tuos, cor et cogitationes tuas, verba et opera tua, ingressum et egressum tuum, et te sustentet forti manu et excelso brachio suo, infundens in te eam septiformis Spiritus claritatem, quam super Apostolos ignivomis linguis diffudit, ut tu pariter armatus igne divinae gratiae perfruaris, jubiles, gaudeas et exsultes intima delectatione in inexhaustis laetitiis, et potes de torrente laetitiarum Dei per hanc benedictionem. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cui gloria in saecula. Amen.

Et deinde legit ipse Vartaped evangelium.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Matthaeum. (28, 16—20).
In resurrectione Jesu Christi.
Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam — usque ad consummationem saeculi.
Et deinde legunt Sdipim.
Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Electio, examen et confirmatio episcopi.

Simulac viduata fuerit suo pastore aliqua ecclesia, omnis clerus omnesque monachi dioecesis conveniunt; principaliores ex saecularibus et patribus familias designant dignissimum, et eligunt ipsum in pastorem suffragiorum pluralitate. Mittunt deinde ipsum comitantibus nonnullis ex dignioribus ecclesiasticis et munitum necessariis testimoniis meritum ejus comprobantibus ad Catholicum, ut ratam habeat electionem ac ipsum consecret; ad ipsum scilicet solum spectat consecratio episcoporum. Catholicus statim nominat duodecim vel sex vel ad minimum tres episcopos, quibus examen scientiae ac probitatis electi committit. Episcopi ad examen deputati conveniunt in ecclesia; in medio eorum consessu ponitur codex sacrorum evangeliorum. Patriarcha admonet illos, ut posthabita omni acceptione personarum in ipso examine solam respiciant gloriam Dei, propriam conscientiam, bonum publicum et honorem Ecclesiae. Praesentat se ipsis electus, exhibens literas testimoniales. Authentia earum probata interrogatur, num habeat aetatem convenientem, quae in episcopis est annus quinquagesimus et supra; num eruditus sit in sacris canonibus; num versatus in theologia; num bene calleat sacram Scripturam; num fides ejus sit pura, orthodoxa, et conformis universae Ecclesiae Catholicae: et speciatim interrogant ipsum de mysterio incarnationis his verbis: *Confiteris mysteria Christi Jesu Domini nostri, qui est verus Deus, et fuit perfecte et inconfuse homo, incommutabiliter ac inseparabiliter ex duabus naturis, divinitate et humanitate, unus Christus et una hypostasis, a Deo Patre et ex Maria Deipara Virgine natus, unus unigenitus Filius Dei, et unus Dominus Jesus Christus? Idemque inhumanatus et natus ex sancta Deipara, crucifixus, passus et mortuus pro nobis in carne sine peccato, manens immortalis in morte, vivens et impassibilis in passione, et idem secundum unionem passus est omnia humana, sepultus est, resurrexit, ascendit in coelum et iterum venturus est etc.* Postea ipsum interrogant: *Utrum sis consentiens omnibus statutis, institutionibus et ritibus catholicae apostolicaeque Ecclesiae?* Deinde examini subjiciunt ejus vivendi modum, inquirunt ex testimoniis, utrum sit morum immaculatorum, plenus sanctitate, humilitate, misericordia erga pauperes; utrum sit castus, amans orationis et jejunii; utrum sit alienus ab avaritia, a cupiditate munerum, ab ebrietate, ab omni suspicione homicidii, fornicationis, adulterii, bigamiae etc.; utrum sit natus ex legitimo matrimonio, utrum descendat ex tribus generationibus pudicis, honestis, legalibus ex parte patris et matris etc. Postquam ipsum omnibus dotibus et iis, quae a sacris canonibus requiruntur, munitum invenerunt, approbant ipsum idque Catholico notum faciunt. Hic hora vesperarum Sabbati Dominicam ad consecrationem deputatam antevertentis descendit

in ecclesiam. semipontificalibus vestimentis se induit, se confert in thronum gestans mitram in capite, baculum pastoralem in manu, annulum in digito. Ad ipsum sedentem accedunt post multas genuflexiones, inclinationes et benedictiones sensim sensimque deputati ecclesiae viduae et postulatores novi pastoris. Quando pervenerunt ad pedes throni, Catholicus eos interrogat, qua ex causa accesserint. Respondent, se accessisse ut postulent episcopum bonum, qui ipsos gubernet. Interrogat, utrum secum habeant electum; si responderint affirmando, interrogat, utrum sit filius ipsorum ecclesiae, an alterius: utrum sit sacerdos saecularis an regularis; utrum habeat uxorem nec ne; utrum bene ordinaverit suas res domesticas, quot annos sacerdotii habeat, et quali probitatis opinione apud ipsos gaudeat. Veritate rite exposita, interrogare pergit, utrum secum attulerint literas testimoniales suae ecclesiae; quibus productis eas in publico et alta voce legi jubet. Hac lectione finita interrogat, utrum electus habeat aliquod votum, inprimis religionis. Responsione negante accepta, praesentari electum jubet. Mox praesentat ipsum dignissimus ex clero; sed antequam ad thronum accedat electus, ter genuflectit et postulat a Catholico benedictionem. Si ad thronum pervenerit, Catholicus ipsum interrogat de iisdem plane requisitis, de quibus postulatores interrogaverat, praeterea interrogat, quidnam in ejus ecclesia legatur. Veritate patefacta et certior factus, in ecclesia vacante nihil aliud legi quam sanctos libros utriusque Testamenti, dicit ipsi: *Scisne ad quid voceris?* Interrogatus respondet: *Pater sancte doce me.* Catholicus respondet dicens: *Vide fili, et observa, ut clericos temporibus statutis ordines, scilicet mense primo, quarto, septimo et decimo. Hominem, qui indignus sit, sive curialis, sive spurius, sive mancipium, ne ordines. nec ei manum imponito. Item cave, ne contamines manum tuam acceptione munerum, nec pro donis indignos promoveas. Hortamur te attendere tibi et considerare honorem, ad quem vocaris. Vide et observa, ne forte religionem voveris; nam abominatio est et contra instituta Ecclesiae, vota non reddere et ad hunc gradum appropinquare.* Promittit electus, se servaturum esse omnia, testatur, se non esse votis impeditum; deinde patriarcha ipsi promittit, se cras, si Deo placuerit et nihil obstiterit, ipsum esse consecraturum, et ex ecclesia discedit.

Consecratio episcopi.

Dominica sequente post Matutinum Catholicus comitante clero se confert in ecclesiam, adorat sacramentum, intrat sacristiam, et vestibus pontificalibus sollemnissimis se induit; similiter suas sibi sumunt vestes alii episcopi, qui ad hanc functionem venerunt; item sacerdotes, diaconi, subdiaconi et omnes alii clerici inferiores. Deinde procedunt ex sacristia hoc ordine, qui dignus est ut describatur: Primi veniunt cantores bini et bini, vestiti habitu clericali, facto ex lino vel serico, cingulo lumbos praecincti, psalteria et alios libros canticorum in manibus tenentes. Sequuntur ostiarii, simili veste clericali induti, sed non praecincti, portantes claves ecclesiae et aliqua tintinabula, vel instrumenta sonantia, et lumen sacrum vel facem patriarchalem*). Sequuntur lec-

*) Hujus mentionem facit Benedictus XIV. in sua synodo his verbis: „In ecclesia Orientali inter patriarchalia insignia numeratur fax ante eos prae-

tores, vestiti serico purpureo in forma cappae similis pluviali Latinorum, portantes codicem prophetiarum, baculum pastoralem patriarchae et aliorum episcoporum, qui veniunt cum patriarcha. Sequuntur exorcistae vestiti serico hyacintino cum manicis strictis, quae similes sunt manipulis subdiaconorum, portantes in manibus libros exorcismorum, et cruces altas. Sequuntur acolythi vestiti serico rubro, portantes cereos accensos candelabris et hastilibus argenteis impositos, ampullas vini, urceos et pelves ac manutergia ad lavandas ac tergendas manus. Procedunt deinde subdiaconi vestiti serico secundum ipsorum ordinem cum manicis strictis ac manipulis in brachio, portantes alius sacrum volumen Actuum Apostolorum et Epistolorum canonicarum, alii missalia et alios libros liturgicos, alii corporalia, vacuas patenas et calices. Sequuntur diaconi vestiti talaribus ex panno serico confectis cum stolis ex sinistro humero ante et retro pendentibus, portantes sacra evangelia et thuribula fumantia. Diaconos sequuntur sacerdotes vestiti sacris suis paramentis portantes in manibus cruces ac reliquias. Succedunt episcopi pontificalibus induti; ultimus venit magnus Catholicos, vestitus et ornatus patriarchalibus suis insigniis et circumdatus suis archidiaconis. Processio ex dextra parte ad sinistram versus sacrum altare gyrum faciens accedit, ibi circulum format, medium sumit patriarcham, qui thronum per septem gradus ascendit. Coram throno in pavimento vel supra tapetum splendidum depingitur aquila cum duabus alis expansis et pone ipsam remotius a throno insignia trium fluminum*) formantur.

Postquam Catholicos in suo throno consedit, primanus ex archidiaconis vocat alta voce cantores et ostiarios ad adorandum supremum hierarcham. Veniunt cantantes Trishagion, genuflectunt ante aquilam depictam, utramque manum in terra ponentes profundissimam inclinationem patriarchae exhibent, dicentes: *Is pota eti despota*, εἰς πολλὰ ἔτη δέσποτα i. e. *Ad multos annos, Domine.* Deinde duo ex senioribus inter eos surgunt, ascendunt thronum, osculantur patriarchae manus; ipse benedicit eos dicens: *Benedicat † vos Dominus ex Sion, is qui habitat in Jerusalem.* Benedictione accepta surgunt, recedentes ex utraque parte locum dant choris lectorum, exorcistarum, acolythorum, subdiaconorum succedentibus, qui eadem ratione veniunt vocati ad adorandum patriarcham; diaconi vero postea seorsum vocantur. Omnes exhibent

---

lata.“ (l. 2. c. 6. n. 3.). De hac face, quae praeferri solet patriarchis Graecorum, eruditus Goarius sic loquitur: „Fax patriarchae praeferri solita et in ecclesia coram illo ardens διβαμπλουλον nomen accepit, officialemque habet illi gerendae praestitutum.“ (Euchol. in episc. ordin. n. 8. pag. 260).

*) Sensus harum figurarum symbolicarum a Jacobo Goar in ritibus Graecorum, unde Armeni ipsas desumserunt, sic explicatur: „In solo, ubi ordinandus est episcopus, tres fluvios depingi; supra fluvios urbem; quam rursus supra aquilam radiis solaribus ornatam Graecos effingere, ut electum per effigies illas deductum de variis mysteriis doceant. Et in fluminibus quidem διδασκαλίαν (h. e. doctrinam) episcopo necessariam manifestant; in urbe ἱστορουμένην τὴν ἐπισκοπήν (episcopatum delineatum); et tandem in aquilae radiis τὸ θεολογικὸν καὶ κεχαριτωμένον (theologiae et gratiae dotes) volunt esse repraesentatas, ait Simeon Thessalonicensis.“ (Euchol. in ordin. episcop. pag. 256. Edit. Venet. 1730).

easdem profundas inclinationes et acclamationes, et post manus osculum benedicuntur a patriarcha verbis ut supra. Diaconis se adjungit archidiaconus, qui vocare debet ad adorandum, ascendit in thronum, osculatur manum patriarchae, et postquam benedicti sunt diaconi, omnes chori enumerati descendunt ex suggestu et in forma circuli se sistunt in medio presbyterii. Archidiaconus vocat postea sacerdotes, et primus ipsorum sive archipresbyter, post profundas adorationes ab omnibus factas, ascendit in thronum, osculatur manum patriarchae, accipit benedictionem, descendit, et cum ipso etiam omnes sacerdotes ex suggestu descendunt, se collocantes in presbyterio in suis locis. Idem archipresbyter vocat omnes episcopos ad adorationem; veniunt ipsi cantantes ut reliqui Trishagion, profundam inclinationem exhibent patriarchae, et inclinati recipiunt benedictionem, et postea se collocant ex utraque parte throni patriarchalis, et sedent in sedilibus praeparatis secundum aetatem. Postquam sederunt episcopi, archidiaconus, cujus erat vocare ad adorandum, invitat proceres, cives, patres familias et etiam pauperes ad patriarcham adorandum; veniunt, adorant, et modo supradicto benedicuntur. Qua caeremonia finita patriarcha alta voce dicit: *Domini est salus et super populum tuum benedictio tua.* Posthaec aliqui digniores ex clero novum electum, vestitum omnibus vestibus sacerdotalibus, ad sedem patriarchae conducunt. Accedit et, cum pervenit ad primum fluminum depictorum, subsistit, genuflectit, et manibus super terram positis profunde adorat patriarcham dicens: *Jube Domine benedicere.* Patriarcha respondet: *Dominus noster custodiat nos, defendat et protegat.* Progreditur electus ad secundum flumen, genuflectit et capite inclinato ad pavimentum adorat dicens: *Jube Domne benedicere.* Benedicens ipsum signo crucis respondet patriarcha: *Laetitiam coelestem praestet nobis, qui sedet in coelis.* Deinde duo primi digniores, qui electum comitantur, ipsum praesentant et dicunt in nomine ecclesiae vacantis: *Suscipe, Domine, ad divinae gratiae vocationem fratrem hunc nostrum N. sacerdotem electum, quem offerimus dignum consecratione ad episcopalem sedem N.* Interrogat patriarcha: *Estne justa petitio vestra?* Subjungunt: *Petitio nostra est, ut Deus et tu Pater noster concedatis nobis hunc fratrem nostrum bonum rectorem.* Statim interrogat patriarcha, utrum novus electus bene ordinaverit rem suam domesticam; utrum sit in existimatione probitatis et sanctae vitae; utrum secum habeat literas testimoniales suae electionis; et jubet, has literas alta voce legi. Finita lectione mandat, ut electus progrediatur et ad tertium flumen accedat. Progreditur, genuflectit, adorat profunde, ut supra. Patriarcha interrogat dicens: *Frater dignene venisti ad tantum meritum?* Respondet electus: *Domine non sum dignus hac gratia; attamen fratres mei elegerunt me, ut sim eorum pastor.* Reiterat patriarcha aliquot interrogationes jam Sabbato praecedente factas, et acceptis responsis dicit: *Vide cum omni diligentia, ut omnibus viribus tuis et tota mente observes mandata Dei et canones S. Ecclesiae, et habeas orthodoxam fidem juxta Vetus et Novum Testamentum Dei, et strenue regas ecclesiam tuam, et in aequitate judices populum tuum sine superbia et cupiditate munerum, et visites orphanos et viduas, et pauperibus populi eleemosynis juxta tuas vires succurras.* Respondet electus: *Volo toto corde praestare haec omnia, et confido in gratia Dei, et in orationibus vestris, quod sufficiens auxilium mihi suppeditabitur.* Jubet patriarcha, ipsum duci super aquilam

dicens: *Cum res ita sit, adducite porro eum super aquilam, quae eum in altum volaturum et coelum versus ad omnia bona aspiraturum admoneat, ne unquam promissorum suorum obliviscatur.* Super aquilam ductus sistitur in dorso ejus, et ipsum firmiter stantem interrogat patriarcha, num velit serio suae sanctificationi studere, continuo meditari, et legere divinas Scripturas, et seipsum exhibere formam omnium virtutum in opere et verbo suo gregi; num velit recte ipsum instituere in lege Dei, pascere sancto verbo; num velit esse mansuetus, continens, pacificus, affabilis et erga pauperes misericors: num velit abstinere a cupidine et omni turpi quaestu. Ad omnes has quaestiones respondet electus: *Volo ex toto corde exequi mandata vestra.* Obedientia, quam electus debet S. Petro et omnibus ejus successoribus, valde cordi est patriarchae, et ideo ipsum ita interrogat: *Visne tu B. Petro, cui potestas a Deo tributa fuit ligandi atque solvendi, nec non sancto Illuminatori nostro Gregorio eorumque successoribus pro tempore sedentibus obedientiam et fidelitatem praestare?* Electus respondet: *Volo**). Postquam electus obedientiam et fidem S. Petro et S. Gregorio Illuminatori et omnibus eorum successoribus promisit, interrogat patriarcha ipsum de sua fide hoc modo: *Credis S. Trinitatem, Patrem et Filium, et Spiritum S., unum Deum omnipotentem, et omnia, quae Deitatis sunt, esse Trinitatis? Credis perfecte omnipotentem unum Deum S. Trinitatem Patrem et Filium et Spiritum S. et eandem Trinitatem unam essentiam, unam voluntatem, unamque indivisibilem virtutem? Credis perfecte, quod Deus et Dominus noster sit factor omnium hominum et vivorum et mortuorum? Credis vere, quod ab eo creata sint omnia, quae sunt in coelo et in terra, visibilia et invisibilia? Credis vere S. Trinitatem in singulis personis subsistentia et proprietate distinctam? Credis in Filium Dei? Credis eum Verbum Dei? Credis vere eum ipsum genitum a Patre ante omnia saecula? Credis eum consubstantialem Patri et omnino aequalem, et eum ipsum natum in terra ex Spiritu Sancto? Credis, quod ipse solus sit Filius Dei, Deus verus ejusdem essentiae atque naturae cum Patre et absolute Deus? Credis vere, quod cum esset verus Deus, propter nos factus sit homo? Credis, quod vere sustinuit passiones pro nobis? Credis, quod positus fuit in sepulchro, et post triduum eodem corpore, quo mortuus est, surrexit a mortuis? Credis vere, quod eodem corpore et anima ascendit cum gloria ad coelos? Credis, quod idem ipse sedet in coelis ad dexteram Patris? Credis vere, quod idem ipse venturus sit inde ad judicandos vivos et mortuos, et ad retribuendum cuique juxta opera sua bona sive mala? Credis sponte et libenter Spiritum S. vere Deum? Credis vere, quod mittatur et procedat a Patre et Filio? Credis vere, quod aequalis sit eis, omnipotens ut ipsi et coaeternus Patri et Filio?***) *Credis Trinitatem unum Deum omnipotentem, principii expertem, et non tres Deos, sed unum Deum immutabilem? Credis vere in sanctam Ecclesiam, quae est quidem catholica et apostolica? Credis, quod huic Ecclesiae*

*) De hac primatus agnitione in rituali Armenorum schismaticorum vide Galanum T. II. q. 1. p. 234. 235. Sed et alia ejusmodi documenta apud eos occurrunt.

**) In aliquibus codicibus recentioribus, ut ait Serposius, verba: et Filio, suppressa sunt.

concessus sit baptismus in remissionem omnium peccatorum; credisne omnino? Credis et confiteris esse veritatem lucemque animarum, et Scripturam a Spiritu Dei concessam solum Vetus et Novum Testamentum? Vovesne eo solo (h. e. Veteri et Novo Testamento) regere gregem tuum, illud sequens atque semper discens ac docens tota vita tua; et sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, quatuor Regum, duo Paralipomena, Job, Salomon, David, Prophetae Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae, duo Macchabaeorum); Novum Testamentum, quod est Evangelium St. Matthaei, Marci, Lucae, Joannis, quatuordecim epistolae Pauli, Acta Apostolorum, septem epistolae catholicae, Apocalypsis Joannis?* Electus respondet ad omnia: *Credo vere. Ego ipse firmiter haec credo. Credo et confiteor et voveo sectari semper istam S. Scripturam Dei Veteris et Novi Testamenti, et promitto semper discere et docere eandem.* — Certior factus de orthodoxa fide electi patriarcha mandat, ut anathematizet omnes haereticos eorumque sectatores; et patriarcha specialim sectas quasque nominat, et haeresiarchas praecipuos, et cum venit ad Eutychen, dicit expresse: *Anathematizasne Eutychen et omnes sectatores ejus?* Non solum electus, sed cum ipso universus clerus et populus ad omne haeretici nomen alta voce eorum et inprimis Eutychis et ejus sectatorum memoriam detestatur respondens: *Anathema.* Deinde nominat patriarcha nonnullos SS. Patres et Doctores et interrogat electum, num paratus sit eorum in omnibus orthodoxam sequi doctrinam. Cum omnibus alta voce respondet: *Aeterna memoria eorundem justorum sit in benedictione.* Sancti, quos patriarcha nominat, hi sunt: S. Clemens Papa, S. Ignatius Martyr, S. Polycarpus, S. Dionysius Areopagita, S. Athanasius, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, tres Gregorii Thaumaturgus, Nyssenus et Nazianzenus, duo Cyrilli Alexandrinus et Hierosolymitanus, S. Epiphanius, S. Ephrem, Sancti Armeni: Gregorius Illuminator, Aristaces, Vertanes, Jussicus, Gregorisius, Nierses Magnus, Isaac Magnus, Daniel et Sancti Nierses Ghelagensis et Lampronensis, et generatim omnes sancti et orthodoxi patriarchae. Deinde patriarcha praecipit, ut electus publice protestetur, se acceptare omnia octo concilia oecumenica in Oriente celebrata, et ideo ipsi dicit: *Sectarisne veram doctrinam S. Concilii Nicaeni, et omnium sectatorum ejus cum orthodoxa fide; septemque SS. Conciliorum**), quae orthodoxa fide omnes haereticos confutaverunt?* Respondet: *Confiteor et sector.*

Postquam probavit electus octo concilia oecumenica Orientis, patri-

---

*) Non liquet, ait Serpos, cur in aliquot exemplaribus Euchologii Armeni in hoc caeremoniali duo libri Macchabaeorum non habeantur, qui in ecclesia Armena, ut in Latina, canonici et sacri habentur. Dicendum est, incuriam scriptorum currente calamo hos duos libros omisisse, licet in versione Armena sacrae scripturae canoni librorum canonicorum adscripti sint et clerus Armenus iisdem in sacris functionibus utatur. Ita Serposius. Ad historiam canonis apud Armenos pertinet etiam canon 23. Sionis patriarchae p. 309.

**) Notat Serposius, in aliquibus codicibus modernis hoc saeculo descriptis non exprimi septem concilia Nicaeno posteriora. Ex eo autem, quod octo concilia oecumenica hic ponantur, probabilitas additur conjecturae nostrae, Armenorum ordinationes Gregorii septimi tempore regulatas fuisse.

archa praecipit, ut alta voce fidei professionem edat et formulam recitet. Mox ipsam eandem recitat, quam recitant sacerdotes in sua ordinatione. In fine professionis patriarcha ipsum benedicit dicens: *Haec fides augeatur in te cum veritate Dei et bonitate in hac et in perenni vita*, et omnes respondent: *Amen.* Deinde archipresbyter dicit electo: *Accede electe superius.* Ad hanc vocem accedit ad thronum, ascendit ejus gradus, et prosternit se ad pedes patriarchae, qui ipsi manus imponit super caput, ita deprecans: *Omnipotens Deus, inclina te in adorationem nostram, et in opera, quae peractura est nostra humilitas. Perfice hunc in honorem gloriae tuae per gratiam unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, cum quo te Patrem omnipotentem et Spiritum Sanctum decet gloria, potestas et honor nunc et semper etc.* Benedicit deinde ipsum parva cruce, dicens: *Virtus Sanctissimi Spiritus per meam exiguitatem jam obsignat te ad susceptionem ordinis episcopalis. In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.* — Post haec verba imponit ejus humeris pluviale episcopale, osculatur ejus os, cum ipso descendit de throno, et comitantibus aliis episcopis se confert ad gradus altaris, liturgiam incipiens. Dicta oratione consueta post Introitum duo episcopi sumunt electum ad manus, et ducunt ad mensam altaris; ibi genuflectit, et patriarcha ponit super ejus humeros librum apertum sanctorum Evangeliorum, qui ab uno episcoporum praedictorum tenetur; et supra caput ponit manum dexteram. Interea cantatur psalmus 88. *Misericordias Domini in aeternum cantabo etc.;* deinde primarius diaconus facit praeconium consecrationi sequenti conveniens; alter episcopus legit alta voce testimonium electionis ejus canonicae, examinis et confirmationis initiati, et patriarcha dicit: *Divina gratia, quae semper infirmos sanat et defectum supplet, vocat hunc theophilum sacerdotem N. ad episcopatum a Deo custoditae civitatis N. Orate, ut superveniat in eum virtus Sanctissimi Spiritus.* Ter signat eum cruce et voce submissa invocat Spiritum Sanctum, ut super ipsum descendat et impleat sua virtute, ut possit digne jugum evangelii portare et populum sibi creditum sanctificare. Duo episcopi assistentes interea etiam submissa voce faciunt aliqua praeconia, ita tamen, ut possint audiri a clero, quem excitant ad fundendas preces modo pro patriarcha, ut Deus confortet ipsum in exercitio sui ministerii; modo pro electo, ut recipiat plenitudinem donorum Spiritus Sancti; modo pro ecclesia vidua, ut mereatur accipere sanctum pastorem; modo pro se ipsis, modo pro universo populo, modo pro quocunque homine afflicto et tribulato. Dum fiunt haec praeconia, patriarcha iterum imponit manus initiato, supplicans divinam bonitatem, ut velit ipsum facere imitatorem Jesu principis omnium pastorum, ut ad ejus exemplum vitam ponat pro ovibus, fiat dux errantibus, lux caecis, magister ignorantibus, adjutorium infirmis, speculum sanctitatis, praedicator Evangelii indefessus. Hac oratione finita omnis clerus alta voce clamat: *Divina et coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam sancti ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. ex sacerdotio ad episcopatum in sanctae Ecclesiae ministerium juxta testificationem sui ipsius totiusque hujus populi.* Populus ter repetit alta voce: *Dignus est.* Patriarcha etiam alta voce dicit: *Divina et coelestis gratia, quae semper supplet indigentiam sancti ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. ex sacerdotio ad episcopatum in sanctae Ecclesiae ministerium juxta testificationem sui ipsius totiusque populi. Ego impono*

manus; omnes orate. ut dignus hic fiat gradum episcopatus sui immaculatum custodire in sanctuario Dei. Hic fit longissima oratio ad divinum Redemtorem, ut super hunc novellum episcopum mittere dignetur Sanctum et divinissimum Spiritum illum, quo pleni fuerunt sancti Apostoli, ut ipso confortatus possit sustinere omne pondus sui gradus, praedicans inconcusse orthodoxam doctrinam, convincens incredulos, catechizans catechumenos, in vera fide et virtute stabiliens fideles, reducens ad poenitentiam peccatores: consilium bonum praebens iis qui dubii sunt, confortans afflictos, sanans infirmos, se venerabilem exhibens omnibus prudentia, caritate, mansuetudine, patientia, oratione, castitate etc. Hac oratione finita, chorus cantat psalmum 131. *Memento Domine David etc.*, recitantur deinde tres lectiones et unum Evangelium; ab uno episcoporum dicitur praeconium prolixum, quo in nomine totius Ecclesiae precatur a Deo Christo Jesu vitam et salutem patriarchae, omnibus orthodoxis episcopis, presbyteris, diaconis, clericis, monachis per totum orbem dispersis, novello pastori, et omni populo sancto Dei etc. Patriarcha rursus incipit supplicare majori cum fervore, ut de alto coelorum descendat cum suis donis supra initiatum divinus Paracletus; et postquam chorus praefationem sacrae episcoporum unctioni convenientem dixit, patriarcha caput electi sacro chrismate in forma crucis ungit, dicens: *Caput tuum ungatur et benedicatur coelesti unctione, ut dignus fias episcopatu. In nomine Patris et Filii et Spiritus S. Amen.* Recitat deinde longam orationem, et ungit sacro chrismate novo episcopo ambos pollices, dicens: *Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui juxta beneplacitum voluntatis suae extulit te ad dignitatem episcopatus, virtute sua signat te sanctá unctione: et abundanter implet spirituali benedictione, ut benedictum a te benedicatur, et consecratum a te consecretur: et omnia quae signaveris manu et pollice, consignentur, et super quos impones dexteram tuam, salute et misericordia compleantur.* Populus respondet: *Amen.* Dat ipsi deinde baculum pastoralem, dicens: *Accipe hunc baculum et virgam episcopalem, ut corrigas et punias maleficos; et regas et pascas obedientes in lege et in praeceptis Dei semper.* Immittit ejus digito annulum dicens: *Accipe annulum, fidei signaculum, et permane diligenter cum vera et recta fide in divino tuo statu sponsi sanctae Ecclesiae.* Dat ipsi librum Evangeliorum, dicens: *Accipe Evangelium regni coelorum, quod praedicabis populo, qui tibi a Deo commissus est; et Deus omnipotens augeat populum tuum, et super eum regnet in saecula saeculorum. Amen.* Deinde osculatur illum; similiter faciunt omnes reliqui episcopi, sacerdotes et universus clerus. Imponit deinde capiti ejus mitram eadem plane formula, quae habetur in Pontificali Romano. In ecclesia Armena non est usus chirothecarum, quare non porriguntur. His paramentis traditis resumitur et continuatur liturgia, quae offertur pro novo episcopo, et cum advenerit tempus consummationis, ascendit altare, seque ipsum communicat specie utraque a patriarcha consecrata, et etiam episcopis communionem tribuit et reliquo clero, et iis ex populo, qui sunt digni. — Finita liturgia et gratiarum actione facta patriarcha discedit ex ecclesia, comitantibus episcopis et omni clero; novellus episcopus vero manet in sanctuario per quadraginta continuos dies.

Electio et inthronisatio supremi hierarchae seu Catholicos

Corpus episcoporum nominat tres praelatos dignissimos ad assumendum regimen universale ecclesiae et populi Armeni. Nominati examini rigoroso se subjiciunt; et eligitur ad supremum regimen dignissimus ex ipsis, qui plenus sanctitate, orthodoxa fide et scientia sit oportet. Quum advenerit dies elevationis ejus, universus clerus in ecclesia convenit, inter quos debent esse saltem duodecim episcopi, metropolitanus et unus ex patriarchis inferioribus. In conspectu totius ecclesiae apparet electus, et eadem ratione, qua fit in consecratione episcoporum, fiunt multae quaestiones de puritate vitae, de fide, de maturitate, de sapientia, de doctrina ejusdem. Si omnibus his bene instructus appareat et nihil plane promotioni ejus obstiterit, jubetur publicam facere fidei professionem, et recitatur psalmus 88. *Misericordias Domini in aeternum cantabo etc.*; adjunguntur lectiones prolixae ex Epistolis et Evangeliis, quae leguntur in caeremoniali novorum episcoporum. Postea primarius ex diaconis facit praeconium, et postquam quadraginta vicibus ab omnibus dictum est: *Domine miserere*, tollit vocem suam metropolitanus dicens: *Divina gratia, quae semper supplet indigentiam sacri ministerii apostolicae Ecclesiae, vocat hunc N. ab episcopatu ad patriarchatum in praefecturam domus Thogormae, in sanctae Ecclesiae ministerium, ac pralaturam, juxta testificationem sui ipsius totiusque populi. Ego impono manus, vos autem omnes orate, ut dignus fiat potestatem apostolicae sedis immaculate administrare.* Deinde manus tenens super caput electi recitat supra ipsum longissimam orationem, supplicans divinum Redemtorem, ut mittat coessentialem ac consubstantialem sibi Spiritum Paracletum, et investiat novellum Catholicos plenitudine suorum donorum, ut possit digne ascendere ad cathedram S. Bartholomaei, S. Thaddaei, et S. Gregorii Illuminatoris, et orthodoxa fide ac sacris moribus munitus ecclesiam Armenam gubernare. Recitatur dein Ps. 131. *Memento* Domine *David etc.*, recitantur aliquot Epistolae et Evangelia, et duo episcopi cum voce alta alternatim faciunt praeconium satis prolixum. Primarius postea ex inferioribus patriarchis supplicat oratione prolixa Deum, ut novus Catholicos digne altum fastigium hierarchiae Armenae occupet, et populum regat sana et orthodoxa doctrina, ut sit mitis, patiens, castus, sobrius, prudens etc. Hac oratione dicta induunt ipsum paramentis patriarchalibus, quae similia sunt iis, quibus vestiuntur Graecorum patriarchae, conducunt ipsum ad sedem patriarchalem; omnis clerus ipsum adorat, et secundum dignitatem accedunt ad osculum manus. Hac caeremonia finita descendit de throno, et medius inter alios patriarchas, episcopos, sacerdotes et diaconos ad sanctum altare accedit, et incipit liturgiam. Qua finita recitatur psalmus 22. *Dominus regit me et nihil mihi deerit etc.* et legitur caput 5. epistolae S. Petri: *Seniores ergo* usque ad vers. 11. *Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.* Similiter caput 21. v. 15. evangelii S. Joannis; *Cum ergo prandissent* etc. usque ad verba: *Sequere me* versu 19. Sic terminatur functio, deponuntur sacra paramenta, et Catholicos conducit secum ad prandium patriarchas, episcopos et principaliores ex clero.

RITUS MATRIMONII.

Ritus matrimonii apud Coptitas.

1. Excerpta ex rituali Gabrielis patriarchae.

(Haec gallice compendiosius edidit Renaudotius in Perpétuité l. 6. c. 3. col. 984, ubi etiam testatur, Abulbircatum eosdem plane ritus referre. Latine reddita et completa magis reperimus in ejus opere MS. Varia officia sacramentalia Coptitarum et Syrorum T. III. P. I. fol. 298. sqq.)

Consuetudo est, ut post orationem mediae noctis et matutinam sponsus domo prodeat cum familia sua, notis et amicis. Sacerdotes quibus placet, ut eant obviam, licet occurrere ad fores ecclesiae, simulque procedunt diaconi ejus loci cum funalibus cereis et campanulis. Ubi advenit, canunt responsorium illud: *Benedictus, qui venit in nomine Domini cum angelorum agminibus.* Adstantes ter respondent: *Alleluja.*

Eodem loco, ad portam scilicet ecclesiae, canitur oratio, quae incipit: *Christus Verbum Dei Patris*, vel aliud quod incipit: *Galilaea gentium;* mox deducitur ad locum ubi officium benedictionis celebrari solet.

Deinde procedunt ad portam ecclesiae obviam sponsae, cum cereis quoque et campanulis; canunt: *Ave, Maria.* Quidam deducunt eam ad gynaeceum, sive locum in ecclesia mulieribus destinatum; reliqui ingrediuntur chorum. Si sacerdos aliquis celebraturus sit officium coronationis, operit caput, tunica sive alba induitur, et Balino sive pallio, si vult p test vestem permutare. Diaconus similiter habebit tunicam et pallium.

Si pater patriarcha officium benedictionis celebraturus sit, quod fieri solet, quando praesens est, procedunt cum cereis ad cellam patriarchalem et eum cum honore ad chorum usque deducunt.

Constituitur coram eo discus ad latus Evangelii, in quo ponuntur vestes sponsae destinatae, scilicet vestis talaris, zona, vestis exterior, alba, crux, annulus, incensum. Aperit caput patriarcha juxta consuetudinem. Quod si, ut vulgo fieri solet, sponsus paraverit *Bornos* sive vestem sericeam illam, quae albae nostrae non est absimilis, eam, qua tectus accessit, deponet, novamque munere sponsi praeparatam induet.

Incipiet statim psalmos poenitentiales, adolebit incensum, quale praemitti solet orationi ante Epistolam recitandae.

Recitantur deinde aliquot responsoria ad Christum, de Ecclesia, ad Virginem: quibus peractis, thure a sacerdotibus secundum morem perfunditur patriarcha. Dicitur *Kyrie eleison, alleluja, gloria Patri, Pater noster, psalmus XXXI.* usque ad finem, *Incensum, lectio Epistolae Pauli* coptice: qua peracta sacerdos chorum incenso suffumigat. Legitur eadem epistola arabice, *sanctus* ter, *gloria Patri.* Deinde patriarcha dicit orationem Evangelii, vel eam alius sacerdos pronuntiat, psalmum consuetum cum oratione praemitti solita. Patriarcha legit Evangelium; vel illud legit alius sacerdos coptice primum, deinde vero arabice legitur a diacono.

Post aliquot orationes relato in locum suum Evangelio, incipiuntur orationes majores, quae in liturgia occurrunt, nempe pacis, papae sive ejus in qua memoria patriarchae Alexandrini fit, qui Papa appellatur a suis; symbolum fidei, *Kyrie eleison* ter, *Pax omnibus.* Tunc sequuntur tres vulgatae orationes liturgicae.

Expletis aliquot aliis orationibus consuetis, dicitur oratio *gratiarum actionis,* tunc oratio *absolutionis ad Filium*, et eae quae hoc loco in liturgia praescribuntur. Quibus peractis, patrinus sponsi detegit vestes praeparatas, quas singulari oratione benedicit patriarcha. Tum sponsus illis induitur, talari nempe sericea veste, zonaque praecingitur, caput tegmine albo tegitur, annulum accipit a patriarcha et dexterae manus digito annulari inserit: canuntur interea aliquot responsoria. Deinde patriarcha accipit fasciam capitis sui atque ea tegitur, tum recitat benedictionem super sponsum, et pausa facta, proceditur ad locum ubi coronatio perficitur.

Ubi illuc venere, sacerdos vel patriarcha assumit sponsum et intra septum mulieribus destinatum deducit ad sponsam sedentem in loco suo, jubetque, ut annulum aureum, cui simul obligata est corona nuptialis, det in manum ejus dexteram; quam cum extendit sponsa, ut suscipiat annulum et coronam, significat se eumdem accipere maritum, atque consensum praebere.

Tunc sacerdos jubet matrinae, ut eam producat coram populo, et eam statuit ad dexteram sponsi, operitque utriusque caput velo candido; quo signo adstantibus testatur, convenire eos et conjungi invicem conjunctione casta, pura et sancta. Canitur interea responsorium de *sponsa vera Dei Genitrice.*

Post aliquot alias preces thurisque suffitum legitur Evangelium coptice, et arabice interpretante diacono. Deinde dicuntur orationes in liturgia praenotatae; et patriarcha sive sacerdos incipit benedictionem super sponsum et sponsam, et quotiescumque eorum nomina recitat, signat eos in modum crucis; *Kyrie eleison* multoties dicitur, tum prosequitur orationes liturgicas, *Pax omnibus,* et pulsantur campanae.

Post pauca sacerdos benedicit ampullam olei, et finita benedictione sponsum et sponsam ungit; tunc benedicit coronas, et post aliam orationem imponit eorum capitibus, cum hac benedictione: *Gloria et honore coronavit eos Pater, benedicit Filius, coronat, advenit et perficit Spiritus Sanctus.* Quae benedictio dicitur elata voce, respondentque circumstantes: *Dignus est* ter: ἄξιο; graeca voce hoc in loco, ut in

aliquot aliis ritibus, usurpata. Deinceps secundum ritum, qui in ecclesia Muhallaca, Misra, et in aliis usurpatur, aliae subjunguntur benedictiones in hunc modum: *Qui benedixit patrem nostrum Adamum et Hevam, Abrahamum quoque et Mosem in terra Madian, benedicat tibi, sponse, cum adjutrice tua per nomen suum magnum. Qui benedixit Isaaco dilecto, Abeli justo, Salomoni et Davidi patri ejus, benedicat vobis per nomen suum sanctum. Qui benedixit Jacobo patri nostro, Josue et Job pio, septuplici benedictione benedicat vobis per nomen sanctum suum. Qui benedixit Abrahamo patri nostro ad quercum Mambre in Sara, benedicat hanc conjunctionem per nomen suum magnum. Qui benedixit Isaac et Rebeccae, etiam his sponsis benedicat per nomen suum sanctum. Qui benedixit patri nostro Jacobo, qui Israël vocatus est, in Lia et Rachel, benedicat benedictione Emmanuelis hanc conjunctionem. Qui benedixit Josepho et Asenethae, Zachariae et Elizabeth, benedicat quoque huic sponso et ejus adjutrici per nomen suum magnum. Qui benedixit Michaël, Gabriël, Raphaël et Suriël, et quatuor animalia incorporea, viginti quatuor seniores, Cherubim atque Seraphim, coelestesque exercitus, benedicat vos per nomen suum sanctum.* Quas benedictiones sequuntur aliae ad libitum secundum ecclesiarum variam consuetudinem.

Deinde pronunciatur absolutio liturgica super sponsos, cruce capitibus imposita, manibus in crucis formam decussatis; quam sequitur *praeceptum* sive *paraenesis ad sponsos.* Qua peracta, sponsam tradit sacerdos sponso. His peractis, datur altera benedictio: clamant adstantes: *Benedictus etc.* Canuntur aliquot responsoria, pulsantur campanulae et circumeunt ecclesiam, ut in processione fieri solet, cum funalibus; et ex coronationis*) loco ad altare redeunt, incipiuntque Anaphoram seu liturgiae canonem; qua peracta suscipiunt sponsi novam a sacerdote seu patriarcha benedictionem, deducunturque eo fine ad portam chori; tandem cum eadem pompa ad fores ecclesiae, et a paranymphis inde domum duci solent.

Idem patriarcha praescribit ritum singularem, quo secundae nuptiae celebrari solent: omissis precibus, quae ex alio codice peti debent, si alteruter conjugum virgo fuerit, coronabitur eodem ritu et iisdem precibus, quae in primis nuptiis usurpari debent, ita ut nihil addatur vel minuatur. Si uterque secundas nuptias contrahat, neuter coronatur, sed tantummodo benedictio ipsis consueta ratione ad portam chori tribuitur, his verbis: *Domine, benedic eos, etc. Gloria Patri et Filio etc. Alleluja.* Reliqua eodem modo perficiuntur attamen per diversas orationes, ut suo loco monuimus.

Aliud quoque officium habetur in eodem rituali, quod quadragesimo die celebrari solet post nuptias, ut coronae solvantur e conjugum capitibus. Ritus pauca habet singularia. Sponsi ad ecclesiam veniunt, et post aliquot hymnos, preces, doxologias accedunt sub manum sacerdotis,

---

*) Notat ad haec Renaudotius (Perpétuité l. 6, c. 3. col. 984.) in rituali Gabrielis hic communionis a sponsis mentionem expressam non fieri, eam vero haberi apud Abuselah in scientia ecclesiastica et Abulbircatum, quorum textus ibidem col. 981. affert. Id etiam inde sequi, quod in aliis tractatibus vel officiis eam bigamis non dari dicatur.

cruce capitibus eorum imposita. Recitat sacerdos *orationem absolutionis ad Filium*, eo loco qui assignatur in liturgia.

2. Ritus matrimonii Coptitarum ex Tukio.

Sponsalia.

Ordo (ἀκολουθία) *Sponsalium* („ἀρηβ‟ = ἀρραβών, ita semper).

Consuetudo (συνήθεια) *autem* (δέ) *est, ponere donum* (δῶρον) *in medio et crucem* (σταυρός) *auream et annulum aureum*). Primum quidem* (μέν) *dic gratiarum actionem et orationem* (εὐχή) *thuris**). Deinde* (εἶτα) *lege Apostolum ad Corinthios ά=1. Initium* (ἀρχή) *(Vulg. I. Cor. 1, 1—10).*

Dicitur Trisagion (τρὶς ἅγιος) *et oratio* (εὐχή) *Evangelii et psalmus πδ = 84 (85.) v. 11:* Misericordia et veritas exierunt sibi mutuo obviam, justitia et pax salutaverunt se invicem.

Lectio (λέξις): *v. 12.*

Veritas de terra orta est, justitia de coelo prospexit.

Evangelium secundum Joannem initium (Εὐαγγ. κατὰ Ἰωάννην-ἀρχή). *Vulg. Joan. 1, 1—17) ***).*

Post haec dic consolationes (i. e. orationes pro cons. etc.), pacem (εἰρήνη), *patres, congregationes, fidem; deinde* (εἶτα) *hanc orationem* (εὐχή) *sponsalium ****):*

Deus, qui formasti (πλάζειν) hominem tuis ipse manibus [1], dedisti ei uxorem suam adjutricem (βοηθός) et firmamentum: tu igitur nunc Domine noster, esto mediator (μεσίτης) horum juvenum, N. (maris) et N. (feminae) [2], conjunge eos ad sponsalia [3] societatis, qui ostendisti [4] eis symbolum (σύμβολον) conjunctionis eorum, ut sint in unitate [5] per vinculum charitatis (ἀγάπη) dicens eis: Pacem (εἰρήνη) meam do vobis, pacem (εἰρ.) meam relinquo vobiscum [6]. Tu es pax (εἰρ.) nostrum omnium [7]. Mittimus tibi sursum gloriam et honorem cum unigenito (μονο-

[1] R deest ipse, add. solum. — [2] R sponso et adjutrice ejus; et ita porro. — [3] R per arrhabonem. — [4] R et da. — [5] R add. perfecta. — [6] R deest pacem . . . vobiscum. — [7] R deest omnium.

*) Vanslebius in descriptione Aegypti et in itinere suo Aegyptiaco (p. 340) describens matrimonii solemnitatem, cui ipse interfuit, post preces mediae noctis, ait, ex domo, in qua nuptiae celebrabantur, cum cereis et funalibus ab amicis et propinquis sponsi deductum fuisse sponsum in ecclesiam; tum sponsam. In via hymnos idiomate coptico cantabant malleolis baculos ex ebeno percutientes. Cum ad ecclesiam pervenissent, sponsus in chorum interiorem, in quo missa celebrari solet, introducebatur; sponsa in locum mulierum.

**) Ex Vanslebio Hist. Part. 4. Sect. 3. c. 3. §. 1. p. 208. Cum matrimonium fit inter caelibes, sacerdos super ipsos preces, quas Sciellhamat, vel gratiarum actionis vocant, legit. Incensat altare, legitur psalmus 50.

***) Ex Vanslebio legitur item 1. Cor. 1, 1—10. evangelium autem: In principio erat Verbum, uti habet Renaudotius in ordine suo.

****) Item teste Vanslebio dicuntur orationes pro pace et pro Ecclesia, Credo et tunc oratio matrimonii.

γενής, i. s.) Filio tuo et Spiritu (πνεῦμα, i. s.) Sancto vivificante nunc et semper.

Populus (λαός, i. s.) *respondeat*:

Christe, Verbum (λόγος) Patris, Unigenite Dei, da nobis tuam pacem omni gaudio plenam. Quemadmodum (κατὰ —) dedisti eam sanctis (ἅγιος) Apostolis (ἀπόστολος, i. s.) tuis, dic nobis sicut ipsis: Pacem meam da vobis. Pacem meam, quam accepi a Patre meo, ego relinquo vobiscum ex nunc usque in saecula.

Oratio (εὐχή) *secunda*.

Domine, amator hominum, qui perficis vocem propheticam (προφητικόν): a Domino conjungetur vir cum femina[1]: tu, Domine, haec sponsalia servorum tuorum, quae hic coram nobis fiunt, digna fac[2] benedictione a te[3] et conjunge servos tuos in irreprehensibilitate placentes voluntati tuae vivificanti. Tu enim (γάρ) es Deus noster, qui formasti (πλάζειν) hominem de terra, dedisti ei adjutricem (βοηθός) secundum (κατά) similitudinem suam, et fecisti eam ex eo, ut esset mulier ipsi, et societas et auxilium, ut pareret filios et filias ad augmentum generis (γένος) humani. Nunc igitur, Domine, benedic haec sponsalia servorum tuorum N. (maris) et N. (feminae): crescant et multiplicentur in misericordiis tuis uberibus, da eis fructum (καρπός) benedictionis et administrationem (?)[4] (ἐπίτροπος?) pietatis (— εὐσεβής), et conjunctionem fidei, et sapientiam, et sanctitatem et opera justitiae (δικαιοσύνη), ut (ἵνα) in carne (σάρξ) et anima (ψυχή) sua sint in unitate. Sit timor tuus in ipsis, ut digni sint benedictionibus a te in Christo Jesu Domino nostro, qui.

Tertia oratio (εὐχή).

Dominator[5] Domine Deus noster, qui[6] comitatus es puerum Abraham patriarchae (πατριάρχης) in Mesopotamiam (μεσοποταμία), quem misit ad accipiendam uxorem pro filio suo Isaac, ut respiceret per mediationem (μεσιτεία) aquae hauriendae ad sponsalia ejus ad Rebeccam[7]: tu igitur nunc, Dominator noster[8], amator hominum, Domine, adde beneplacitum super haec sponsalia servorum tuorum N. (maris) et N. (feminae), et benedic eis. Custodi verbum, quod factum est inter eos invicem, fortifica eos in tua perfectione (— τέλειος), et pactum (συνθήκη) eorum sit immutabile[9], et adjuva juventutem eorum. Tu enim (γάρ) ab initio creasti masculum et feminam, et per te desponsata est mulier marito[10] in adjutorium (βοήθεια) et successionem (διαδοχή) generis (γένος) humani. Qui autem (δέ) congregati sunt et orant nobiscum, patres nostros et fratres nostros, sanctifica servos tuos[11] hos, et custodi eos, per intercessiones (πρεσβεία) Dominae nostrum omnium Deiparae (θεοτόκος) Mariae, et chori (χορός) totius sanctorum tuorum.

Populus respondeat:

Ne obliviscaris testamenti (διαθήκη) tui, quod disposuisti cum Patribus nostris, Abraham, Isaac, Jacob, Israel sancto tuo.

---

[1] R Domino inspirante dictam, adhaerebit homo mulieri. — [2] R desponsa hunc servum tuum apud nos praesentem: fac illum dignum. — [3] R add. perfice. — [4] R mores. — [5] R deest dominator. — [6] R add. olim. — [7] R et mediante plena aquae praebitione advenit ad desponsandam Rebeccam. — [8] R deest Dominator noster. — [9] R et in unitate tua absque perturbatione. — [10] R a te accepit femina arrhabonem conjugii. — [11] R deest servos tuos.

Gratiarum actio sponsalium.

Sacerdos dicit: (ὁ ἱερεὺς λέγει).

Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, (παντοκράτωρ, i. s.), qui es ante saecula (αἰών), Dominator universi, qui ornasti coelos in verbo tuo, et fundasti terram et omnia, quae in ea sunt, qui congregasti diffusa in unum locum congregationis, et fecisti duo unum: nunc igitur, Dominator noster, obsecramus te, ut dignos facias servos tuos charactere (χαρακτήρ) signi verbi tui[1] per vinculum sponsalium, ut sit ipsis charitas (ἀγάπη) indivisibilis erga se invicem per securitatem (ἀσφάλεια) firmitatis[2] conjunctionis eorum. Aedifica eos super fundamentum Ecclesiae tuae sanctae, ut (ἵνα) ambulent in dispositione[3] („διαθησις" = διάθεσις) et conjunctione (συντισμος = σύνδεσμος) vinculi verbi, quod invicem pacti sunt; tu enim (γάρ) es vinculum charitatis (ἀγάπη) et dator legis (νόμος) conjunctionis eorum, constituens unitatem in conjunctione duorum per verbum tuum, ut impleant[4] mandatum unigeniti Filii tui Jesu Christi Domini nostri, qui illud perfecit, cum quo es benedictus et Spiritu Sancto, nunc[5].

Populus respondeat:

Benedicite Domino omnes gentes (λαός), tribus (φυλή) et dialectus linguarum glorificate, extollite, superexaltate eum in saecula. *Dic:* Pater noster, qui es in coelis, *et absolutionem et benedictionem* *). *Deinde* (εἶτα) *dic hanc orationem* (εὐχή) *super vestes* (στολή)·

Dominator[6] Domine Jesu Christe Deus noster, qui ornasti coelum stellis, et distinxisti[7] terram per[8] decus herbarum fructiferarum (— καρπός) variarum specierum, qui donasti hominibus coelestia, et dedisti eis usum (ἀπόλαυσις) terrae, te igitur nunc, bone (ἀγαθός) et amator hominum, rogamus[9], benedic his vestibus, quae hic positae sunt, ut (ἵνα) sint servis tuis, qui eas portabunt (φορεῖν), per beneplacitum benignitatis (— ἀγαθός) tuae vestis (στολή) gloriae et salutis, vestis (στολή) gaudii et laetitiae, et custodi eos puros[10] in animabus (ψυχή) et in corporibus (σῶμα) et in spiritibus (πνεῦμα) suis. Sit vita eorum in pace (εἰρήνη) et laetitia (εὐφροσύνη) per operationem (ἐργασία) justitiae[11].

---

[1] R vero per verbum tuum signato. — [2] R ad firmitatem; deest per securitatem. — [3] R affectu. — [4] R perficiamus. — [5] R deest qui illud . . . . nunc. — [6] R deest Dominator. — [7] R apparere fecisti. — [8] R et ex ea producti sunt. — [9] R addit Domine; deest rogamus. — [10] R et sanctifica eos, deest puros. — [11] R Reliqua desunt, add. per gratiam et misericordiam etc.

*) Vanslebius in Hist. l. c. post orationem matrimonii memorat haec: Pater noster, absolutionem et benedictionem. In Itinerario et Descriptione Aegypti autem seriem ceremoniarum post introductionem sponsorum ita descripsit. Sacerdotes et populus hymnos cantaverunt, precesque recitaverunt hymnis intermixtas. Quibus ad finem vergentibus abscessit sacerdos, qui matrimonium solemnizaturus erat, ut sponsum arcesseret. Tunc sacerdos tres vel quatuor orationes recitavit, ad initium et finem cujusque orationis signum crucis super sponsum faciens; denique cum facie ad sanctuarium versa in terra sedere jussit, et ad partem posteriorem capitis ejus crucem argenteam tenens orationes recitare perrexit.

Dona eis usum (ἀπόλαυσις) (bonorum) coelestium et terrenorum. Sint divites in operibus justitiae. Domus et thesauri (ταμιον = ταμιεῖον) eorum sint plena omnibus bonis (ἀγαθόν). Digni sint, qui faciant voluntatem tuam omni tempore, quia tu es misericors, multae misericordiae et verax. Te decet (πρέπει) gloria cum Patre tuo bono (ἀγαθός) et Spiritu Sancto vivificante consubstantiali tecum nunc et semper et in saecula. Amen*).

Populus psallat (— ψάλλειν) hoc modo:

Veste (στολή) spirituali (πνευματικόν) indutus est Michael, et cingulo ex margaritis (μαργαρίτης) cinctus est Michael.

Vestis (στολή) temperantiae (σωφροσύνη) imposita est huic sponso et corona laetitiae imposita est capiti ejus: sicut dixit David psalmista (ὑμνοτος = ὑμνῳδός)· Gloria et honore coronasti eum. Praevenisti eum benedictione benignitatis tuae (— χρηστός), posuisti super eum coronam ex lapide pretioso. Vitam petiit a te, et dedisti ei longitudinem saeculi. Amen**).

b. *Coronatio.*

Ordo (ἀκολουθία) propter constitutionem matrimonii (γάμος).

Sciat sacerdos ante per interrogationem veram liberam voluntatem amborum, scilicet sponsi et sponsae, ne (ἵνα —) conjunctio eorum in violentia fiat).***

---

*) Vanslebius Hist. l. c. ita pergit: Sacerdos afferri jubet vestes sponsi, quae albae esse debent, benedicit eas, ipsumque induit, lumbos ipsi praecingit, vigesies Kyrie eleison dicit. In Itinerario et Descriptione Aegypti ritum hunc, uti viderat ipse, ita depingit. Postquam sacerdotes in choro interiori orationes „nodi" ut vocant absolverant, celebrans sponsam veste alba induit, cingulo praecinxit et ejus caput linteo albo contexit.

**) Populus, dum ceremoniae, quae supra, peraguntur, secundum Vanslebium in Historia hymnos canit.

***) Vanslebius (Hist. Part. 4. Sect. 3. c. 3. §. 2.) descriptionem ritus coronationis exordiens, dum nubentes coronantur, eos tradit extra portam sanctuarii una sedere linteum longum extensum super se habentes. In Itinerario et Descriptione haec ita uberius describit. Dum in choro interiori orationes et crucis signa super sponsum fiebant, sacrista scamnum extra portam chori exterioris posuerat, in quo sponsam cum una ex cognatis ejus sedere jussit. Post vero celebrans sponsum veste alba indutum et linteo albo caput tectum habentem ad sponsam deduxit et prope ipsam sedere jussit et ambos eodem linteo texit, ita ad invicem adigens, ut capita propinquarent. Simile est, quod Alvarez in suo Itinerario Aethiopico c. 20. refert, se vidisse copulationem novorum sponsorum modo sequenti peractam. Collocatus fuit lectus in vestibulo aedium, in quo sederunt sponsus et sponsa; tres sacerdotes, magna voce Alleluja concinentes, lectus circuierunt, mox cincinnos e capillis tam sponsi quam sponsae absciderunt et inter se in capitibus sponsorum permutaverunt, inspersa aqua benedicta; inde ad festivitatem nuptialem discessum est. Item c. 21. refert, se vidisse metropolitam nuptiarum benedictionem ante portam templi principalem hoc pacto peragentem. Lectus positus fuit, in quo sponsus cum sponsa sedit, illum circuivit metropolita cum clericis suis thuribula et cruces gestantibus; postea manu capitibus eorum imposita dixit: Cu-

Deinde (εἶτα) *dic gratiarum actionem, impone thus*), et legitur Apostolus ad Ephesios.* (Ἀπόστολος πρὸς Ἐφεσίους) *Cap.* ε' = 5. (*Vulg. Eph. 5, 22—6, 3.*).

Epistola catholica Petri I. (καθολικὸν Πέτρου). (*Vulg. I. Petr. 3, 5—7*).

Actus Apostolorum (πρᾶξις). *Vulg. Act.. 16, 13—15.*

Psalmus (ιη' = 18.) (18, 6).

Tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exsultavit ut gigas ad currendam viam suam.

Psalmus 127, 3.

Sit uxor tua sicut vitis uvarum florens ad latus domus tuae: filii tui sicut plantationes novae olivarum in circuitu mensae (τράπεζα) tuae.

Evangelium secundum Matthaeum.

(Εὐαγγ. κατὰ Ματθαῖον) *Cap.* μ' = *40.* (*Vulg. Matth. 19, 1—6*) **).

Respondet populus dicens:

Quos adaptavit (Arabs: copulavit) in unum Spiritus Sanctus quemadmodum citharam (κυθαρα = κιθάρα), benedicite Deum semper in psalmis et hymnis et canticis (ᾠδή) spiritualibus (πνευματικόν) die ac nocte in corde non silente.

Deinde diaconus (διάκονος) *dicat has orationes ***):*

Domine Deus[1] omnipotens, qui es in coelis, Deus patrum nostrorum, rogamus te Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison[2].

Qui creasti coelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt, et ornasti ea in sapientia (σοφία) tua[3]: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

---

1 R deest Deus. — 2 R deest pluries: Kyrie eleison. — 3 R deest et ornasti . . . tua.

rate, ut diligenter observetis, quae Deus praecepit in S. Evangelio, et cogitate quod sitis caro una, quare etiam animo et corde conjuncti maneatis. Sic substiterunt usque ad finem missae, qua finita dedit illis benedictionem. Ita Alvaresius apud Legrand et Ludolfum l. 4. c. 4. n. 5. Gregorium suum cum de his interrogasset Ludolfus, respondit, abscissionem capillorum sibi ignotam et forsan in Tigra tantum usitutam fuisse. Gaïa autem in opere cérémonies nuptiales de toutes les nations, Paris 1681. p. 29. ait etiam ipse, apud Aethiopes sacerdotem sponsis capillos abscindere eosque in vinum melle mixtum intingere, tum capillos mariti in locum capitis mulieris ponere, ex quo capillos absciderat, et aqua benedicta aspergere.

*) Vanslebius (Hist. Part. 4. Sect. 3. c. 3. §. 2.) ritum eodem modo describit. Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis et incensat, recitaturque psalmus 28.

**) Ex Vanslebio legitur item Matth. 19, 1—6.

***) Vanslebius ait: sacerdotem ad occidentem conversum undecim orationes super ipsos recitare. Sunt autem eae, quae sequuntur, quae hic diacono tribuuntur. Qua de re confer sequentem Renaudotii ordinem.

Qui creasti hominem ad (κατά) similitudinem et imaginem (εἰκών) tuam et posuisti eum in Paradiso (παράδεισος) laetitiae: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui creasti feminam ex latere Adae, et dedisti eam ipsi in adjutricem (βοηθός) similem ipsi: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui benedixisti Abraham, et Saram[1] ei conjunxisti in uxorem, et dedisti ei ordinem (τάξις) patriarchatus (—πατριάρχης): rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui custodisti Isaac et conjunxisti ei Rebeccam (Τερεβεκκα), et salvasti eum ab inimicis ejus: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri[2].

Kyrie eleison.

Qui benedixisti Jacob et conjunxisti ei Rachel in uxorem ipsi, et fecisti eos haeredes (κληρονόμος) repromissionis (ἐπαγγελία): rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui exaltasti Joseph et conjunxisti ei Aceneth et per eum[3] aluisti[4] universam terram Aegypti: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Cui complacuit in novissimis diebus nasci ex muliere, et qui illuminasti genus (γένος) humanum: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui interfuisti nuptiis in Cana Galilaeae, benedic huic conjunctioni, quemadmodum (κατὰ —) benedixisti conjunctioni illi[5]: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui mutasti aquam in vinum verum[6] in potestate divinitatis tuae: benedic servis tuis continuo et purifica[7] eos in humanitate tua[8]: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Qui fuisti in Cana Galilaeae et benedixisti nuptiis ibi, et aquam mutasti in vinum verum[9] in potestate divinitatis tuae[10]: benedic et protege (σκεπάζειν) has nuptias servorum tuorum N. (maris) et N. (feminae[11]) in pace, et unitate[12], et charitate (ἀγάπη), custodi eos: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison[13].

---

1 R addit et. — 2 R deest hic versus. — 3 R eos. — 4 R confortasti. — 5 R add. Amen. — 6 R optimum. — 7 R obsigna. — 8 R add. Amen. — 9 R deest verum. — 10 R add. Amen. Deprecamur te Domine, exaudi et miserere nostri. K. e. — 11 R deest N. . . . feminae. — 12 R honore. — 13 R deest rogamus . . . . K. e.

Benefactor et misericors, multae bonitatis (— ἀγαθός) et misericordiae[1] Deus[2], fac nos dignos, qui glorificemus bonitatem (— ἀγαθός) tuam, amator hominum[3]: rogamus te, Domine, exaudi nos et miserere nostri.

Kyrie eleison.

Responsionem dicit populus:

Christe, Verbum (λόγος) Patris, Unigenite Dei, da nobis tuam pacem, quae est omni gaudio plena.

Deinde dic pacem, patres, congregationes, fidem). Deinde* (εἶτα) *dic hanc orationem* (εὐχή).

Deus qui es (Arabs: aeterne pro tempore praeterito[4]), qui permanes in saecula, principii (ἀρχή) expers, cujus sapientia non dormitat[5], et cujus potestas est sine limite, qui creasti hominem e terra, qui aedificasti (i. e. dedisti ei[6]) ei uxorem e latere ejus et adaptasti (Ar. conjunxisti[7]) eam in adjutricem (βοηθός) similem ipsi[8], sicuti placuit majestati et benignitati[9] (— ἀγαθός) tuae, quia bonum non esset, hominem esse solum: tu igitur nunc Dominator noster, conjunge servos tuos N. (marem) et N. (feminam[10]), et si conjungentur invicem in carne (σάρξ) una, intrent in legem (νόμος) laetitiae, maneant in disciplinis fidelibus[11]. Dona eis[12] fructum vivum ventris, ut fruantur (ἀπολαύειν) generatione filiorum bona et temporibus tranquillitatis pacificae (εἰρηνικόν). Praepara eos in omnibus operibus bonis in Christo Jesu Domino nostro, qui.

Populus dicit responsionem:

Quemadmodum dedisti eam sanctis (ἅγιος) Apostolis tuis, dic etiam nobis: Pacem meam do vobis.

Propter Deiparam (θεοτόκος).

Porta (πύλη) orientis es Maria Virgo (παρθένος), thalamus purus sponsi (νύμφιος) puri (καθαρός).

Secunda oratio (εὐχή) *matrimonii.*

Sacerdos dicat.

Domine Deus noster, creator omnium creaturarum (φύσις), qui creasti hominem de terra et conjunxisti[13] ei adjutricem (βοηθός) per costam, quam extraxisti ex eo, et coaptasti eos in societatem[14] (κοινωνία) matrimonii, ad vitam et augmentum perpetuum in genere (γένος) humano, et dixisti eis: Crescite, multiplicamini, implete terram et dominamini super eam: tu igitur bone (ἀγαθός) et amator hominum, benedic conjunctioni servorum tuorum N. (maris) et N. (feminae[15]) horum, qui mutuo conjunguntur secundum (κατά) voluntatem tuam, benedic eis[16]. Multiplicen-

---

[1] R haec ad praecedentem versum trahit. — [2] R Domine. — [3] R deest amator hominum. — [4] R ab aeterno existens. — [5] R mutatur. — [6] R dedisti. — [7] R constituisti. — [8] R deest similem ipsi. — [9] R deest et benignitati. — [10] R sponsum et sponsam ejus. Amen. — [11] R doctrinas pietatis. — [12] R add. Domine. — [13] R formasti. — [14] R sub dispositione. — [15] R sponsi et adjutricis ejus. — [16] R deest benedic eis; add. ut.

*) Post undecim illas orationes sacerdos dicit orationes pro pace, pro patriarcha et pro Ecclesia, et symbolum fidei cum duabus orationibus annexis. Ita Vanslebius.

tur quemadmodum benedixisti primis patribus nostris[1] Abraham, Isaac et Jacob; benedic eis quemadmodum Abraham et Sarae, magnifica eos quemadmodum Isaac et Rebeccam; multiplicentur quemadmodum multiplicasti Jacob et semen ejus; glorifica eos quemadmodum glorificasti Joseph in Aegypto, concede (χαρίζεσθαι) eis puritatem ejus; crescant quemadmodum Elcana et Anna, quibus benedixisti et donasti eis fidelem (πιστός) Samuelem prophetam (προφήτης), et dignos eos fac laeto[2] nuntio Archangeli (ἀρχάγγελος) tui sancti[3], quemadmodum Zachariam et Elisabeth, quibus donasti filium summum inter natos mulierum Joannem, qui fuit praecursor (πρόδρομος) ante unigenitum tuum Filium. Tu iterum Domine benedixisti Joakim et Annae, operatus es in eis arcam (κυβωτος = κιβωτός) spiritualem (νοηρά), Deiparam (θεοτόκος) Mariam, in qua carnem (σάρξ) sumpsit unigenitus Filius, venit in mundum (κόσμος), benedixit nuptiis Canae Galilaeae. Benedic[4] his servis tuis N. (mari) et N. (feminae[5]), qui conjunguntur hac hora. Dona eis abundantiam[6], sapientiam et species[7] salutis, ut in omni pietate (— εὐσεβής) et sanctitate[8] (— σεμνός) sint conjuncti in corporibus (σῶμα) et spiritibus (πνεῦμα) suis, ut digni sint benedictione a te, et glorificent nomen sanctum tuum cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto nunc et semper.

Responsionem dicat chorus (χορός).

Pacem meam, quam ego accepi a Patre meo, relinquo vobis ex nunc et usque in saecula.

Propter Deiparam (θεοτόκος) *Mariam.*

Reges omnes terrae ambulant in lumine, et gentes (ἔθνος) in splendore, o (ὦ) Maria mater Dei. Salomo vocavit te in Cantico Canticorum: Soror mea et amica mea et civitas (πόλις) mea vera Jerusalem.

Tertia oratio (εὐχή) *matrimonii.*

Sacerdos dicat:

Domine Deus noster, magne, aeterne, qui fecisti vitam ex eo, quod non erat, et largitus es[9] existentiam per verbum tuum, tu qui formasti (πλάζειν) hominem manibus tuis immaculatis ad (κατά) tuam imaginem (εἰκών) et ad (κατά) tuam similitudinem, ex uno constituisti alterum dicens: Non est bonum, hominem esse solum, et immisisti somnum soporis super Adam et dormivit, tulisti costam de latere[10] ejus et replevisti locum ejus carne (σάρξ) pro ea, ut[11] propterea homo relinqueret patrem suum et matrem suam, et adhaereret uxori suae, et essent duo in carne (σάρξ) una — quod Deus conjunxit, homo non separet —[12], qui benedixisti Abraham in Sara et Isaac in Rebecca, et Jacob in Lia (Ἑλια) et Rachel, et purificasti omnes, qui communicarunt[13] in benedictione: tu igitur nunc, Dominator Domine noster[14], respice super servos tuos N. (marem) et N. (fem.[15]) adjutricem (βοηθός) ejus[16]; confirma conjunctionem eorum, custodi thorum eorum purum, protege (σκέπαζειν) eos et domum[17] eorum per dexteram tuam invictam. Libera eos ab omni invidia

---

[1] R deest nostris; add. qui placuerunt tibi; illos multiplicando. — [2] R deest laeto. — [3] R deest tui sancti. — [4] R add. Domine. — [5] R sponso et adjutrici ejus. — [6] R tranquillitatem. — [7] R plenitudinem. — [8] R castimonia. — [9] R add. omnibus rebus. — [10] R deest de latere. — [11] R add. uterque unum essent, et. — [12] R add. tu igitur nunc. — [13] R conjuncti sunt. — [14] R deest Dominator noster. — [15] R sponsum et. — [16] R add. Amen. — [17] R in domibus.

(φθόνος) et omnibus insidiis (ἐπιβουλή), custodi eos in concordia et pace (εἰρήνη), largire (χαρίζεσθαι) eis laetitiam et gaudium, ut exhibeant tibi Deo vivo[1] fructum (καρπός) vivum ventris. Benedic eos[2] quemadmodum benedixisti Araham in[3] Sara, et Isaac in Rebecca, et Jacob in Lia et Rachel, his, qui aedificaverunt domum Israel. Et in nomine Domini nostri Jesu Christi his, qui in hoc loco nobiscum sunt, viris et feminis, benedic[4], per ipsum Dominum nostrum, et Deum nostrum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, per quem[5].

Respondeat chorus:

Ne obliviscaris testamenti (διαθήκη), quod disposuisti cum patribus nostris Abraham, Isaac et Jacob, Israel sancto tuo. Angelus hujus diei volans in altissimum cum hoc hymno (ὕμνος) memoretur nostri ante Dominum, ut dimittat nobis peccata nostra.

Propter Virginem Mariam.

Splendens super solem tu es ex oriente (ἀνατολή); justi exspectant ante ipsum in laetitia et gaudio.

Oratio inclinationis capitis.

Sacerdos dicit (ὁ ἱερεὺς λέγει)·

Inclina aurem tuam Domine et exaudi nos peccatores et indignos[6]: conforta conjunctionem horum servorum tuorum N. (viri) et N. (fem.[7]) adjutricis (βοηθός) ejus; libera eos ab omni malo, sint longaevi multitudinem dierum viventes in mansuetudine et sanctitate (σεμνός) et patientia[8] (ὑπομονή) et subjectione, irreprehensibiles (et) sine offensione. Illumina eis[9] oculos cordis eorum et intelligentiae eorum, ut faciant voluntatem tuam omni tempore[10], tu enim (γάρ) es misericors, multa misericordia tua omnibus invocantibus te. Mittimus tibi sursum gloriam et honorem et adorationem (προςκύνησις) nunc et semper.

Respondeat chorus:

Benedicat nos Deus, benedicimus nomini sancto ejus semper, benedictio ejus maneat super nos. Benedictus Pater cum Filio et Spiritu Sancto, Trinitas perfecta, adoramus eam, glorificamus eam.

Oratio super oleum, antequam ungantur.

Sacerdos benedicit oleum dicens):*

Dominator[11] Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui[12] per fructum (γένημα) arboris olivae pinguis[13] unxisti sacerdotes et reges et prophetas: rogamus et obsecramus te Domine[14] amator hominum bone[15] (ἀγαθός), ut (ὅπως) in benedictione benedicas hocce oleum; sit oleum sanctificationis (ἁγιασμός) servis tuis N. (mari) et N. (fem.[16]) Amen[17]. Arma (ὅπλον) veritatis.

---

[1] R deest vivo. — [2] R add. Deus. — [3] R et Sarae (ita porro.) — [4] R add. omni benedictione spirituali et coelesti, domibus et habitationibus eorum. — [5] R per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum J. C. etc. — [6] R deest et indignos. — [7] R sponsi et. — [8] R castitate, pace. — [9] R add. quotidie. — [10] R deest ut faciant . . . tempore. — [11] R deest Dominator. — [12] R add. antiquitus. — [13] R laetissimo. — [14] R deest Domine. — [15] R bonitatem tuam. — [16] R sponso et adjutrici ejus. — [17] R add. Kyrie eleison et ita porro post unumquodque Amen.

*) Hanc olei benedictionem et unctionem in fronte peragendam post orationem matrimonii memorat etiam Vanslebius in Historia. In Itinere autem et in Descriptione Aegypti ait, unctionem fieri in fronte et sub pugno.

Amen[1]. Et justitiae (δικαιοσύνη). Amen. Unctio puritatis et integritatis[2]. Amen. Lumen et decor incorruptibilis. Amen. Ad pulchritudinem[3] et ornamentum verum. Amen. Ad virtutem et salutem[4] et victoriam contra impugnationes (ἐνέργεια) omnes adversarii (ἀντικείμενος). Amen. Ad renovationem et salutem (σωτηρία) animae (ψυχή) et corporis (σῶμα) et spiritus (πνεῦμα) eorum. Amen[5]. Ad divitias et fructus bonorum operum. Amen. Ad gloriam et honorem nominis tui[6] et unigeniti tui Filii et Spiritus Sancti vivificantis et consubstantialis tecum nunc et semper[7].

Ad unctionem sponsi hoc modo psallit (ψάλλειν) chorus (χορός)·

Hocce oleum (Arabs: unctio) compescat daemones (δαίμων). hocce oleum contra spiritus (πνεῦμα) malos (πονηρός), hocce oleum sanctorum (ἅγιος) spirituum (πνεῦμα), hocce oleum contra (ἐνάντια) spiritus immundos (ἀκάθαρτον) per Jesum Christum regem gloriae. Benedictus Pater cum Filio et Spiritu Sancto, Trinitas perfecta, adoramus eam, glorificamus eam.

De Deipara (θεοτόκος).

Porta (πύλη) orientis (orientum) est Maria virgo, thalamus purus sponsi (νύμφιος) puri (καθαρός).

Secunda oratio matrimonii. Sacerdos dicat:

Domine Deus noster, creator omnium rerum (φύσις), qui creasti hominem de terra, et dedisti ei (conjunxisti ei) adjutorium ex costa quam extraxisti ex eo, et coaptasti eos in societatem (κοινωνία) matrimonii in vitae rationem et augmentum perpetuum generis humani (in genere hominum), et dixisti eis: Crescite et multiplicamini, implete terram (et) dominamini ei: tu igitur bone et amator hominum, benedic conjunctionem servorum tuorum N. (maris) cum N. (femina) horum, qui conjunguntur invicem (coaptantur invicem) secundum (κατά) voluntatem tuam, benedic eis: multiplicentur, quemadmodum benedixisti primos nostros parentes: Abraham, Isaac et Jacob; benedic eis, quemadmodum Abrahae et Sarae; extolle eos, quemadmodum Isaac et Rebeccam; multiplicentur quemadmodum multiplicasti Jacob et semen ejus; glorifica eos, sicuti magnificasti Joseph in Aegypto: concede eis (χαρίζεσθαι) puritatem ejus; fac multiplicentur quemadmodum Elkana et Anna, quos benedixisti, donans eis fidelem (πιστός) Samuelem prophetam; et dignos eos fac laeto nuntio Archangeli tui sancti, quemadmodum Zachariam et Elisabeth, quibus donasti filium (generationem) maximum inter natos mulierum Joannem, qui fuit praecursor (πρόδρομος) ante unigenitum tuum Filium. Tu iterum Dominator Domine benedixisti Joachim et Annam: operatus es in eis arcam (κυβωτος = κιβωτός) prudentem (νοηρά), Deiparam Mariam, in qua carnem sumpsit unigenitus Filius tuus, venit in mundum (κόσμος) et benedixit nuptias Canae Galilaeae: benedic hos servos tuos N. (virum) et N. (fem.), qui conjunguntur in hac hora; dona eis abundantiam, sapientiam et (formas sive species salutis) salutem, ut in omni pietate (εὐσεβής) et sanctitate (σεμνός) sint conjuncti in corporibus suis, ut

---

1 R puritatis, deest Amen. — 2 R deest et integritatis. — 3 R laetitiam. — 4 R deest et salutem. — 5 R deest Amen. — 6 R add. sancti. — 7 R Pater, Fili et Spiritus Sancte nunc et semper et in saecula saeculorum.

digni sint benedictione a te et glorificent nomen sanctum tuum cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto nunc et semper.

Responsionem dicat chorus:

Pacem meam, quam ego accepi a Patre meo, relinquo vobiscum ex nunc et usque in saecula.

De Deipara Maria.

Reges omnes terrae ambulant in lumine (sc. tuo) et gentes (ἔθνος) in splendore (sc. tuo): o Maria mater Dei. Salomon canit in Cantico Canticorum: Soror mea et amica mea, civitas (πόλις) mea vera Jerusalem.

Tertia oratio (εὐχή) matrimonii (γάμος).

Dicat sacerdos:

Domine Deus noster magne et aeterne (qui es usque in saecula), qui fecisti vitam esse ex nihilo (eo quod non erat), largiens (χαρίζεσθαι) existentiam per verbum tuum, qui hominem formasti (πλάζειν) manibus tuis immaculatis ad (κατά) tuam imaginem (εἰκών) et ad (κατά) tuam similitudinem, (qui) ex uno constituisti alium dicens: non est bonum, hominem esse solum, et immisisti somnum gravissimum (somnum soporis) in Adam et dormivit, (qui) tulisti costam e latere ejus, (et) replevisti carnem pro ea, ut propterea homo relinqueret patrem suum et matrem suam, et adhaereat (adhaerebit) uxori suae et sint (erunt) duo in carne una (quod Deus conjunxit, homo non separet), qui benedixisti Abrahae in (super) Sara, et Isaac in (super) Rebecca et Jacob in (super) Lia et Rachel et purificasti omnes, qui participant in benedictione: tu igitur nunc Dominator noster Deus respice super servos tuos N. (virum) et N. (fem.): confirma conjunctionem eorum, custodi thorum eorum purum, protege (σκεπάζειν) eos et domum eorum per dexteram tuam invictam.

Ad unctionem vero (δέ) sponsae psallit (ψάλλειν) chorus (χορός) hoc modo: Unxisti caput meum oleo et calix tuus inebrians sicut fortitudo (Arabs: vinum purum). — Misericordia tua persequatur me omnibus diebus vitae meae. Omnes gentes (ἔθνος) beatos dicent (μακαρίζειν) eos, dicentes: Fiat. Amen. Dominus misit angelum (ἄγγελος) suum et tulit me ab ovibus patris mei et unxit me oleo unctionis suae. Fratres mei boni et magni sunt, beatificabunt (μακαρίζειν) me dicentes: Fiat, fiat. Amen. Benedictus.

Oratio post unctionem eorum cum oleo benedicto.

Sacerdos (ἱερεύς) dicit:

Domine Deus virtutum, innumerabilis in misericordiis tuis, et incomprehensibilis in bonitate (— ἀγαθός) tua, suscipe orationem nostram, protege (σκεπάζειν) servos tuos N. (mar.) et N. (fem.), serva conjunctionem eorum, custodi thorum eorum purum; circumvalla nos cum eis per angelos (ἄγγελος) sanctos, emitte super nos e praeparato tabernaculo tuo multitudinem miserationum tuarum, disperge multitudinem praevaricationum (παράπτωμα) nostrarum per bonitatem (— ἀγαθός) tuam, et dona nobis praeterea, ut simus in loco quietis sanctorum tuorum in regno coelorum per unigenitum tuum Filium Jesum Christum Dominum nostrum, per quem.

Apprehende coronas et ora super eas hoc modo:

Domine[1] sancte, qui coronasti sanctos tuos coronis immarcescibilibus et conjunxisti coelestia cum terrestribus in unitate, tu igitur nunc Dominator noster[2] benedic has coronas, quas paravimus, ut poneremus eas super servos tuos[3]: sint eis corona gloriae et honoris. Amen. Corona benedictionis[4] et salutis. Amen. Corona gaudii et fortunae[5]. Amen. Corona exsultationis et laetitiae. Amen. Corona virtutis (ἀρετή) et justitiae (δικαιοσύνη). Amen. Corona sapientiae (σοφία) et intellectus[6]. Amen. Corona fortitudinis et roboris. Amen. Largire (χαρίζεσθαι) servis tuis, qui eas portabunt, (φορεῖν) angelum (ἄγγελος) pacis et vinculum charitatis (ἀγάπη), erue eos ab omni cogitatione turpi, et omni cupiditate (ἐπιθυμία) inhonesta; et libera eos ab omnibus molestiis (βάρος) malis (πονηρόν) et afflictionibus[7] (ita Arabs ἐπήρα = πειρασμός?) diabolicis (διαβολικόν); sit misericordia tua super eos, exaudi clamorem orationis eorum; injice timorem tuum in cor[8] eorum, rege vitam eorum, ut vivant in indefinitum[9] usque ad senectutem, laetifica eos in aspectu filiorum et filiarum[10], et quos genuerint, duc eos, ut utiles sint[11] in tua una sola[12] catholica apostolica[13] Ecclesia sancta, confirmati in fide orthodoxa usque[14]. Rege eos in via veritatis[15] per beneplacitum[16] Patris tui boni (ἀγαθός) et Spiritus Sancti, nunc et semper[17].

Dum imponit sacerdos coronas super capita eorum, psallant (ψάλλειν) *dicentes hanc lectionem* (λέξις).

Gloria et honore corona eos (sive eum): Pater benedicit, Filius coronat, Spiritus Sanctus sanctificat (eundem) et perficit. Δόξῃ καὶ τιμῇ στεφάνωσον αὐτούς (sive αὐτόν)· ὁ Πατὴρ εὐλογεῖ, ὁ Υἱὸς („υἵω“) στέφει, τὸ Πνεῦμα ἅγιον ἁγιάζει (τὸν αὐτόν) καὶ ἀποτελεῖ.

Dignus (ἄξιος) *(ter)* sponsus cum adjutrice (βοηθός) sua.

Cingens eos corona dic):*

Impone Domine super servos tuos coronam gratiae invictae, coronam gloriae supernae et magnae, coronam fidei sanctae et inexpugnabilis, et benedic omnibus operibus eorum; quoniam tu es dator omnium bonorum (ἀγαθόν) Christe Deus noster: te decet (πρέπει) gloria et honor cum Patre tuo bono (ἀγαθός) et Spiritu Sancto tuo vivificante consubstantiali tecum, nunc et semper.

Deinde (εἶτα) *dic hoc encomium* (ψαλι), *in tono* (ἦχος) *Adam. Atque hic est psalmus alphabeticus secundum Alphabetha graecum.*

Coronas immarcescibiles dedit Dominus super hunc sponsum Jesu Christi.

Illuminare, illuminare, o sponse, cum sponsa tua vera in loco tuo parato. Accipe gaudium et donum (δωρέα) Dei, quae dedit tibi Chri-

---

[1] R Deus. — [2] R deest tu igitur . . . noster. — [3] R dentur servis tuis. — [4] R liberationis. — [5] R gratiae. — [6] R mansuetudinis. — [7] R tentationem. — [8] R mentibus. — [9] R usque in finem; add. concorditer. — [10] R deest et filiarum. — [11] R annumerentur. — [12] R unica; deest sola. — [13] R hac; deest apostolica. — [14] R deest usque. — [15] R justitiae. — [16] R gratiam. — [17] R deest et Spiritus . . . semper; add. cum quo benedictus sis etc.

*) Haec breviter describit Vanslebius ita: sacerdos benedicit coronas et capitibus eorum imponit, populo hymnos canente.

stus Deus noster. Ingredere in gaudio ad thalamum tuum, quod ornatum est varie.

Deinde (εἶτα) *dicatur:* Pater noster *et solutio.*

Sacerdos ponat signum crucis (σταυρός) *sanctae super caput sponsi (i. e. signat* (σφραγίζειν) *id) et dicit:*

Qui benedixit Patrem nostrum Adam et Noe et Abraham et Moysem in terra Madian, benedicit (Arabs hic et deinceps: benedicat) tibi o (ὦ) sponse cum adjutrice (βοηθός) tua; qui benedixit Isaac dilecto et Abel justo primo et Salomoni et patri ejus David, benedicit tibi, o sponse, cum adjutrice (βοηθός) tua; qui benedixit patri nostro Jacob, Israel et Esau et justo Job, benedicit tibi septies, o sponse, cum adjutrice (βοηθός) tua.

Signans (σφραγίζειν) *sponsam dic:*

Qui benedixit patri nostro Adam cum Eva, et Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, benedicit huic conjunctioni; qui benedixit Jacob Israel super Lia et Rachel et Annae matri Samuelis, benedicit huic conjunctioni; qui benedixit Joseph cum Aseneth, et Zachariae cum Elisabeth et Mariae matri sponsae et omnibus mulieribus benedictis, benedicit huic conjunctioni.

Arabice: Admonitio legenda super sponsam).*

Chorus respondeat dicens:

Cherubim adorant eum, Seraphim glorificant eum clamantes dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus es Domine in millibus, et honorificatus es in decem millibus, tu es bonus odor, Salvator mi, quia venisti et redemisti nos; miserere nostri.

Sacerdos porro legit: (Arabice).

Chorus respondeat dicens:

Pacem meam, quam accepi a Patre meo, ego relinquo vobiscum ex nunc et usque in saecula.

Sacerdos porro legat: (Arabice). Chorus dicat: Rex pacis, da nobis tuam pacem, confirma nobis tuam pacem, dimitte nobis peccata nostra.

Sacerdos porro legat: (Arabice).

Chorus dicit: Audi filia mea, vide, inclina aurem, obliviscere populi tui et domus patris, quoniam rex concupivit (ἐπιθυμεῖν) speciem, quia ipse est Dominus: Audi, o sponsa, et intellige et inclina aurem, quoniam sponsus concupivit bonitatem (pulchritudinem ἀγαθός) tuam, quia ipse est maritus et convenit eum audire.

Sacerdos porro legat: (Arabice).

Chorus dicat: Rex pacis, da nobis tuam pacem, confirma nobis tuam pacem: dimitte nobis peccata nostra.

Sacerdos porro legat dicens: (Arab.)

Chorus psallat dicens:

Tempus benedictionis est hoc tempus boni odoris electi, tempus cantici nostri ad Salvatorem nostrum, amatorem hominum bonum (ἀγαθός).

---

*) Hanc exhortationem de mutuis officiis legentem sacerdotem se vidisse testatur Vanslebius in Itinerario et Descriptione.

Sacerdos dicat: (Arabicè).

Deinde dicitur: Pater noster, qui es in coelis.

Sacerdos dicat benedictionem. Chorus (χορός) *dicat hunc canonem* (κανών): Salve (χερε = χαῖρε) sponsa splendens, mater illuminatoris, salve (χαῖρε), quae suscepisti apud te Verbum: quod fuit in utero tuo; salve (χαῖρε) honorificata super Cherubim, salve, quae peperit nobis Salvatorem animarum (ψύχη) nostrarum. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc. Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ Πνεύματι ἁγίῳ νῦν.

Vade: [illegible]

Cantate Domino in carmine novo, in cantico (ᾠδή) et in hymno (ὕμνος) propter fratrem bonum (ἀγαθός) sponsum cum auxiliatrice (βοηθός) sua; clamemus plane (ῥιτως = ῥητῶς) in voce exsultationis: gaudium et exsultatio Domini, o sponse, cum auxiliatrice tua. Dicamus cum David psalmista: Jesus Christus det tibi videre bona (ἀγαθόν) Jerusalem civitatis (πόλις) Domini *).

c. *Depositio coronae.*

Depositio coronae de capite sponsi in die septimo **).

Dicitur gratiarum actio, et oratio (εὐχή) *thuris* ***) *et legitur Apostolus α′ ad Timotheum δ′ ε′ = (4. 5). (Vulg. 4, 9—15).*

Deinde (εἶτα) *dicatur Trisagion* (τρισάγιος) *et oratio* (εὐχή) *Evangelii et ex psalmo ρκζ′ = 127.*

Sit uxor tua sicut vitis uvarum, florens in lateribus domus tuae.

Lectio (λέξις).

Filii tui sicut plantationes novae olivarum (circumdantes) mensam (τράπεζα) tuam.

Evangelium secundum Joannem: Cap. α′ = 1. (Vulg. Joan. 1, 14—17 ****).

Dic consolationes, pacem (εἰρήνη), *patres, congregationes, fidem* †), *etc., et hanc orationem* (εὐχή):

Deus patrum nostrorum, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, tu Dominator noster Domine, amator hominum, in manu tua potenti et brachio tuo excelso magnificatus es (protexisti) in servis tuis N. (viro) et N. (fem.): rogamus te Dominator

*) Teste Vanslebio in Itinere et Descriptione post coronationem sequuntur preces matutinae et tunc celebratur missa, inter quam sponsi ad communionem accedunt.

**) In codice item Vaticano Coptico 52. dicitur fieri hic ritus die 7. post initum matrimonium. Idem dies aliter supputatus dicitur octavus. Vanslebius, qui hunc ritum Hist. Part. 4. Sect. 3. c. 3. §. 3. describit, diem octavum ei assignat. Ita et Gaïa l. c. quoad Aethiopes.

***) Incipit item ex Vanslebio ritus per orationem gratiarum actionis et incensationem.

****) Sacerdos, teste Vanslebio, legit I. Tim. c. 4., psalmum 127, initium evangelii secundum Johannem.

†) Item secundum Vanslebium post lectiones sequuntur orationes pro pace et aliae deinceps tunc symbolum fidei.

noster, protege (σκεπάζειν) eos et societatem eorum, qui inclinant tibi capita sua in timore et fide, in omni pace (εἰρήνη) et voluntate tua omni et misericordia omni confirma in eis. Sit benedictio tua et misericordia tua perpetuo super domum eorum, ut custodias eos ambulantes secundum (κατά) id, quod tibi placet, et secundum (κατά) id, quod convenit (?) mulieribus, duc eos, ut vocent se ad pietatem; ut (ἵνα) etiam in hoc quemadmodum et in omnibus glorificetur et benedicatur et exaltetur magnum nomen sanctum tuum, in omnibus glorificate et benedicte, plene gloria Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc et semper.

Postea dicatur: Pater noster, qui es in coelis.

Et sacerdos dicet solutionem et benedictionem, et deponet coronam de capite).*

d. *Lectiones in diebus ferialibus.*

Hae sunt lectiones (ἀνάγνωσις), ***quae leguntur in synaxibus*** (σύναξις) ***sponsorum, quando occurrent extra dies dominicas*** (κυριακή).

Apostolus ad Ephesios γ' = 3. *Vulg. 4, 1—7.*

Catholica epistola (καθολικὸν Πέτρου) *Petri. 1. Cap.* ε' = 5. *Vulg. 1. Petr. 3, 5—9. Actus Apostolorum* (πρᾶξις) *Cap.* ιγ' : να' = *13: 51. Act. Vulg. 4, 32—35.*

Dicitur Trisagion (τρισάγιος) *et oratio* (εὐχή) *Evangelii, et ex psalmo* κ' = *20. (Vulg. Ps. 20, 2).*

Domine in virtute tua laetabitur rex et super salutare tuum exultabit vehementer.

Evangelium secundum Joannem Cap. δ' = ***4.*** *(Vulg. 2, 1—11).*

Responsio postea:

Sex hydrias (ὑδρία) aquae in vinum eximium convertisti per magnam gloriam tuam in nuptiis Canae Galilaeae.

e. *Matrimonium secundum.*

Legenda super eos, qui in secundo matrimonio copulandi sunt i. e. super viduas (χήρα).

*) Eodem modo terminatur ritus apud Vanslebium. Sacerdos post orationem dicit Pater noster et absolutionem, tollitque coronas ipsis benedicens. Qui etiam §. 4. describit absolutionem uxoris die quadragesimo peragendam. Sacerdos recitat gratiarum orationem, altare incensat, legit Eph. 5, 33—6, 3 et Matth. c. 25, post vero quatuor orationes, Pater noster, absolutionem; benedictionem ei dat et in fine Missae communionem. Ad hoc refertur etiam, quod Ludolfus ex sui Gregorii testimonio de Aethiopibus ait, Appendix p. 439. sq., sponsos intra decem dies domo non egredi laetantes cum propinquis suis. Alvarez vero tradit, uxorem novam, si honoratior fuerit, quinque vel sex menses domo non egredi, nisi gravidam se factam sentiat. Gaïa Cérémonies nuptiales p. 29. ait, apud Aethiopes matrimonio junctos per mensem domo non exire et uxorem tunc etiam nonnisi velo nigro tectam, quod demum post sextum mensem deponit, quum gravida facta fuerit.

Dic primum gratiarum actionem, impone thus, lege: Pater noster, qui es in coelis, *et psalmum* ν' = 20. *Et legitur Apostolus ad Corinthios* α' = I. *Cap.* λδ' = 34. *(Vulg. I. Cor. 7, 7—9.)*

Deinde dicatur Trisagion (τρισάγιος), *et oratio* (εὐχή) *Evangelii et psalmus* ρκζ' = 127.

Sit uxor tua sicut vitis uvarum etc. (*ut supra, et omittitur:* Lectio [λέξις]).

Evangelium secundum Joannem Cap. ζ' = 7. *(Vulg. 3, 27—29.)*

Responsio Evangelii:

Ecce enim (γάρ) gaudium tuum et exsultatio tua impleta sunt, Joannes Baptista, consanguinee (συγγενής) Emmanuelis.

Dic consolationes, pacem, patres, congregationes), fidem et hanc orationem* (εὐχή)·

Sacerdos dicit:

Dominator[1] Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui formasti (πλάζειν) hominem ex terra, dedisti ei adjutricem (βοηθός) similem ipsi, quam fecisti ex ipso, ut esset ipsi in mulierem et societatem et adjutorium[2], ut pareret filios et filias ad multiplicationem generis (γένος) humani; et ipse etiam Paulus Apostolus unigeniti tui Filii Jesu Christi mandat dicens iis, qui non nupserunt et viduis (χήρα): Bonum est illis, si sic permaneant[3], si vero non continebunt (ἐγκρατεύεσθαι), nubant magis quam urantur.

Propterea rogamus et obsecramus benignitatem tuam, amator hominum, propter servos tuos N. (virum) et N. (fem.), qui conjunguntur hac hora propter infirmitatem (ἀσθενής) suam et[4] propter amaritudinem solitudinis hominis solius. Nunc igitur Domine noster ne repules eis hoc in peccatum, sed (ἀλλά) dona eis liberationem[5] et remissionem, protege (σκεπάζειν) eos, libera eos ab omni invidia (φθόνος), custodi eos in concordia[6], largire (χαρίζεσθαι) eis laetitiam et gaudium, multitudinem annorum, et tempora tranquilla in pace (εἰρήνη) et charitate (ἀγάπη) et justitia (δικαιοσύνη). Benedic eis, sicut benedixisti Jacob cum Lia et Rachel, et sicut Elcana cum Anna et Phenenna: custodi eos ab omni malo. Et eos, qui in hoc loco nobiscum sunt, viros et feminas: benedic ipsis et habitationibus eorum. Me vero (δέ) etiam purifica ab omnibus inquinamentis alienis, libera me ab iis, quae mea ipsius sunt, quia tu misericors et multa misericordia tua omnibus invocantibus te; et tibi mittimus[7] sursum gloriam et honorem et adorationem (προσκύνησις) cum

---

[1] R deest Dominator. — [2] R deest et adjutorium. — [3] R melius est illis, ut sint sicut ego. — [4] R deest infirmitatem suam et. — [5] R absolutionem. — [6] R misericordia. — [7] R et tibi debetur etc. desunt reliqua.

*) Vanslebius Hist. Part. 4. Sect. 3. c. 3. §. 5. de secundis nuptiis ex suis auctoribus ita scribit. Cum matrimonium contrahitur, in quo vel una pars viduata est, vel ambae, sequentia observantur. Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis, incensat altare, legit I. Cor. 7, 7—9, recitatur psalmus 127. et Joh. 3, 27—29. Dicit orationem pro pace, pro patriarchis, pro Ecclesia et praeterea nihil. Quodsi altera pars sit caelebs, super ipsam peculiariter fiunt ceremoniae pro matrimonio coelibum praescriptae, ut supra.

unigenito tuo Filio Jesu Christo Domino nostro et Spiritu Sancto vivificante, nunc et semper.

Deinde dicitur: Pater noster, qui es in coelis, *et absolutio, et ungantur oleo, quod benedictum fuerit a sacerdote, et dicitur benedictio* *).

3. Ritus matrimonii ex Renaudotio.

(Ex opere MS. Varia Officia T. III. P. III. p. 104. sqq. ubi traducti habentur uti videtur ex codice Regio Parisiensi 1619. [Montfaucon Bibl. bibl. p. 725. in quo Coptice et Arabice sunt.])

a. *Ordo ad sponsalia celebranda.*

Consuetudo est, ut proponatur primo oblata (sponsi) crux aurea et omnibus in medio. Postea sacerdos dicit orationem gratiarum actionis: adolet incensum, dicitque psalmum 20. Deinde legitur ex epistola Pauli ad Corinthios. I. Cor. 1, 1—10.)

Sanctus etc. *diciturque ter. Tum ex psalmo 84:*

Misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit.

Initium evangelii secundum Joannem. (1, 1—17).

Postea dicit sacerdos tres orationes majores, scilicet pacis, patrum, et pro congregatione: deinde symbolum fidei: quo recitato dicit orationem sequentem super sponsalia contrahentes Coptice.

Deus qui formasti hominem p. 367.

Secunda oratio ad celebranda sponsalia.

Domine amator hominum p. 368.

Oratio tertia super sponsalia.

Domine Deus noster, p. 368.

Oratio gratiarum actionis ad sponsalia.

Sacerdos. Gratias agimus p. 369.

Populus dicit orationem Dominicam. Sacerdos postea dicit orationem absolutionis et benedictionem: atque ita perficitur officium sponsaliorum. Sacerdos deinde elevat crucem, et populus dicit: Kyrie eleison. *Tum canitur hymnus qui incipit:* Stola spirituali etc. *tono Hosannae. Sacerdos dicit orationem super vestes, quibus utrumque induit, et dicit orationem sequentem.*

Domine Jesu Christe p. 369.

Interea dum vestibus induuntur populus canit. Stola spiritualis etc.

b. *Officium benedictionis nuptialis.*

Sacerdos dicit orationem gratiarum actionis: adolet incensum dicens simul orationem incensi: tum legitur ex epistola B. Pauli Apostoli ad Ephesios. (*5, 22—6, 3*).

Dicitur hymnus ter Sanctus. Ex psalmo 18. Tanquam sponsus p. 371.

---

*) Sequitur admonitio arabica.

Et ex psalmo 127. Uxor tua p. 371.

Lectio evangelii secundum Matthaeum. (19, 1—6).

Populus canit hymnum.

Sacerdos deinde dicit orationes sequentes.

Domine omnipotens, qui es in coelis, p. 371.

Sacerdos dicit orationem pro pace: alteram pro congregatione: tum dicitur symbolum fidei.

Deinde sacerdos dicit hanc orationem matrimonii.

Deus ab aeterno existens, p. 373.

Oratio secunda matrimonii.

Domine Deus noster, conditor omnium creaturarum, p. 373.

Oratio tertia matrimonii.

Domine Deus noster magne p. 374.

Oratio gratiarum actionis ad matrimonium.

Inclina aurem tuam, 375.

Populus dicet orationem Dominicam: et sacerdos dicet orationem sequentem super oleum.

Domine Deus omnipotens, Pater p. 375.

Praecedens oratio recitatur a sacerdote super sponsos, quando eos ungit.

Oratio super coronas.

Domine Deus virtutum*), infinitus in misericordia, et cujus bonitas incomprehensibilis est, suscipe deprecationes nostras pro servis tuis sponso et adjutrice ejus: conserva eorum conjunctionem; custodi eorum thorum purum: conserva illos per Evangelium tuum sanctum: et mitte super nos ex praeparato habitaculo tuo abundantiam misericordiae tuae; et concede nobis, ut perveniamus ad locum quietis sanctorum tuorum in regno coelorum. Per unigenitum Filium tuum Jesum Christum Dominum nostrum, qui etc.

Oratio alia super coronas secreto dicenda.

Deus sancte, qui sanctos tuos coronas p. 378.

Tum ornatur sponsus, et post hymnum sacerdos dicit.

Gloria et honore coronasti eum Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Populus,* dignus est.

Post aliquot versus sacerdos dicit orationem sequentem super sponsos.

Posuisti Domine**) super servos tuos coronam gratiae et victoriae insuperabilis. Dignus est. Coronam voluptatis et sublimitatis magnae. Dignus est. Coronam fidei bonae, et benedixisti illos in omnibus operibus: quia tu es largitor bonorum omnium Christe Deus noster, et tibi etc.

Populus dicit orationem Dominicam. Sacerdos dicit orationem absolutionis. Populus hymnum: Spiritus etc. *tono illapsus Spiritus Sancti. Postea legitur praeceptum sive hortatio ad sponsum et sponsam. Populus.* Kyrie eleison. *Tandem pronuntiatur benedictio.*

---

*) Cf. p. 377.

**) Cf. p. 378.

c. *Ordo secundarum nuptiarum.*

Primum dicitur oratio gratiarum actionis: adoletur incensum, deinde recitatur lectio et epistola ad Corinthios. (I. Cor. 7, 7—9).

Ex psalmo 127. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuae. Filii tui sicut novellae olivarum in circuitu mensae tuae.

Ex evangelio secundum Joannem. (3, 27—29).

Sacerdos dicit tres orationes ut supra. Dicitur symbolum fidei, et postea haec oratio.

Domine Deus omnipotens, Pater p. 382.

Ritus matrimonii apud Syros.

1. Ritus matrimonii ex Barhebraei Nomocanone (c. 8. sect. 2. p. 63).

De qualitate desponsationis et procuratione.

Directio. Desponsatio autem fit, cum conveniunt in ecclesia procurator sponsae id est desponsator ejus, sive pater sit sive alius, et ipse sponsus, et sacerdos, ac diaconus, et duo fideles testes*). Et curator quidem sit, qui accepit consensum sponsae et illum notum fecit sponso ejus: et cum illis annulus ex domo sponsi, et crux. Et dum stant ante altare, dicat curator: despondi talem tibi tali in uxorem, secundum canonem apostolicum et legem christianam. Et respondeat sponsus: recepi coram Deo et altari ejus propitiatorio: et coram sacerdotibus et testibus istis. Tunc perficiat sacerdos orationem, quae super annulum, dicens: benedictus sit annulus iste, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et accipiat eum ac simul, excepto sponso, eant in domum sponsae, et in digito ejus illum ponat, ac suspendat crucem in collo ejus, et benedicat ei cum oratione; tum exeant. In Oriente**) autem etiam super calicem orat sacerdos, et sponso sponsaeque jejunis potandum porrigit, et ita sibi invicem sponsus ac sponsa. Et non communicant usque ad complementum dierum foederis, quod initur inter eos; et cum volunt convivium instruere, congregantur invitati sponsi et ipse sponsus, et eunt ad portam sponsae, eamque ducunt cum coetu mulierum ac eunt ad ecclesiam: et dum stant coram altari sancto, perficiat sacerdos orationem, quae super coronas, et ponat in capite sponsi et sponsae et patrini ac matrinae, et exeant cum canticis spiritus, adducantque sponsam in domum sponsi, et ita perficitur convivium ac justificatur conjugium legitimum.

---

*) Cf. ejusdem ibidem p. 64: „Desponsatio sine sacerdote et duobus testibus justis et curatore sponsae fieri non potest, et si diaconus adfuerit, melius est.“

**) Hoc est apud Nestorianos.

2. Officium benedictionis nuptialis secundum ritum ecclesiae Syrorum Jacobiticae, a Jacobo Edesseno ordinatum et reliquis ejusdem ecclesiae Doctoribus.

(Ex Renaudotii opere MS. Varia officia T. III. P. III. fol. 41. sqq. Quaedam gallice edidit in Perpétuité l. 6. c. 3. col. 982. sq. 985).

Sacerdos. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, qui servos suos laetificat et adoratoribus suis gaudere inspirat, quique timentes se custodit nunc et semper.

Oratio. Praesta, Domine, ut gaudii nostri initium in te sit, et laetitiae nostrae finis in te quoque sit: animae quoque et spiritus nostri in te jucundentur, et maestitia nostra abstergatur per misericordiam tuam, bona etiam nostra multiplicentur per clementiam tuam, benedictiones nobis affluant, mentes illuminentur perficianturque et consummentur sponsi et sponsae nostrae, ut tecum et cum sanctis qui a saeculo placuerunt tibi, fruamur bonis indeficientibus, et inter coetus sanctorum tuorum et inter agmina dilectorum tuorum referamus tibi gloriam et gratiarum actionem, Pater, Fili et Spiritus Sancte.

Responsorium 2. tono Miserere et tono illius ad Virginem Mariam. Tu sponsus verus es, qui annulum dedisti Ecclesiae, eique pollicitus es regnum coeleste, Deus.

Christe Deus, qui benedixisti annulos justorum antiquorum, benedic, Domine, hunc annulum quem damus. Benedic, Domine, per gratiam tuam sponsalia adorantium te, et conjunge illos ad invicem secundum voluntatem tuam, Deus. Benedictus qui coelos laetificat et terrae incolas gaudio perfundit: uni societatem adorantium te, Jesu plene misericordia: extende dexteram tuam, Salvator noster, et benedic per gratiam tuam annulos, quos dant sacerdotes in nomine tuo sancto: per annulum Thamar a supplicio liberata est, et per annulos remittantur delicta et peccata nostra: sanctus, sanctus, sanctus Dominus misericors: benedic servos tuos, qui praeparati sunt cum sponso et sponsa: per annulum Rebecca desponsavit Isaac justum, per eum etiam desponsentur adoratores tui in Ecclesia sancta: invita, Domine, defunctos, et spiritibus eorum quietem praesta, ut recumbant cum iis, quos vocasti ad convivium tuum: adorandus Pater, et Filius, et Spiritus, mysterium trinum, qui ab excelsis et infimis adoratur et glorificatur.

Oratio: Pax tua, Domine, per quam coeli et terrae, excelsa et infima tranquilla facta sunt, ipsa conciliet filios illos nostros, qui se invicem diligunt, faciatque ut se invicem suscipiant cum gaudio omnibus diebus vitae suae.

Kouklion tertium: Eructavit cor meum verba bona, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribae periti. Speciosus forma prae filiis hominum, diffusae sunt gratiae in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum. Accingere gladio super femur tuum, potentissime. Specie tuâ et pulchritudine tuâ intende, prospere procede et regna.

Stichon tertium: Salomon secundum allegoriam dicebat: qualis est dilectus tuus, o amica mea, dic, quo tantopere gloriaris. Dilectus meus electus ex multis millibus, cujus vinea Israel est, candidior vinea Jacob, rubicundus magis quam unguentum ex nardo, statura eximia

tanquam cedri Libani: figura erat haec Christi, quem glorificamus, quia laudandus est. Veni, amica mea, ad palmas mysticas ascendamus, decoravit me sol; ubi sedes vineae custos? Dilectus meus in hortis est pascens inter lilia, et unguentum quod myron dicitur. Hortus autem est sepulcrum, lilia justorum animae, dilectus autem Ecclesiae est Christus; crux palmae allegoricae, per quam filii ejus salvati sunt; et ipse solus est sanctus amator hominum.

Et dicunt diaconi. In convivio servorum tuorum aromata apponuntur.

Prooemium. Laus sit ipsi sponso coelesti, qui per charitatem suam desponsavit sibi filiam gentium pollutam, et per crucifixionem suam abstersit et mundavit eam sponsam praeclaram, vocavitque ad nuptias ejus prophetas, Apostolos, martyres et confessores, et quem decet gloria.

Sedra. Domine Deus, creator et institutor omnium, qui coelum et terram fecisti per potentiam tuam insuperabilem, et per sapientiam tuam fundasti terram super bases suas, et mundum constituisti per potentiam voluntatis tuae, et ornasti creaturas omnes ornamentis per benignitatem tuam concessis; qui in manus tuas sanctas accepisti pulverem de terrâ, et formasti eum in dignam imaginem majestatis tuae; qui per eandem misericordiam formasti matrem nostram Evam ex ejus costâ, foedusque connubiale maris et foeminae instituisti promulgato etiam hoc Dominico praecepto, relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt ambo caro una: nunc igitur etiam, Domine miserator et hominum amator, per benedictiones tuas divinas et per dexteram tuam spiritualem donisque bonis plenam benedic et conjunge hos servos tuos, qui sponsalia inter se contrahunt. Confirma eos in spe, caritate, fide et operibus justitiae atque rectitudinis, sintque conjugia illorum praeclara sicut conjugia antiquorum illorum patrum piorum et justorum, qui cum pietate conjuncti sunt, unde semen eorum benedictionem consecutum est, et multiplicati sunt sicut stellae coeli, et sicut arena quae est in litore maris; atque ex illis prognati sunt reges, sacerdotes, prophetae, Apostoli, praedicatores et annunciatores timoris Dei. Itâ nunc, Domine Deus, benedic hos servos tuos et da illis fructus justitiae et filios benedictionum, confirma illos divitiis et possessionibus, et affluentiam bonorum omnium ipsis concede. Conserva eos in timore tuo per annorum multorum curricula et longa tempora, concedens ipsis pacem illam, quae à te proficiscitur; et quemadmodùm nunc, quandò coràm te consistunt, largiris ipsis connubium ut contrahant, itá etiam possint coronare filios suos nomine praeclaro et operibus justitiae, et ex ipsis fiant episcopi et sacerdotes ad ministerium tuum et diaconi in medio templi tui sancti. Ament cognitionem tui, custodiant praecepta tua et fruantur perceptione sacramentorum tuorum sanctorum et vivificantium, et satientur voluptate potentissimae dexterae tuae. O Domine Deus noster, virtus tua illos adjuvet, dextera tua requiescat super eos, crux tna viva conservet eos, exercitibus sanctorum angelorum circumda eos, et ex ore, linguâ et sermone nostro referetur tibi gloria et gratiarum actio, et Filio tuo unigenito, et Spiritui Sancto vivificanti, nunc et semper.

Tono secundo: Ego sum lux vera. Cùm sponsus coelestis desponsaret Ecclesiam sanctam fidelem, vocavit Simonem et Joannem, commendavit eam utrique. Simonem quidem instituit oeconomum, Joannem verò prae-

conem. Vocavit eos et praecepit eis, ut cùm sollicitudine custodirent illam, quam acquisivit sanguine suo pretioso. Convivium paravit mihi Dominus et Deus meus, ait Ecclesia fidelis, et alienigena ad illud accedere non potest. Bovem victimarium quem mactavi, de eo itâ statuit: quicumque ad te veniet, nisi genueris eum ex aquâ, non dabis illi, accessit et didicit mysterium, quod inter nos absconditum est. In annulo, baculo et armillâ consecuta est Thamar victoriam; David in fundâ, perâ et lapide vicit Philistaeum: uterque in tribus vicit, et Ecclesia sancta fidelis canit laudem et gratiarum actionem illi Trino qui eam desponsavit. Ne timeas, Ecclesia fidelis, neque animus tuus conturbetur; neque enim aliam tibi sponsam super inducam, neque tu alium praeter me assumes, et in extremis temporibus, quandò coelum et terra transibunt, pavor tibi non erit ullus, quia thronus tuus constitutus est apud Patrem et Filium et Spiritum Sanctum.

Oratio incensi. Sponse vere, cui desponsatae sunt animae virgines et purae, praesta servis tuis illis, qui sibi invicem desponsantur et mediatorem te acceperunt nuptiarum suarum per mediocritatem nostram, qui coram majestate tuâ consistimus. Prodeat ex illis odor suavis et gratus bonorum morum et virtutum. Sit inter eos caritas vera, pax, tranquillitas et concordia passionibus non obnoxia. Confirma eos, ita ut custodiant erga invicem castitatem in anima et corpore, et referant tibi gloriam et gratiarum actionem et Patri tuo.

Oratio super annulos. Domine Jesu Christe, sponse vere, qui desponsasti tibi Ecclesiam gentium, et sanguine tuo dotem ei scripsisti, quique dedisti ei annulum per clavos, quibus confixus es, et per nuditatem corporis tui operuisti ignominiam ejus, et per passiones tuas salutares adornasti eam armillis et brachialibus, et aureum torquem collo ejus imposuisti, quique per acetum et fel, quo potatus es propter eam, introduxisti eam in hortum deliciosum tuum. Tu Domine, amator hominum, benedic per gratiam tuam hos annulos, quos damus servis tuis, quomodo benedictus est annulus Ecclesiae sanctae, et illa suscepit corpus tuum et sanguinem sanctum. Hic est annulus, quo desponsata fuit Sara Abrahamo patriarchae. Hic est annulus, quo Rebecca Isaaco desponsata est per Eliezerem fidelem. Hic est annulus, quo Rachel desponsata est Jacobo, qui cognominatus est Israel. Hic est annulus, quo Thamar ab ultimo supplicio liberata et omnibus benedictionibus cumulata est. Hic est annulus, quo suprema in Aegyptum auctoritas Josepho attributa est et ille curru circumvectus. Hic est annulus, per cujus veritatem Daniel liberatus est et coram rege Nabuchodonosore dignitatem et honorem obtinuit. Hic est annulus, per quem susceptus est filius prodigus, qui bona patris sui dissipaverat, et cujus gratia bos saginatus immolatus est. Hic est ille annulus, qui justis fidem conciliat praecipuam, et mercatoribus pignoris et arrhabonis praecipui loco est. Hic est annulus, qui familias et gentes ad nuptias et convivium vocat. Hic est annulus, qui congregat absentes et remotos, atque eos in domesticam familiaritatem conciliat. Hic est annulus, qui tanquam murus institutus est ad custodiam membrorum corporis, quibus obsignantur ut gaza regia. Mysterium magnum in hoc annulo est, quo feminae viris desponsantur, et sponsi cum sponsis matrimonium contrahunt. Benedic, Domine, per gratiam tuam hos annulos, quos damus in nomine sancto tuo, ut sint sigillum et instrumentum

matrimonii veri filiae nostrae N. cum filio nostro N., suscipiantque benedictionem coelestem, qualem acceperunt Adam et Eva, suscipiantque filios et filias justitiae, praeserventurque animae illorum ab omni cogitatione voluptatis vanae, et corpora eorum ab omnibus sordibus peccati. Per illos annulos benedictionem accipiant per manus sacerdotum sanctorum a quibus dantur, ut etiam armillae, vestimenta et tunicae. Domine Deus noster, dextera tua benedicat illos, dilectum scilicet filium nostrum N. et sponsam filiam nostram N., ut gaudio laetitiaque perfusi laudent et glorificent nomen tuum, o amator hominum, et referant tibi laudem, gratiarum actionem et confessionem, Domine Jesu Christe, et Patri tuo et Spiritui Sancto tuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. *Sacerdos elevat vocem suam, et manum extollens et leviter agitans dicit:* Benedicuntur hi annuli ad consummationem gaudii filiorum Ecclesiae sanctae, in nomine Patris. *Amen.* Et Filii. *Amen.* Et Spiritus Sancti vivi et Sancti in saecula saeculorum. *Amen.*

Sacerdos dat annulum sponso et dicit: Dextera Domini nostri Jesu Christi extendatur ad te in misericordia, et suscipias ab eo cum annulo isto matrimonii tui gratiam puram et benedictiones miserationis. Dextera illa bonis plena et benedictionum datrix sit tecum et custodiat te omnibus diebus vitae tuae nunc etc.

Alia oratio super sponsum. Deus, cujus sapientia universa ordinata sunt, qui formavit Adam ad imaginem et similitudinem suam, et dedit ex ipso adjutorium simile sibi ad opera et actiones ipsi congruentes: Dominus, qui benedixit patriarchis piis et justis, qui per Saram multiplicavit semen Abrahae, et Isaaco per Rebeccam promissa sua praestitit; qui Jacobo domum constituit ex Rachele et Lia; qui in fine temporum filium suum dilectum misit, ut Ecclesiam sanctam sponsam faceret sibi, et per crucem suam et clavos manuum suarum eam desponsavit, et acquisivit eam sanguine, qui fluxit e latere ejus, et veritate sua ipsam ornavit: ipse per uberes misericordias suas conciliet et conjungat caste connubium hoc filiorum nostrorum N. et N. secundum legem ab eo institutam, a Deo enim virum foeminae desponsari institutum est. Det tibi Deus, ut secundum ecclesiastica instituta consorti tuae caritatem conserves, ornans te ornamentis pretiosis immortalitatis, et honorans te vestibus praeclaris incorruptibilitatis; simulque cum annulum hunc accipies, circumdent te exercitus angelorum ejus sanctorum, et ipse per crucem suam potentem et victricem te custodiat ab omnibus tibi insidiantibus, et ipsi referas laudem et gratiarum actionem pro omnibus beneficiis ejus erga te.

Sacerdos dat annulum sponsae et dicit. Dextera Domini nostri Jesu Christi plena omnibus benedictionibus extendatur ad te secreto cum misericordia, suscipiasque ab ea simul cum annulo hoc desponsationis tuae, quem accipis e sacerdotum tanquam ex Apostolorum sanctorum manibus, gratiam et benedictionem coelestem, per sanitatem animae et corporis, et cum cordis gaudio referas illi laudes et Patri ejus et Spiritui ejus Sancto propter sua erga te beneficia. Dextera Domini nostri Jesu Christi, qui creator et ordinator omnium est, extendatur ad te, et suscipias ab ea benedictionem coelestem cum annulo hoc desponsationis tuae, quod per nos mediatores datur tibi, et sicut Rebecca prope fontem aquae accepit ab Eliezere fideli desponsationis pignora cum armillis, viditque eam Isaac et laetatus illius causa consolatio-

nem accepit post amissae matris desiderium; et sicut Rachel etiam ad fontem aquae a Jacobo visa est, qui eam gaudio affectus adamavit; ita etiam tu, o filia, quae accessisti ad fontem aquarum scaturientium in vitam aeternam, qui est Jesus Christus, accipias hunc annulum. Deus, qui sanctis mulieribus benedixit, easque honore fecit et magnitudine conspicuas, ipse benedicat tibi per benedictiones suas coelestes, et conservet te a dolis et machinationibus daemonum et improborum hominum per amorem suum ineffabilem erga homines, ut tu gaudium educationis liberorum experta referas gloriam Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc et semper.

Alia oratio, quae super utrumque dicitur. Deus magnus, qui per Christum suum perfecit desponsationem Ecclesiae, ipse obsignet filios nostros, qui hodie desponsati ad invicem sunt, in veritate et justitia benedictionibusque coelestibus, et per susceptionem horum annulorum ornet eos modestia et castitate eos illustret: et sicut desponsationem Isaac et Rebeccae armillis confirmavit, ita et hanc desponsationem filiorum nostrorum illorum sigillo justitiae perficiat; detque sponso, ut magnopere exultet de salute sua, splendoreque et honore coronetur; sponsam ornet vestimentis pretiosis incorruptibilitatis, ut sigillo puritatis tanquam armillis aureis gaudeat, faciatque ut conjunctio illorum sit secundum tempus statutum usumque naturalem et legitimum; longe faciens ab eis omnem amorem parum sincerum, sed accendens in eis ignem caritatis erga seipsum et se invicem. Ornet eos pulchritudine illa decora quae non corrumpitur, et sicut lilia pulchra honore eos afficiat per modestiam odoris suavissimi: liberet eos ab omni machinatione daemonum invidorum et odio habentium genus humanum; salvet eos a spiritibus immundis, qui viam puram contubernii conjugalis corrumpunt; det illis Dominus coram facie sua tempora bona et annos gaudii. O Domine Deus, amator hominum, exaudi deprecationes nostras servorum tuorum peccatorum, qui coram majestate tua consistimus; da illis filios benedictionum et domum justitiae; confirma eos in fide vera quae in te est, cumula illos divitiis, quibus spoliari non possunt, quae sunt opera bona sanctitatis, ut illas etiam ad filios suos per hereditatem transmittant. Benedic eos qui desponsant et qui matrimonio conjunguntur, sponsumque et sponsam conserva per crucem tuam, et super nos omnes aequaliter gratia et misericordia tua effundantur, Pater, Fili et Spiritus Sancte nunc etc.

Oratio metrica Mar Jacob Syri. Res tuas, Ecclesia sancta, explicare intellectus rationalis gestit, et decori tuo ex textrina sua corollam texere. Verum qua ratione humanum ingenium imbelle res tuas explicare sufficiat, ita ut studiose laudes sponsi et sponsae persequatur. Rebecca decora, unica patris filia, similitudinem habuit tui, quae prope puteum accepit aurearum armillarum munus. Qui gestatur super Cherubim, propter amorem tui insedit asino, venitque ad passionem, gustavitque mortem occisus, et resurrexit e sepulchro, erexitque Adamum qui ceciderat, et pepigit tecum foedus in monte excelso Galileae. Ecce inter oculos tuos signum venerandum crucis timendae et in ore tuo margarita intincta in ejus sanguine. Et induisti eum in modum stolae textura byssina: haec tua bona sunt, et ipsi laus infinita, cum omnibus venerationis et timoris officiis, propter divinam suam providentiam. Gloria Patri, qui elegit Ecclesiam suam, et custodit eam; adoratio Filio, qui des-

cendit et desponsavit eam in medio aquarum. Gratiarum actio Spiritui Sancto, qui habitat in medio ejus eamque sanctificat. Una est trium natura, et ipsi laus etc.

Et dicunt hunc ***hymnum.*** Gaudete populi; gaudete populi propter annulum, qui elevatus est et benedictus est per sacerdotes. Per clavos Christus annulum sponsae suae aptavit, et ecce canit hymnos ad sponsi nuptiale convivium. Venite hodie dilecti ejus, et laetemur propter annulos in sanctuario ecclesiae propositos. Fortis ille antiquis justis mysteria sua revelavit, et annulos sponsi benedictione conferre ordinavit. Ecce festum sacerdotes Ecclesiae faciunt et dividunt unicuique benedictiones. Venite omnes dilecti mei, laetemur et exultemus, canamusque hymnos sponso vero. Ecce benedictiones conferantur et annulorum foedus, quibus mysteria omnia continentur, quia sunt benedicti a sacerdotibus. Venite omnes fratres mei, laetemur et exultemus de annulis, qui a sacerdotibus benedicti sunt. Annulus, qui benedictus est hodie, sit armatura fortis, quia sacerdotes benedixerunt eum. Annulus, qui hodie a sacerdotibus benedictus est, similitudinem habet annuli Ecclesiae Christi. Dextera Dei benedicat hos annulos, sicut benedicti fuerunt annuli justorum antiquorum. Gloria Unigenito, qui per crucem suam salvavit nos, descenditque et Ecclesiam sibi desponsavit.

Oratio ad finem. Et vos fideles fratres mei, qui accessistis et praebuistis vos testes, adfuistisque huic matrimonio benedicto, secundum legem Dei canonesque sanctos contracto, Deus det vobis mercedem viarum vestrarum alteri triginta, alteri quinquaginta, alteri centum retribuens vobis bona omni tempore. Crux Domini sit vobiscum die ac nocte, et vos custodiat a malo in saecula saeculorum. Amen.

Officium secundum quod est ad benedictionem coronae nuptialis.

Oratio principii. Dignos effice nos Domine Deus convivio tuo quod non transit, et gaudio indeficienti quod est in paradiso tuo, et exultatione interminata accubitus tui, ut cum paranymphis illis et vocatis, qui eo gaudio perfruuntur, et exultant, nos quoque gaudeamus, exultemus et laetemur; custodi per dexteram tuam potentem sponsum et sponsam: benedic coronas, quae capitibus illorum imponuntur, sicut coronam Jacobi cum Rachele, et Isaaci cum Rebecca, ut gratias agendo laudent te et Patrem tuum et Spiritum Sanctum.

Alia. Concilia, Domine, per gratiam tuam sponsum et sponsam, patrinos eorum et invitatos ab eis ad unitatem congruentem, concordiam vinculumque amoris et caritatis tuae et mutuae ad se invicem: conserva eos per dexteram tuam potentem plenamque omnibus benedictionibus; benedic etiam coronas illas, quae capitibus eorum imponuntur, et referemus tibi gloriam et gratiarum actionem.

Responsorium. Tu qui virginem Mariam, quae te peperit, virginitate sua insignem et praeclaram fecisti, tu qui prophetis antiquis, qui prophetati sunt de adventu tuo, hanc revelationem veram indicasti, Deus tu qui Apostolis electis, qui praedicaverunt evangelium tuum inter gentes, dedisti autoritatem in suprema et infima, Deus tu qui martyribus, qui propter caritatem tui occisi sunt, pollicitus es habitacula, paradisum et regnum, Deus tu qui celeberrimam fecisti memoriam gloriosi inter pios S. Demetrii, cujus orationibus misericordia sit super nos omnes, Deus

qui benedixisti Adam sponsum primum, benedic congregationem istam adorantium te o Deus. Tu qui Noe justum benedixisti in medio arcae, benedic adorantes te, qui ad te confugiunt. Deus qui benedixisti Abrahamum et Saram uxorem ejus, benedic etiam sponsum, sponsam atque paranymphos, Deus qui benedixisti Isaacum et Rebeccam uxorem ejus, benedic etiam sponsum, sponsam et invitatos. Deus qui benedixisti Jacob et mulieres quas accepit, benedic etiam sponsum, sponsam et paranymphos. Deus qui benedixisti justos in generationes generationum, benedic etiam sponsum, sponsam et invitatos. Deus qui benedixisti reges, sacerdotes et prophetas, benedic etiam Domine adorantes te, qui ad te confugiunt Deus.

Auge, Domine, servos tuos, qui sibi invicem conjunguntur, divitiis munerum tuorum, laetifica eos donis tuis, et reple eos gaudio praeceptorum tuorum divinorum, ut cum laetitia et exultatione canant tibi gloriam, et exultent cum sanctis tuis coram te, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc etc. — Domine, in virtute tua laetabitur rex, et per salutem tuam exultabit magnopere. Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Quoniam praevenisti eum in benedictione bona, posuisti in capite ejus coronam praeclaram. Vitam petiit a te, et dedisti ei longitudinem dierum in saecula saeculorum. — Ecclesia sancta in fide, Christe, confirmata est, atque adeo non desinit canere hymnos tibi, dicendo, sanctus immortalis, salvator animarum nostrarum omnium. — Laus illi sponso spirituali, regi coelesti corona quae non transit, diademati illi perpetuo, illi qui in thalamo suo splendido conjungit sponsum et sponsam, et illum decet gloria.

Deus, qui fecisti coelum sapientia tua, qui firmasti terram super aquas, nutu voluntatis tuae, qui fecit angelos ad canendas laudes nominis sui, et creavit Adamum ad imaginem majestatis suae, pulchrumque ad similitudinem suam, et constituit eum in medio paradisi voluptatis, ut habitaret in eo praeclare, et dixisti deinde, non est bonum esse hominem solum, faciamus ipsi adjutricem quae cum ipso sit, et immisit Deus soporem gravem Adamo, et cum obdormivisset, accepit Deus os ex ossibus ejus, et fecit illud Evam, conjugem quam dedit ei. Expergefactusque Adam de somno vidit Evam, et dixit, haec vocabitur Virago, quia de viro sumta est. Et benedixit illis Deus, et dixit illis: Crescite et multiplicamini, replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli; genueruntque filios et filias, ex quibus propagatae sunt familiae gentium, et multiplicatum est semen eorum sicut stellae coeli et sicut arena, quae est in litore maris. Nunc ergo clemens et amator hominum, Deus, per gratiam tuam et misericordias tuas multas benedic servis illis tuis, qui petunt a te benedictionem, fac conjugia eorum securitatem in observatione mandatorum tuorum et contrariorum prohibitione. Fac sacerdotes et reges, rectores et judices ex filiis eorum; cumula illos bonis tuis coelestibus et terrenis. Tu Domine Deus benedic has nuptias, ad quas invitati sumus et convivium hoc cui intersumus. Domus nuptialis haec benedicatur bonorum largitate sicut domus Zachaei, in qua hospitata est divinitas tua. Affluat divitiis multis, sicut paradisus plenus bonorum omnium, et sicut fons aquarum perennium. Convivium hoc gaudio exaltetur, sicut convivium nuptiale urbis Cana, ad quod invitatus fuit Christus Salvator noster; bonis omnibus abundet,

sicut vinea feracissima racemis, et oliva optima fructibus suis. Gaudeant in ea pueri, exultent puellae, repleantur ora eorum laudibus, et lingua eorum canticis gloriae. Laetetur sponsus cum sociis suis, sponsa cum puellis suis. Sponsa laetetur corona sua, sponsa ornamentis suis decorem accipiat, intrentque in thalamos suos induti loricam castimoniae et cooperti stola sanctitatis, et sicut benedictum fuit conjugium Noae pii, et ab eo renovatio mundi facta est post diluvium ab eo quodammodo suscitati, ita benedicatur conjunctio et conjugium servorum tuorum illorum, qui stant coram te hoc tempore et petunt a te benedictionem. Effunde super eos benedictiones illas, quae super pios antiquos effusae fuerunt, effunde super illos bona, et fac illos conspicuos per observationem praeceptorum tuorum sanctorum. Conservet divinitas tua bona eorum sicut possessiones Noae pii et Job justi. Benedicatur cubile eorum, sicut olim Abrahami et Sarae. Honorabile sit conjugium eorum sicut Isaaci et Rebeccae, multiplicetur semen eorum sicut semen Jacobi et Rachelis, et videant filios filiorum suorum sicut Joseph in terra Aegypti. Oriantur ex semine eorum, qui placeant majestati tuae veluti Moses propheta magnus et Aaron sacerdos verus, majestas tua placari aliquando possit per incensa ab illis oblata, sicut a Phinees et Eleazaro. Gaudeant etiam illis sapientiae divitiis, quas Salomon in pueritiae etiam tempore habuit. Auge Domine vitam eorum sicut Ezechiae regis Juda, cujus vitae quindecim anni adjecti sunt. Liberentur a tentationibus perniciosis, sicut Daniel a fovea leonum, et ascendant orationes eorum coram te in coetu sicut Eliae prophetae in montis vertice. Abundet vita eorum bonis, et dies eorum operibus justitiae. Videant illi filios suos rectores et sapientes in hoc saeculo, et sacerdotes ad altare. Exultent filiorum et filiarum susceptione, et crux tua custodiat eos a fraudibus malignis, laetentur spe piorum et exultent bonis justorum, et referent tibi gloriam et gratiarum actionem, Patrique tuo et Spiritui Sancto tuo nunc etc.

Versus 2.

Quam pulchra es filia gentium, quam pulchra es: Salomon rex designavit te Ecclesia sancta, favus distillans labia tua, et odor vestimentorum tuorum sicut rosae in mense Martio. Tota pulchra es Ecclesia et macula non est in te. Rex Christus te custodivit, quia crucem ejus adorasti. Quam pulchra es filia gentium, quam pulchra es, et similis soli nitido orienti in mundo. Super frontem tuam est signum crucis, os tuum purum canit hymnos, labia tua tincta sunt sanguine Filii Dei, et filii tui canunt hymnos die ac nocte. *Gloria.* Similis est Ecclesia per gemitus suos Sunamitidi, canit praeveniens gloriam Deo excelso: tenet in manibus suis citharam Davidis, et extollit vocem cum excelso angelorum vigilum ordine. Cum psalterio centum et quinquaginta psalmorum canit gloriam Deo, ut effundat misericordias suas super universum mundum. Triplex munus me circumdat inquit Ecclesia, neque malignus ille dolosus potest eos penetrare, quia inter se ita conjuncti sunt, ut spatium inter illos nullum intercipiatur, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, tres absque divisione, et ego sto in medio tanquam sponsa praeclara.

Oratio incensi. Domine Deus suscipe haec aromata, quae coram majestate divina tua excelsa a nobis offeruntur, et per protectionem

tuam benedic hunc thalamum, et effice illum sicut thalamos piorum antiquorum, qui a saeculo tibi placuerunt. Fac illum bonis omnibus, quae a te procedunt, affluere; et multiplica in eo benedictiones tuas Pater, Fili et Spiritus Sancte in saecula saeculorum. *Canticum.* Audi prophetas, qui tanquam canales ex auro puro auditorum auribus ex ore suo vitam infundunt.

Lectio ex epistola Petri Apostoli. Mulieres subjectae sint viris, *usque ad illud* in fine autem omnes unanimes. *Lectio ex epistola ad Ephesios.* Fratres, gratias agite semper pro omnibus *usque* et sis longaevus super terram.

Et dicunt hoc responsorium. Omnis gloria filiae regis ab intus, fimbria vestimenti ejus ex auro optimo.

Lectio evangelii secundum Matthaeum. Et convenerunt ad eum Pharisaei tentantes eum *usque ad illud* sed quibus datum est a Deo.

Et dicunt hunc versum tono septimo graeco. Quando vidit te in ligno gloriosae crucis affixum Ecclesia sancta, o magne sol justitiae, sicut luna stetit in ordine suo, voce triumphali clamans ad te gloria potenti, qui es Dominus omnium.

Deinceps incipit sacerdos coronarum benedictionem, quae coram eo positae sunt, facie ad orientem conversa. Oratio. Deus qui ordinasti in firmamento coronam praeclaram syderum, solem scilicet, lunam et stellas, Deus qui coronasti terram fructibus suis, et ornasti eam floribus gratissimis omnis generis: qui paradisum plenum bonis omnibus in ea statuisti, Adamumque et Evam coronasti corona gloriae, bone qui mari terram tanquam corona circumdedisti: et qui per gratiam tuam etiamnum benedicis coronae anni: misericors qui triumphum dedisti adorantibus te pro laboribus certaminum suorum: qui David servum tuum coronasti victoriae corona, qui regem victorem Constantinum corona fidei illustrem et magnum fecisti: tu etiam nunc Domine, amator hominum, emitte dexteram tuam plenam cunctis benedictionibus super has coronas et super capita quibus imponuntur, et benedic illis per gratiam tuam. Praesta ut illi etiam coronare possint filios cum gaudio et laetitia. Benedic Domine coronis illis et capitibus quibus imponuntur, sicut benedixisti coronae Ecclesiae sanctae in die magno nuptiarum ejus. Benedic Domine Deus coronis illis et capitibus quibus imponuntur, sicut benedixisti coronas quinque prudentium virginum, quae intraverunt tecum ad nuptias. Benedic Domine Deus coronas illas et capita quibus imponuntur, sicut benedixisti coronas omnium piorum et justorum regum, sacerdotum, prophetarum, martyrum, et confessorum, qui in omnibus generationibus tibi placuerunt; nosque et illi referemus tibi gloriam et gratiarum actionem nunc etc.

Oratio alia. Tu abscondite, Domine excelsorum et hominum, benedic coronas illas et capita quibus imponuntur hac hora, benedictionibus quibus benedictus est Abraham cum Sara, ex qua genitus est Isaac hostia absque macula: benedic Domine has coronas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est Isaac cum Rebecca, ex qua nati sunt Jacob et Esau, et multiplicati sunt sicut stellae coeli et sicut arena, quae est in litore maris. Benedic Domine coronas illas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est Jacob cum Rachele et mulieribus sanctis, quae benedictionibus cumulatae sunt. Benedic Domine coronas illas et capita quibus imponuntur, eadem

benedictione, qua benedictus est Joseph factusque est rex et dominator super universam Aegyptum. Benedic Domine coronas illlas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est David rex et propheta et factus est salvator Israel. Benedic Domine coronas illas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est Noe pius in medio arcae neque a diluvio laesus est. Benedic Domine coronas illas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est Job justus, neque superavit eum Satanas qui tentabat eum. Benedic Domine has coronas et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua benedictus est Joannes Baptista in utero matris suae. Benedic Domine coronas has et capita quibus imponuntur, eadem benedictione, qua Ecclesia sancta coronata est, cum ab errore est liberata, et eadem ratione, qua martyres triumphos consecuti sunt suos; et cum advenies in gloria et accipient a te pii operum suorum mercedem, justi retributionem suam, martyres coronas suas, coronentur etiam capita horum juvenum, qui conjugium inter se contrahunt, et cum sanctis in vita aeterna felicitate fruantur, et referant tibi gloriam et gratiarum actionem Pater, Fili et Spiritus Sancte.

Imponit coronas manibus diaconi, et sacerdos dicit hanc orationem. Deus abscondite et potens creator omnium creaturarum, benedic hunc sponsum et hanc sponsam servos tuos manu tua potenti et brachio tuo excelso. Domine qui coronas justos in regione lucis, tu corona in regno tuo hos filios nostros, et adsume illos in tabernaculum tuum. Et sponsus ille benedicatur sicut Noe justus, qui factus est orbi Adam secundus, atque ab eo mundus post diluvium renovatus est. Et sponsa haec benedicatur sicut nurus Noae justi, ex quibus mundus universus propagatus est. Sponsus iste benedicatur sicut Melchisedech rex Salem, qui fuit sacerdos Dei summi. Et sponsa haec benedicatur, sicut mater Melchisedechi, quae dedit eum, ut ministraret coram Domino omnibus diebus vitae suae. Sponsus iste benedicatur sicut Abraham patriarcha, qui fuit incola in terra aliena, et hereditate consecutus est terram inimicorum suorum. Et sponsa haec benedicatur sicut Sara uxor Abrahae, quae concepit in senectute sua, peperitque fructum laetitiae, qui typus extitit Christi. Zelum habeant sicut Elias; sancti sint, sicut Jeremias; operantes justitiam sicut Job; hospitales erga peregrinos sicut Cornelius. Domine Deus noster benedic illos per gratiam tuam et praesta, ut accipiant a te coronas gloriosas in regione vitae atque in arce lucis et gaudii. Et sicut dignos eos fecisti hac corona transitoria, convivioque quod transit, et nuptiis quae septem dierum numero terminantur, et qui corpora eorum in matrimonii foedus conjunxisti, ut unum concorde corpus efficiantur; quique eos ad ecclesiam adduxisti, ut susciperent a te coram altari tuo sancto super capita sua coronas et benedictiones et animabus suis gratiam et misericordiam sanitatemque et incolumitatem corporibus suis, tu nunc etiam Domine insere pacem tuam et tranquillitatem inter eos, et conserva vitam eorum per crucem tuam: armis justitiae tege eorum membra, esto murus animabus illorum et locus refugii corporibus illorum, omnibus diebus vitae suae: et referent tibi gloriam et gratiarum actionem et Patri tuo etc.

Sacerdos elevat dexteram suam, imponitque coronas, et signat ter crucis signo dicens. Benedicuntur et perficiuntur hae coronae et capita

quibus imponuntur, in nomine Patris *Amen* et Filii *Amen* et Spiritus vivi et Sancti ad vitam aeternam.

Sacerdos accipit zonarium et movet eum ter super caput sponsi in formam crucis, et dicit alta voce hanc orationem. Corona manu Domini nostri orta est venitque de coelo, et sacerdos imponit illam capiti ejus quem decet coronari.

Respondentque diaconi post sacerdotem. Quam pulchra est corona, quam Rex Christus texuit per manus sacerdotum praeclarorum ad capita sponsi et sponsae.

Sacerdos dicit: Corona, *ut supra, et diaconi.* Coronam regis aspexi vidique quod in illa sint sigilla bona, et in corona sponsi et sponsae virtus Spiritus Sancti.

Sacerdos Corona, *et diaconi.* Emitte Domine dexteram tuam quae est plena omnibus benedictionibus, et benedic sponsum hunc et coronam, quae illius capiti imponitur.

Alligat coronam capiti ejus dicens. Coronet te Dominus corona justitiae, ornetque te ornamentis pretiosis, incorruptibilibus, et armet te armatura invincibili adversus omnem virtutem inimici.

Alia oratio super sponsum. Deus cujus habitaculum est in coelis coelorum, et potestas ejus in universa terra, qui fecit Cherubim sedem suam et angelos sanctos ad laudem gloriae suae creavit. Dominus qui benedixit justos per gratiam suam, qui laetificavit pios per fructus liberorum suorum, a quibus propagata est et originem accepit omnis generatio justorum, ex quibus exstiterunt reges, sacerdotes et prophetae, ipse per gratiam suam et miserationes suas multas benedicat te benedictionibus suis, multiplicet te, augeatque honorem tuum in hoc saeculo. Domus tua benedicatur coram te, sicut domus habitationis David. Uxor tua auxilio tibi sit, et tanquam columna lucis sit toti domui habitationis tuae. Laeteris et exultes propter fructus liberorum ex ea susceptorum omnibus diebus vitae tuae, et voluptatem percipias ex operibus praeclaris illius, in re familiari sint tibi filii boni, qui vita secundum pietatem instituenda delectentur, quique sint coram te tanquam cedri Libani propter odorem bonum morum suorum. Laetetur in illis cor tuum, sicut Abraham de Isaac, sicut Jacob de Joseph, sicut Isaï de David, multiplicenturque dies vitae tuae super terram cum gaudio, exultatione et operibus justitiae. Cumulet te Deus divitiis pietatis et bonis omnibus, quae e terra percipiuntur. Laetetur cor tuum ex rebus a te bene gestis, inimici tui subjiciantur pedibus tuis. Effundantur super te benedictiones coeli desuper et terrae deorsum. Honor sis populo tuo et gloriatio filiis generis tui propinquis tuis: veritas dirigat gressus tuos, et ambules in luce mandatorum Dei, gaudiumque percipias ab eo, et in mundo ejus lucido voluptate fruaris, vitam novam haereditate accipias cum justis, per gratiam et misericordiam Domini nostri Jesu Christi et Patris ejus et Spiritus ejus Sancti in saecula. Amen.

Alia oratio super sponsum. Deus qui plantavit vitem mundi, unde propagaretur omnis creatura, qui dedit conjugium maris et feminae ab initio dierum ad haec usque tempora, quorum fructus in medio orbis multiplicati sunt: ipse qui clamavit in scripturis suis sanctis et dixit, relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae,

eruntque duo caro una, voluntas una per concordiam humanam, Deusque inter eos honorabitur; ille ipse benedicat tibi o sponse, sicut Abrahamum patrem populorum, et sicut Isaacum filium promissionis a Deo factae, fructum benedictum, qui datus est sterili et baculum senectutis patris ejus, et sicut Jacobum qui Israelis cognomen accepit; qui cum baculo egressus e paterna domo herus et potens opibus effectus est, atque ex eo familiae magnae habuerunt originem: ipse confirmet te bonis et possessionibus, sicut pios illos antiquos, et multiplicet semen tuum sicut stellas coeli et sicut arenam maris. Bonam habeas famam et in populum magnum evadas. Benedictiones ejus, qui habitat in monte Sinai, veniant et requiescant super caput tuum; et ipsi sit gloria et super nos misericordia ejus in saecula.

Sacerdos accipit coronam et movet eam ter super caput ejus dicens. Corona per Dominum nostrum e coelo orta est, et venit et imponit eam sacerdos capiti sponsae, quam ea decet coronari. *Diaconi.* Similis est corona sponsi coronae filii Isaï, et similis est corona sponsae coronae pudicae matronae.

Sacerdos. Corona *ut supra, et diaconi.* Similis est sponsus Domino nostro et patrinus Joanni, sponsa similis est Ecclesiae et matrina Annae prophetissae.

Sacerdos Corona etc. *Diaconi.* Similis est discubitus integer cruci quae in coelo depicta est, quae ascendit a mane usque ad mane, et adorat eam universa creatura.

Imponit coronam capiti sponsae et dicit. Coronet te Deus corona victoriae et justitiae, et ornet te ornamentis pretiosis et incorruptibilibus, et induat te armatura invincibili adversus omnem potestatem inimici.

Alia oratio super sponsam. Deus qui summae gloriae est, et cujus magna est misericordia, ipse per miserationes suas magnas benedicat te et illustret faciem tuam tanquam sol radiis suis, et quietem semper invenias in omni loco habitationis tuae. Dominus qui benedixit thalamos mulierum castarum et sanctarum, ipse benedicat te. Deus qui benedixit Saram, et post annos bene multos dedit ei Isaac, ipse benedicat te. Dominus qui benedixit Rebeccam et post multorum annorum tempus dedit ei Jacob, ipse benedicat te. Deus qui benedixit Rachel et post dies multos dedit ei Joseph, ipse benedicat te. Numereris inter optimas sicut Sara, inter foecundas sicut Lia, inter sapientes sicut Rebecca, inter misericordes sicut Rachel, inter gloriosas sicut Esther, inter potentes sicut Judith, inter veraces sicut Susanna, inter castas sicut Maria et Martha. Sit super te eadem benedictio, quam Rebeccae fratres ipsius adprecati sunt; soror nostra es, crescas in mille millia, et possideat semen tuum terram inimicorum tuorum. Sint tibi filii benedictionis et filiae justitiae, quae sicut novellae plantationes justitiae sint in circuitu tuo. Ex illis sint viri pii et justi, sacerdotes et diaconi templi Domini. Domus tua benedicatur per tuam administrationem, et res familiaris tua abundet per curam tuam. Vir tuus coram amicis suis de te gloriam consequatur, paxque et caritas mutua sit inter te et virum tuum omnibus diebus vitae vestrae, atque egrediaris ab ecclesia anima plena misericordiae et gratiae, capite ornato corona justitiae, et referas gloriam Patri, Filio, et Spiritui Sancto nunc etc.

Alia oratio super sponsam. Domum ex qua egressa es, Dominus benedicat, sicut domum patris nostri Abrahae. Domum in quam ingrederis, Deus benedicat, habitetque in ea pax, tranquillitas, caritas et concordia usque ad finem mundi. Domum e qua egressa es, suscitet Deus ad gloriam nominis sui sancti. Domum quam ingrederis inhabitet pax et tranquillitas usque in saeculum, Deo ad eam dexteram suam potentem emittente. Domum ex qua egressa es, custodiat Deus ab injuriis inimici: a domo quam ingrederis, depellat Deus omnes infirmitates et dolores, exornetque eam sicut ornavit Jerusalem in diebus David. Domus ex qua egressa es, praeservet Deus habitatores ab omnibus Satanae incursionibus; domus quam ingrederis, benedicatur per conversationem tuam omnibus diebus vitae tuae, Deus augeat in ea benedictiones et bona quae non auferantur, armatura bona et abundantia spirituali; domum, ex qua egressa es, praeservet Dominus ab hominibus malis et facinorosis et ab omni potestate Satanae: domum in quam ingrederis, praeservet Dominus a malevolorum invidia, ab oculo malo atque tristitia, detque in ea bona quae e coelo sunt, et benedictiones quae e terra sunt. Benedicat Dominus habitatores domus ex qua egressa es, et aperiat in ea thesauros coelestes. Domus quam ingrederis, benedicat Deus habitatores et effundat in eam bona et benedictiones per orationes Genitricis Dei Mariae et omnium sanctorum Amen. Angelus pacis et tranquillitatis adhaereat tibi in viis et semitis tuis, praeservetque a dolis inimici per gratiam et misericordiam Domini nostri Jesu Christi, cui sit gloria et super nos sint benedictiones et miserationes ejus in saecula saeculorum. Amen.

Alia oratio super utrumque. Fili qui coronatus es spinea corona, qui potestatem mortis destruxisti et imperium maligni sustulisti, benedic hos servos tuos per gratiam tuam, facque eos esse inter vocatos et invitatos ad nuptias et convivium tuum. Benedic eos Domine Deus, sicut benedixisti patrem nostrum Adam et matrem nostram Evam in paradiso; benedic eos Domine, sicut bonum illum Sethum, qui solus patri similis evasit, sicut et Patri tuo similis factus es: benedic eos Domine Deus sicut benedixisti Noe pium in medio arcae, et ab eo propagatae generationes et familiae, factusque est in mundo Adam secundus: benedic eos Domine, sicut benedixisti Abraham amicum tuum et Saram famulam tuam: benedic eos Domine Deus, sicut benedixisti Isaac figuram tui, et Rebeccam ancillam tuam: benedic eos Domine Deus, sicut benedixisti Jacob et Rachel qui aedificaverunt domum Israel in nomine tuo sancto: benedic eos Domine Deus, sicut benedixisti Joseph pium et Ascenet uxorem ejus in Aegypto: benedic eos Domine Deus, sicut benedixisti David servum tuum, evasitque rex propheta et psaltes in Ecclesia tua sancta. O Fili gloriose et coessentialis Patri, Domine Jesu Christe, benedic servos tuos illos per gratiam tuam, et fac eos habere conjugium benedictum, zelatores operum bonorum et morum secundum justitiam institutorum, ut nos et ipsi referamus tibi gloriam et gratiarum actionem et Patri tuo etc.

Alia oratio super utrumque. Deus qui benedixit justos per gratiam suam et laetificat eos per misericordiam suam, qui extendit coelum sicut tabernaculum per sapientiam suam et extendit terram super aquas nutu voluntatis suae, qui creaturas bonis per abundantiam suam cumulavit,

ipse divites nos faciat operibus justitiae, confirmetque mentes nostras in fide sua, et serat in vobis veritatem suam, et transmittatis eam filiis vestris, qui sint sicut novellae plantationes olivarum bonae et benedictae. Multiplicet vos sicut Jacobum perfectum, et sitis in mille myriadas, toti occupati in operibus bonis et praeclaris, bonoque et saporo gustu evadatis. Seminetur in vobis veritas Domini voluptatem in educatione filiorum vestrorum quaerentes et germinantes in operibus justitiae, et vos atque filii vestri simul referatis gloriam et gratiarum actionem Patri, et Filio et Spiritui Sancto nunc etc.

Oratio super patrinum. Christe Deus gloriae, qui paranymphum sive patrinum suum benedixit in utero matris suae, et misit eum tanquam angelum ante faciem suam, ut pararet viam ante eum, ipse per gratiam suam et miserationes suas multas benedicat te o patrine tanquam coronam pretiosam, lucidam et gratissimam: super te et in te impleatur vox illa Joannis Baptistae clamantis: Paravi viam, ad quam praeparandam acceperam mandatum; sponsam despondi, propter quam missus fueram; et sicut bonis multis hujus nuptialis convivii fruitor es, ita dignus efficiaris gaudendi et exultandi cum sanctis in mundo qui non transit et in tabernaculo quod non dissolvitur, et det tibi Dominus Deus, ut cum sanitate animae et corporis pervenias ad diem salutis, et cum gaudio venias ad altare Dei, et suscipias in eo coronam sponsalitiorum tuorum, et referas gloriam Deo adjutori tuo, nunc et semper.

Oratio super matrinam. Deus omnium, et totius castimoniae autor, qui inclinavit sublimitatem praeclaram majestatis suae et virtutem magnitudinis roboris sui, et descendit habitavitque in vase infirmo ordinis muliebris, ex quibus elegit columbas perfectas, Mariam et Martham sorores Lazari, et Annam prophetissam filiam Phanuel praeclaram inter mulieres, quae non discedebat a templo die ac nocte offerens laudes nomini Domini; qui est sponsus verus, qui desponsavit sibi Ecclesiam sanctam, et imposuit capiti ejus coronam praeclaram, et quem adorant omnes populi, ipse per gratiam suam et miserationes suas multas benedicat te benedictione coelesti, et fungaris munere tuo matrinae, sicut Anna, Maria, Martha et Elisabeth. Det etiam tibi Deus, ut cum sanitate animae et corporis venias ad domum Dei et accipias coronam gaudii per gratiam Domini nostri Jesu Christi et Patris ejus qui vult bona nostra, et Spiritus ejus qui perficit omne gaudium nostrum, nunc etc.

Tum dicitur hoc carmen Ephraemiticum, B. Ephraem doctoris. Laetifica Domine per miserationes tuas sponsos in coronis suis; et benedic illos servos tuos benedictione coelesti, o sponse vere cujus nuptiae durant in aeternum, cito venias ad me, et laetifica populum tuum, atque in aeternum. Emitte Domine dexteram tuam quae plena est omnibus benedictionibus, benedicque sponsum et sponsam et coronas quas in capite habent, ea benedictione, qua benedicti fuerunt Abraham, Isaac et Jacob: ea benedicatur sponsus, sponsa et patrinis (sic); ex floribus et herbis atque liliis agri coronam justitiae texat vobis Salvator noster. Dominus benedicat lectum pacificum conjugalem vestrum, sintque ex vobis sacerdotes, pii viri et rectores. Moses texuit coronam capiti Aaron fratris sui, et texuerunt sacerdotes coronas capitibus sponsi et sponsae, coronam justitiae texat vobis Salvator noster et referatis gloriam Patri et Filio et Spiritui Sancto. Bonus qui benedixit coronae auri

omnibus benedictionibus, ipse benedicat vobis, fratres, benedictione coelesti. Dominus qui mari totam terram tanquam coronam circumposuit, ipse circumdat et muniat vos fratres mei muro justitiae.

Dominus et Deus noster Jesus Christus, qui ab infantibus laudatus est tenentibus ramos olivarum et palmarum, ipse laudabilem faciat diem hunc conjugii vestri. Misericors qui dedit pluvias et rores atque fructuum terrae multiplicationem, semen etiam atque plantarum, ipse laetificet vos per fructus prodeuntes ex lumbis vestris. Dextera illa quae mare divisit coram Mosis exercitu, ipsa propulset malignum et vim ejus a lecto conjugali vestro. Columna nubis quae praecessit filios Israel per quadraginta annos, ipsa praecedat vos et deducat vos ad thalamum illum gratiae, in quo tutus fuit David rex a manibus Saul, ipsa custodiat vos et liberet vos a malo et virtute ejus. Reges veniant ad honorem vestrum et principes ad pacem vestram. Laetentur in vobis angeli vigiles in excelso, et invitati super terram. Benedicamini ab excelsis, et laudemini atque honoremini ab inferioribus, et a finibus ad fines terrae pax multiplicetur super conjugium vestrum. Deus qui dignos vos fecit nuptiis illis transitoriis et quae finem habent, omnesque invitatos simulque sacerdotes, diaconos, viros et mulieres, viros et foeminas, juvenes et juvenculas, pueros et puellas, magnos et parvos, ipse vos dignos efficiat regno coelesti et thalamo suo spirituali, qui praeparatus est sanctis. Amen.

Alia oratio metrica Mar Jacob. Adorandus et laudandus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, Trinitas excelsa super omnia, misericordiae ejus adveniant super vos. Benedic Domine sponsum hunc et sponsam atque coronas eorum, sicut benedicti sunt Adam et Eva a creatore suo. Extende dexteram tuam, Fili Dei, et benedic sponsum hunc et sponsam istam atque coronas eorum: benedic inquam illos Domine sponsum, sponsam et coronas, sicut benedictus est Abel castus ex sacrificio suo. Benedic Domine sponsum istum et sponsam atque invitatos ab eis, sicut benedicti sunt antiqui pii cum temporibus suis. Benedic etc. sicut benedictus est Melchisedech antistes magnus. Benedic etc. sicut benedicti sunt Abraham, Isaac et Jacob cum sacrificiis suis. Benedic etc. sicut benedicti sunt Jacob et filii ejus in re illorum familiari. Benedic etc. sicut benedicti sunt reges pii cum coronis suis. Benedic etc. et coronas eorum, sicut benedicti sunt Moses et Aaron per thura sua. Benedic etc. sicut benedicti fuerunt pastores cum gregibus suis. Benedic etc. sicut benedicti sunt parvuli dilecti cum tabernaculis suis. Benedic, sicut benedicti sunt duodecim Apostoli per linguarum donum. Benedic, sicut benedicti sunt pueri qui laudabant te, Hosanna clamantes. Benedic, sicut benedicti fuerunt populi qui per bonos mores tibi placuerunt. Benedic, sicut benedicti sunt reges et sacerdotes per sacrificia sua. Benedic, sicut benedictae sunt aquae in Cana Galilaeae per transmutationem. Benedic, sicut benedicti sunt omnes justi cum generationibus suis. Benedic, sicut benedicti fuerunt martyres benedicti per sanguinem collorum suorum. Benedic Domine sponsum hunc et sponsam in nominibus suis; et benedicantur in hoc saeculo anni vitae eorum. Benedic Domine ora servorum tuorum, ut glorificent te, et canant tibi hymnos praeclaros in cytharis suis. Benedic Domine congregationem istam in saecula saeculorum, sicut benedictae fuerunt turbae populorum in deserto a Salvatore nostro,

per orationes Matris purae et benedictae et sanctorum filiorum regni in saecula saeculorum.

Oratio. O Domine Deus amator hominum, multiplica caritatem tuam erga nos servos tuos, qui coram majestate tua consistimus, et audi deprecationes nostras. Benedic hunc sponsum, sponsam et invitatos ab eis omnes, et etiam mediocritatem meam. Sponsus iste benedicatur a te, o Sponse coelestis, et sponsa ista benedicatur ab Ecclesia sancta tua. Patrinus etiam et matrina benedicantur per mysterium Trinitatis sanctae, ut laeti, gaudentes et exultantes intrent tecum ad thalamum coelestem, quia tu es primus et novissimus. Et voces eorum gloriam alta voce clamantes et linguae eorum referunt tibi gratiarum actionem, o Sponse coelestis, et Patri tuo et Spiritui Sancto tuo, nunc etc.

Hymnus. Gloria tibi Domine, quem adorant coeli et terra et omnia quae in eis sunt.

Vade in pace, sponse, Dominus tecum sit, benedictus es, intret tecum ea stella, quae Magos ad speluncam deduxit. Vade in pace, sponse, pax Domini nostri tecum sit sicut fuit cum Simeone, qui praefectus fuit thesauro sibi commendato. Vade in pace sponse, pax corona capiti tuo sit et sicut Joannes, quia Ecclesia exornat Dominum nostrum omni laudum genere. Vade in pace sponse, pax tanquam calceus in pedibus tuis sit, quo possis conculcare Satanam sicut Job justus. Vade in pace sponse, pax armatura corpori tuo sit, qua sicut filius Isai possis conterere hostes tuos et eos qui te oderunt. Vade in pace, o sponsa, Dominus sit tecum nec te derelinquat. Intret tecum stella illa, quae Magos ad speluncam deduxit, induta et ornata es, o sponsa, tanquam sol in ortu suo et adolescentulae speciosae sicut lilia agri. Egressa es sponsa ex domibus eorum, et a sacerdotibus deducta benedictionesque consecuta, sis in aeternum benedicta. Pater et mater ejus egressi sunt post eam, benedixeruntque illi et dixerunt: Abi filia, esto in mille millia fidelium. Filii tui crescant et educentur super tapetes et filiae tuae super strata aulaea, et semen tuum haereditate possideat terram et agros inimicorum tuorum. Filii tui accumbant et epulentur ad mensas patrum suorum, et filiae tuae sint veluti sponsae ornatae ad similitudinem templi. Ex filiis tuis sint principes, rectores et praepositi, et ex filiis eorum sint sacerdotes ministrantes creatori suo. Gloria Excelso, qui se ipsum humiliavit et salvavit Ecclesiam per crucem suam, ipse benedicat sponsum et sponsam coronasque capitibus eorum impositas.

Oratio pacis apprecandae. Deus quem praedicaverunt prophetae in generationibus suis, quemque praesignaverunt justi in familiis suis, quem honoraverunt pii in ministeriis suis, ipse benedicat fratres nostros istos, qui conjuncti sunt ad invicem per matrimonium legale, et sicut Isaac libenter ligna super humeros detulit et processit ad sacrificium, typus existens crucifixionis Christi, et sicut extendit manus suas Dominus noster et benedixit terram et habitantes in ea: et sicut susceptus est Dominus noster in Jerusalem a parvulis et pueris cum ramis palmarum et olivarum, egressusque ex ea est gestans crucem suam super humerum suum, sic egrediatur sponsus iste ex ecclesia cum honore et gloria virginum propria, annulusque ejus benedicatur, per eum qui typus fuit crucis Christi, quae fuit ruina diaboli, videatque eum malignus et confundatur potestatesque ejus depellantur. Ecclesia et filii ejus laetentur,

sacerdotes ejus cum dignitate et splendore ministrent, et ab omnibus ordinibus hujus convivii gloria referatur illi Regi regum, qui typus fuit conjugii in terra celebrandi, et Patri ejus et Spiritui ejus Sancto nunc etc.

Sigillum, hoc ultima pacis adprecatio seu benedictio. Dilecti mei, consuetudo nobis est accepta a patribus nostris, ut praecipiamus iis qui sunt coram nobis, in hunc modum: videte, quod coram Deo statis et coram mensa sancta quae est thronus Christi, et coram congregatione hac circumstante quae vobis ignota non est. Vos igitur ex hoc momento alterum alteri tradimus, Deus sit vas (et testis) inter me et vos, ego autem mundus sum ab incusationibus vestris. Misericordia et gratia Dei semper et perpetuo sint super sacerdotes, super diaconos, super sponsum et sponsam, et super omnem congregationem nostram in Christo, per orationes Matris benedictae, Virginis Sanctae Genitricis Dei Mariae, et omnis congregationis sanctorum, qui amaverunt Dominum nostrum, et custodierunt mandata Salvatoris nostri, in saecula saeculorum. Amen.

Tundem recitatur a sacerdote homilia sive ut vocant praeceptum ad conjuges, lingua Arabica, qua eos hortatur ad observanda praecepta Domini, maritum ad uxoris amorem, sponsam ad obedientiam maris praestandam, tandemque benedictionem ipsis a Deo precatur.

3. Ordo alter Syriacus.

(Ex Renaudotii opere MS. Varia officia T. III. P. III. fol. 70. sqq., videtur autem esse Maroniticus).

Per auxilium et opem Trinitatis sanctae incipimus describere ordinem coronationis legitimae.

Ante omnia, quae sacerdotem agere oportet, statim debet eos qui volunt matrimonium contrahere, de baptismo suo interrogare, ut etiam de generis affinitate diligenter investigare, tum utrum aliquis eorum relictus sit aut juvenis, qui nondum impleverit decimum quintum aetatis annum, quam admonitionem inculcabit ipsis tribus vicibus: si vero aliquam inter eos ejusmodi causam esse agnoverit, non procedet ad eorum coronationem. Quod si nulla sit, dicet utrique ad eos conversus. Tu N. et tu N. ex animorum vestrorum consensu contrahitis inter vos matrimonium caritatis divinae *et dicet ter.* Videte in conspectu omnium qui hinc congregati sunt, nam ego innoxius sum.

Statimque surgit sacerdos surgitque simul populus, et sacerdos incipit. Gloria Patri et Filio. *Diaconus.* Pro tranquillitate etc. *Sacerdos orat et dicit.* Laus Deo.

Tum mittit incensum et dicit tono Ephraemitico. Deus, qui voluntate tua et secundum caritatem tuam demisisti te ad genus hominum, ut vitam illis praestares per clementiam tuam, vivifica animas servorum tuorum qui confitentur Trinitatem, et suscipiant a te coronas plenas gloriae. Sint tibi perpetuo addicti, qui operentur justitiam. Tu vero dixisti et pollicitus es ei qui peteret te daturum illi, multiplica erga nos miserationem tuam et donum tuum plenum vitae, et perfice erga nos gratiam tuam omnibus diebus vitae nostrae per unitatem et caritatem, invoco te Domine amator poenitentium, suscipe orationem et de-

precationem nostram, et miserere gregis tui. Deprecatio quam obtulerunt servi tui, per misericordiam quae a te est, suscipiatur, et concede unicuique petitionem suam ex thesauro clementiae tuae. In principio, et in fine non neglexinus pulsare ostium tuum, atque cum gaudio et exultatione egrediemur in occursum tuum quando veneris. Eorum quos vocatos salvasti per crucifixionem tuam, a servitute peccati animas purga, qui stant coram te, ut glorificent decorem tuum. Decore et honore indue nos, et vitam novam largire nobis, heic quidem in hoc mundo ea quae ad sustentationem nostram, et in altero vitam promissam nobis concede. Prohibe tentationes ab Ecclesia tua, Jesu qui es lux veritatis, et ora omnia gloriam dicent tibi, quantum decet secundum amplitudinem muneris tui, secundum divitem caritatem tuam et praeclarum hoc munus tuum. Dolores malos et scandala aufer a nobis per clementiam tuam, corona capita adorantium te per dexteram tuam Rex Christe, et fac eos esse tibi templa pura et sancta, Pater etc.

Et dicunt. Sanctus Deus etc. *symbolum et orationem dominicam.*

Sacerdos manus utriusque conjungens in manum suam dicit. In nomine Trinitatis sanctae, Patris et Filii et Spiritus Sancti unius Dei, desponsamus filium nostrum N. filiae nostrae N. in manu et in verbo Dei, atque in hoc foedere, quo subsistunt coeli et terra, montes et excelsa, mare et arida, in eodem foedere quo Sara Abrahae desponsata est, Rebecca Isaaco, Lia et Rachel Jacobo, ita ut ab invicem separari praeterquam morte nulla ratione possint. *Eadem verba deinde arabice dicuntur ad conjungendos.*

Tum dicit sacerdos sequentem orationem. Desponsavimus filium nostrum N. cum filia nostra N. per Deum et Christum ejus et Spiritum ejus Sanctum et vivum, ut ipse perficiat vobiscum gratiam suam, misericordiam et clementiam suam omnibus diebus vitae vestrae. Deus qui benedixit Abrahae per Saram, Isaaco per Rebeccam, Jacobo per Liam et Rachelem, ditavitque eos omni munerum genere, qui dedit illis bona omnia, qui implevit domos eorum omnibus benedictionibus, et benedixit eis ex fructu et propagine filiorum suorum, et multiplicati sunt in generationes et familias, ipse benedicat his filiis nostris, qui accedunt ad conjugium castum, et effundat super eos de coelo omnia bona: ita ut circumdet eos gratia, sustentet eos justitia, sustineat eos sanctitas, et regat eos dextera illa quae creaturas condidit; tranquillitas prospiciat ex portis eorum et pax e fenestris eorum. Pax tranquillitasque ita concilientur, ut gaudeant utrique in Domino suo. Haec dextera sit inter eos pignus caritatis et foedus bonorum omnium. Tranquillitas, pax et gratia Domini nostri sit vobiscum omnibus diebus vitae vestrae. Pater et Filius, Deus qui misit angelum suum ante Eliezerem servum Abrahae, qui desponsavit Rebeccam Isaaco filio domini sui ad puteum aquae, ipse nunc mittat gratiam, clementiam et misericordiam suam iis qui desponsant, et iis qui desponsantur, et illis filiis nostris sponso et sponsae, et custodiat eos per victricem crucem suam; sit ipsis initium gaudio plenum et finis eorum cum justitia, et super nos oriatur misericordia sua, Pater etc.

*Hic dicitur versus super oleum *), tono qui sic incipit: Qui peccavit*

*) Dandinius p. 108. in quibusdam ritualibus Maronitarum formulas legi ait ad unctionem in matrimoniis solennizandis adhibendas, et ex iisdem

non peccet. Cum recumberet Dominus noster Jesus in domo Simeonis, mulier peccatrix ad januam pulsavit, et ascendit ad Jesum ferens unguentum et ungebat pedes ejus, et dimissa sunt ei peccata sua. Ferebat unguentum mulier peccatrix, et ascendit ad domum Simeonis, respondítque ei Dominus noster et ita dixit ei: Remissa sunt tibi delicta tua, et condonantur tibi quae insipienter commisisti.

Sequitur officium super annulos celebrandum.

Sacerdos incipit diacono interea allocutionem faciente. Sacerdos accipit duos annulos in manum suam dexteram et dicit tono Ephraemitico. Gloria tibi sit Sponse sublimis, qui propter nos humilis factus desponsasti tibi Ecclesiam sanctam et propter eam passiones sustinuisti, et corpus sanguinemque tuum tanquam libello scriptam dotem super Golgotam dedisti, per annulum, qui manui ejus immistus est, pignus vitae suscepit. Per gratiam tuam Domine benedic annulo huic servorum tuorum, quem damus filiae isti nostrae quae desponsatur legitime. Effice, ut erga illos pignus hoc annuli eamdem habeat efficaciam ac illorum, qui dati sunt olim piis et justis antiquis et peregrinantibus in via mercatoribus, secundum veritatem. Per ejusmodi enim annulum Joseph circumductus est super currum in medio Aegypti. Daniel per eum coram rege gloriam et honorem consecutus est. Per annulum mysteria continentem desponsata est Ecclesia sancta et suscepit corpus et sanguinem Jesu sponsi coelestis. Per annulum etiam desponsata est Sara Abrahae justo et suscepit omnes benedictiones et Isaacum filium promissionis. Per annulum quoque desponsata est Rachel Jacobo dilecto suo, qui cognominatus est Israel. Per annulum similiter liberata est Tamar nurus Judae a mortis supplicio et ab invidia mulierum, confirmavit scilicet eo modo sermones suos, et suscepit omnes benedictiones ab illo Patre coelesti. Per hunc enim annulum mulieres viris desponsantur et ornamentis coelestibus ornantur, per manus scilicet sacerdotum verorum, et tanquam murus corpus sponsae tegitur et simul illustratur. Per eum enim thesauri regni aperiuntur cum splendore. O quam admirabile est hoc mysterium, annuli scilicet hujus mysterium, super quo verba pronuntiantur, et per eum opere complentur. O mysterium quam es praeclarum. Annulus quippe, quo desponsantur mulieres viris ex paterna aut altera familia, qui obsignantur in typum sponsi coelestis: et desponsantur etiam sponsae ad similitudinem Ecclesiae sanctae. Ita Domine per gratiam tuam benedicatur iste annulus, qui sacerdotum manibus datur coram multis testibus et traditur in manum sponsae ad arrhabonem communionis. Dextera illa quae extensa est super Apostolos et illis benedixit, et quae generis nostri principem formavit et sponsum olim effecit, ipsa Domine simul cum dextera mea benedicat huic sponso et huic sponsae et efficiat eos unum corpus alienum ab odibili adulterio, simulque his vestibus et ornamentis, auro et reliquis ejusmodi operibus. Gratia tua Domine benedicat sponso et sponsae aequaliter atque universae huic nostrae congregationi, quam congregavit gratia tua. Fac Domine, ut illi per clementiam tuam digni evadant convivio illo quod finem non

---

non solum sponsos, sed et adstantes ungendos esse. Id tamen modo non amplius in usu esse videri.

habet, et nuptiali illo festo quod nunquam deficit, cum omnibus piis qui dilexerunt te, et cum justis qui te confessi sunt, et cum martyribus qui mortui sunt propter te, et a sponsatoribus et iis qui desponsantur referetur laus nomini tuo, Pater, Fili et Spiritus Sancte tibi gloria in saecula saeculorum. Amen.

Et dicunt. Sanctus Deus etc. Pater noster, *et symbolum fidei.*

Diaconus dicit. Dominum oremus. *Sacerdos recipit iterum duos annulos et dicit tono Ephraemitico.* Christe Sponse vere, qui desponsasti Ecclesiam sanctam tibi, et sanguine qui fluxit ex latere tuo dotem ei scripsisti et dedisti. Christe qui benedixisti justis et piis in antiquis generationibus, et ita cum immaculata castitate amplexi sunt viam conjugii, clemens qui adjunctus es vero Eliezero, qui ad puteum desponsavit Rebeccam Isaaco pio, filio domini sui: tu Domine per virtutem tuam magnam extende dexteram tuam cum dextera mea, et benedic annulo huic, quem cum fiducia in te Domine tradimus. Per annulum benedictionem consecuti sunt pii antiqui in generationibus suis, per annulum benedic Domine sponsum et sponsam hodie, qui cum fiducia in te Rex annulo ecce desponsantur, annulo qui pignus est sanctitatis, quo sponsus et sponsa desponsantur. Diligat ille quam despondit per pignus quod illa suscepit. Annulis et armillis ornavit eam sponsus, vestes splendidas dedit illi, ut sit vere sponsa ejus. Hoc est, dilecti mei, mysterium magnum, plus quam verbis possit enuntiari. Signum et figuram Ecclesiae habet hic annulus sponsalitivus. In armilla et baculo quem detulit Tamar, designatum fuit mysterium verum Ecclesiae sponsae Christi, quam super Jordanem fluvium desponsavit Joannes sterilis matris filius. Magnum est annuli mysterium erga eum qui illa explicatius intuetur, eo enim reges coronas suas nectunt, et per eum inter se invicem conciliantur. Per annulum benedictionem consecutus est Joseph, justus et praeclarus factusque est rex in medio Aegypti, et principes ei obsequium detulerunt. Per annulum Pharaonis regis elata est prae caeteris ejus potestas, confirmata est corona regni, et factus est Aegypti moderator. Annulum accepit Pharao immisitque digito ejus et dixit ei, hunc annulum regni tibi trado hodie; esto in medio Aegypti moderator, et rector velut Pharao. Jussit ut ascenderet super currum, et per plateas ejus circumvectus est, clamabantque ante illum Aegyptii, et principes ei obsequium detulerunt, quia annulum Pharaonis videbant Aegyptii in manu Joseph, cadebantque et prostrati venerabantur eum, quia erat a Domino regnum ejus. Annulo obsignaverant fossam Babylonii, in quam conjectus erat Daniel, et cum eam aperuissent viderunt leones prostratos coram Daniele: per annulum scilicet regis Babel securitatem nactus est Daniel. Annulo obsignavit fanum Beli idoli Babyloniorum, annulo deprehensi sunt sacrificuli impuri et profani; per annulum quippe pudore confusi sunt magi, de eo quod erga idolum egerant, qui tanquam viventi cibos apponebant quotidie. Mysterium sane verum habet annulus, eo quod per eum discernuntur res vere gestae a falsis et suppositis. Per annulum liberata est Tamar nurus Judae a mortis supplicio et a mulierum calumnia, et confirmata est ejus promissio, annulus enim Judae Tamaram a supplicio liberavit, quia tulerat ab eo pignus liberorum, quos furtive ex eo conceperat; ferebat annulum, quem Tamarae nurui suae dedit cum existimaret, eam esse meretricem quae sedebat in bivio. Mysterium annuli ad

antiquos simul et posteriores pertinet, nam per eum antiqui benedicti sunt, posteriores vero per eumdem coronati. Annulo desponsata est Sara patri nostro Abraham, et cum castitate impolluta amplexi sunt statum conjugii. Eliezer verus ad puteum desponsavit Rebeccam, ibidemque annulos et armillas dedit ei, armillas dedit in brachiis ejus, et inaures appendit auribus ejus; annulo tandem desponsavit eam, deduxitque eam ad Isaacum. Jacob justus annulo desponsavit Liam et Rachelem, et duabus septimanis laboravit pro duabus mulieribus quas acceperat. Liberas sibi per annulos desponsavit, et desponsavit simul ancillas, atque ex illis genuit duodecim tribus Israel. Annulo desponsavit Dominus noster Ecclesiam sanctam fidelem apud fluvium per servum suum Joannem praeconem veritatis, et dedit illi corpus et sanguinem suum pignus vitae novae, promisitque illi regnum, quod non transit neque finem habet. Magnum mysterium annulus continet, benedictus ille sit, qui fecit illum testimonii instrumentum, et in modum annuli mundum mari magno circumdedit et paradisum etiam exterius aquis tanquam annulo conclusit. Ecce etiam a quatuor partibus circumstant testes in formam annuli. Per annulum reges stant et gestant coronas regni, per eumdem stabilitur regnum eorum, et gestant coronas gloriae. Annulus corona est quae ornat regum capita, et tanquam sol qui radios spargens intuentium oculos perstringit. Annulus corona magna est et murus fortis, per eum arces et civitates a captivitate liberantur. Annulus corpori factus est tanquam murus fortis, annulo mulieres viris desponsantur legitime per manus sacerdotum verorum, et dos eisdem scribitur. Miraculum magnum annulus est, benedictus, qui fecit eum, ut esset firma matrimonii comprobatio: per eum conjuges benedicuntur, sponsus et sponsa obsignantur. Et nunc etiam Domine noster Jesu, clemens et plene misericordia, benedic annulum hunc, quem cum fiducia in te Domine damus, per dexteram tuam Domine benedicatur hic annulus servorum tuorum, et laetentur in te sponsus et sponsa, qui per eum conjunguntur invicem. Benedic Domine per clementiam tuam hunc annulum servorum tuorum, vestes etiam et ornamenta dextera tua Domine benedicantur. Benedicatur Domine hic annulus a dextera gratiae tuae, et laetentur per eum sponsus et sponsa per orationes justorum qui dilexerunt te, prophetarum etiam et Apostolorum, qui sanctificaverunt et confessi sunt te. Custodi Domine per crucem tuam invitatos et eos, a quibus sunt invitati, fratremque nostrum et sororem nostram quos desponsavimus: da illis Domine perfectionem hujus mysterii per misericordiam tuam: annulum Domine per fiduciam et spem in te damus tanquam arrhabonem desponsationis et initium communis societatis: benedic Domine hunc annulum et benedic etiam filium nostrum et filiam nostram, et custodi eos per crucem tuam a malo et ab exercitibus ejus. Quemadmodum etiam misericordiae tuae visum est, ut alterum alteri adjungeres, fac eos pervenire ad diem illum convivii coronationis eorum, veniantque ad ecclesiam tuam cum gaudio et coronas in capite gestantes, accipiantque a te benedictiones per sacerdotes qui ministrant tibi: redeantque ex templo sancto tuo, gestantes in corpore suo coronas . . . et remissionis delictorum. Hic igitur benedic illis Domine et conjunge eos invicem, ut in altero saeculo, videant quoque se invicem quando mortui resurgent: et a superioribus et inferioribus, a sacerdotibus et diaconis, desponsatis et conjugatis, atque

virginibus utriusque sexus, infantibus et omni congregatione nostra referamus gloriam Patri, et gratiarum actionem Filio qui ab ipso est, et hymnum Spiritui Sancto: Pater etc.

Diaconus dicit. Domine Jesu Christe benedic annulum et qui illum accipiunt, benedic sponso instar Isaaci, et sponsae instar Rebeccae. Invitatis benedic tanquam turbis olim in deserto benedixisti, ut gratias agant tibi unanimiter sponsus et sponsa. Perfice cum illis Domine gratiam tuam et munus tuum misericordia plenum, per orationes Matris quae te genuit, et sanctorum qui te confessi sunt.

Sacerdos incensum adolet quomodo libet. Diaconus dicit psalmum. Suscipe Domine annulum qui servis tuis datur, qua ratione acceptatus est annulus Tamarae, munus Judae. Confiteantur tibi Domine opera tua et justi tui glorificent te, sicut susceptus est annulus Tamarae nurus Judae. Deus qui antiquis justis benedixit in generationibus suis, ipse benedicat sponso et sponsae per dexteram suam plenam misericordiae. *Proclamatque hoc carmen Ephraemiticum.* Jesu sponse vere, qui desponsasti tibi Ecclesiam sanctam, dextera tua misericordiae plena benedicat sponsum et sponsam: tu qui per annulum multiplicasti veritatem tuam erga servos tuos, nunc etiam per annulum demonstra veritatem tuam erga eos qui te diligunt. Per annulum Judae demonstrata est veritas Tamarae, perque virgam et annulum suscepit omnes benedictiones. Perfectum sane est annuli mysterium et praeclara ejus efficacia, qui regibus et mercatoribus fidem et concordiam conciliat. Daniel per eum gloriam adeptus est apud regem Assyriorum, et per annulum liberatus est a nequitiis Babyloniorum. Hic etiam annulus illustrem fecit Josephum in terra Aegypti, et per eum exaltatus et elevatus est ad praefecturae dignitatem. Etiam annulus antiquorum, qui ad paciscendam unionem oblatus est, sit sigillum veritatis et firmum voluptatisque plenum.

Et dicit alium hunc hymnum tono: Ego sum lux vera. Eliezer servus Abrahae ad puteum desponsavit Rebeccam, armillas appendit brachiis ejus, et inaures appendit auribus ejus, deduxitque eam ad Isaac, benedictaque est domus ejus. Nunc igitur etiam Domine benedic annulum servorum tuorum, per orationes testium et sacerdotum. Per annulum quem dedit Pharao Josepho pio, in medio Aegypti stabilita est corona potestatis ejus, a Domino enim erat regnum ejus, et adoravit eum universus Aegypti populus, et intuebantur in eum optimates omnes; annulum servorum tuorum benedic, ut sit murus et tegumen contra malignum et exercitus ejus.

Dat sacerdos annulum sponso, et matri sponsae, et dicit. Dextera Christi Domini extendatur ad te secreto, et suscipias ab eo manifeste quidem hunc annulum desponsationis filiae tuae, et effundat super te benedictiones absconditas miserationis suae, quae divites facit omnes sanctos et dolorem non habet. Sit annulus iste murus corpori sponsi et sponsae, custodiantur a dolis et liberentur a Satana, perveniant ad habitaculum lucis, et adcenseantur gregi benedicto, referantque gloriam Trinitati gloriosae, Patri, Filio et Spiritui Sancto etc.

Oratio ad vestes. Ipse qui lilia ornatu vestivit, foliisque et fructibus arbores, Deus qui saecula verbo suo constituit, qui mandato suo ornavit creaturas, qui erexit tabernaculum temporale vasis et suppellectili

ornatum quali decebat, ipse benedicat his vestibus per gratiam, et det sponsis qui illos induent, ut cum justitia illas induant, gaudioque tandem perfusi possint parare filiis suis praestantiores quam sint istae, gaudentes, confitentes et glorificantes nomen tuum sanctum. Pater etc.

Ad reliqua ornamenta ex auro. Quaesumus Domine Deus potens, qui praecepisti Moysi servo tuo, ut indueret Aaron fratrem suum pretiosis sacerdotii vestibus, quas campanulis, malogranatisque aureis, lapidibus pretiosis, coloribusque diversis et pulchris, quae sacramenta virtutum haberent, ornari voluisti, tu Domine benedic etiam his vestibus, quas scilicet dedisti ad ornatum et quotidianos usus hominum et ad honorem gloriamque nominis tui Domine, da servis tuis qui illas induent, ut iis laetentur easque ad vetustatem usque usurpent cum gaudio, honoreque affecti gaudeant et exultent, ut sicut honorem illis heic contulisti per haec visibilia, ita Domine exorna eos per gratiam tuam operibus justitiae, ut scilicet placeant tibi per opera bona sua omnibus diebus vitae suae et referant gloriam divinitati tuae. Pater etc.

Et dicunt: Pater noster etc.

Sacerdos dicit orationem sigilli, sive ultimam benedictionem. Deus qui condidisti creaturas mandato tuo, et constituisti tabernaculum temporale cum vestibus splendidis, quibus ornarentur filii Israel: tu etiam Domine per gratiam tuam magnificasti reges per vestimenta sua, sacerdotes etiam vestibus suis exornasti, benedic Domine sponsis istis et indumentis eorum, multiplicenturque anni eorum in gloria et in justitia, induantque illa usque ad vetustatem cum gaudio. Utantur quoque illis filii eorum, et illis se exornent festis diebusque Paschalibus exultantes et gratias agentes Trinitati gloriosae, Pater, Fili etc.

Explicit officium ad benedicendos annulos.

Sequitur ordo ad coronam imponendam.

Primo stant in media ecclesia. Diaconus, postquam sacerdos officium incoeperit, allocutionem ad eos habet, tum sacerdos accipit coronam manu dextera, et accedens circum altare dicit. **Ipse qui verbo suo extendit firmamentum super aquas, et ornavit illud sole et luna et splendore omnium astrorum, Filius qui cum Patre suo condidit saecula et qui in eis vixerunt, et cum Genitore suo formavit Adamum ex terra, Sanctus qui ornavit Adamum corona gloriae, et accepit unam ex costis ejus ex eo, et formavit eam in Evam matrem nostram: Bonus qui ordinavit Adamo suae imagini adjutricem, masculumque et foeminam fecit eos sicut voluit: Mare misericordiae, cujus digitis formatum crevit corpus Adami et Evae principum nostri generis: Justus qui Adamum induit gloria et dixit ei, ut crescerent et replerent terram omnem prolibus suis; Dominus qui coronavit terram floribus et fructibus, et habitatores ejus illustravit corona gloriae. Dominus bonus qui benedixit coronis omnium piorum, et majestatem regum auxit per coronas capitibus eorum impositas: Christus qui coronatus est corona spinarum ab iniquis, et imposuit Ecclesiae suae coronam gloriae per crucifixionem suam. Dominus Deus qui benedixit coronae duodecim Apostolorum suorum, et potestatem illis dedit, ut ordinarent coronam Ecclesiae suae: Tu, o**

Clemens, corona gloriae Ecclesiam tuam ornasti per illapsum tuum, benedic quoque coronis servorum tuorum istorum. Rogamus te qui vis vitam hominum, suscipe a nobis incensum hoc, quemadmodum pollicitus es: ecce siquidem obsecramus divinitatem tuam, Domine misericordiarum, et pro servis tuis, qui consistunt coram te, sponso et sponsa: acquiescat nutus tuus huic incenso quod pro illis offertur, illisque placare, et coronae eorum per te benedicantur.

Exaudi Domine vocem meam deprecationemque infirmitatis nostrae, et benedic sponso et sponsae et coronis, sive nuptiis eorum, siquidem sicut convenerat inter eos servos tuos, venerunt sponsus et sponsa ad domum propitiationis, ut a te acciperent coronas suas. Effunde benedictiones ex thesauro tuo super vitam eorum, et a tentationibus et angustiis eos custodi, quia scilicet ad ecclesiam tuam et ad sanctuarium tuum venerunt libenter illi adoraturi te; suscipiant simul cum coronis suis a te veniam delictorum. Concede illis Domine quodcunque a te postulant: gratia tua et virtus tua secreta concedantur ipsis ex media domo tua, dimitte delicta sponsi et sponsae qui coram te consistunt. Deprecamur te etiam pro servis tuis qui venerunt ad te; ut non hinc abeant Domine, nisi prius accepta remissione delictorum suorum. Et nos servi tui tanquam rectores deprecamur te, ut solvas et dimittas delicta servorum tuorum sponsi et sponsae. Tu constituisti me super thesaurum tuum divinum, ascendam igitur et proferam remissionem delictorum servis tuis istis, qui consistunt coram te et postulant misericordiam a majestate tua, secundum promissionem apostolicam. Domine qua veniam concedendam pollicitus es, et benedictionum potestatem illis dedisti. Aspice nos Domine, quos per sanguinem tuum ab errore liberasti: convertere ad nos Domine et acquiesce orationibus nostris. Et quaecunque peccaverunt sponsus et sponsa coram majestate tua, a juventute sua usque ad hunc nuptiarum suarum diem, sive scienter sive per ignorantiam transgressi sunt mandata tua, et blasphemiis aut conviciorum maledicentia praevaricati sunt legem tuam, sive inani sive turpi sermone, aut cibo et potu, et contubernio cum impiis Judaeis, per commercium cum haereticis, aut haeresibus, sive per transgressionem canonum divinorum, aut praeceptionum sacerdotum praeclarorum pastorum gregis tui, per adulterium, furtum, dolum, superbiam, mendacium, perjurium, falsum testimonium, et per omne quodcumque praeclaris moribus inimicum est, et in quod aliquando lapsi sunt sponsus et sponsa atque universa haec congregatio nostra: Tu Fili bone, quem coronaverunt insipientes corona ex spinis, quique sustulisti iniquitatem hominum per crucifixionem tuam, ignosce Domine sponso et sponsae defectus suos, et condona ea quae insipienter ab ipsis commissa sunt, ex medio libri tui dele peccata eorum, et sanctos effectos corona. Per gratiam tuam Domine munda eos a delictis suis, et sana ulcera et vulnera, quae membris suis contraxerunt. Absterge ab illis maculas foedas, quas in corporibus suis habent, et per coronas eorum effunde benedictiones super capita eorum. Benedic illis Deus per illapsum tuum, et a defectibus alienos factos corona. Crux tua Domine obsignet hos sponsum et sponsam, qui venerunt suscepturi a presbyterio coronam connubii sui. Domine bone qui exaudis omni hora eos qui invocant te, cujus thesaurus plenus est clementia et misericordia et remissione delictorum, jube

per clementiam tuam et benedic Domine coronas istas, ut sint signum plenitudinis pacis in capite servorum tuorum. Anima, corpus, mens et intellectus per te emundentur a maculis et a cogitationibus inspiratis a diabolo. Benedic Domine servis tuis istis sponso et sponsae, sicut benedicta est corona Davidis atque etiam Samuelis. Requiescat super eos virtus tua et benedicantur Domine coronae istae; dextera tua Domine imponat eos super capita servorum tuorum. Sponsum et sponsam Domine custodi per crucem tuam lucidam, et per coronas eorum da illis, ut gaudium habeant ex nuptiarum suarum celebratione: patrini etiam, qui venerunt ad ecclesiam domum propitiationis, ex dextera tua suscipiant coronas huic quod praestiterunt officio debitas. Alis misericordiae tuae protege illos Rex Christe, et ad convivium illud indesinens pervenire illos jube; et quia ad ecclesiam tuam venerunt, ut susciperent coronam nuptiarum suarum, benedic illis et coronis eorum atque universae congregationi nostrae, quae laetatur et exultat coronatione sanctorum suorum et in medio ecclesiae tuae cum illis in exultatione consistit. Effunde benedictiones ex thesauro tuo super capita eorum, et per gratiam ignosce peccatis, quae per defectum commiserunt. Tu Deus qui laetificasti Abrahamum per filium suum Isaac, Israelem etiam per coronam, quam Joseph filius ejus inter Aegyptios consecutus est, laetifica servos tuos per vitam castam dilectorum filiorum tuorum, et serva illos a Satana, et a potestatibus ejus. Me etiam variis defectibus obnoxium dignum effice Domine venia delictorum meorum et illis deliciis, quibus gloriantur et exaltantur pii in saecula. Ex ore sacerdotum et omnis coetus diaconorum, a senibus et adolescentibus et virginibus, ex hac coronatione sponsi et sponsae, et ab eorum patrinis, qui officii praestiti causa coronas susceperunt, referemus gloriam et gratiarum actionem divinitati tuae Pater, Fili et Spiritus Sancte unus Deus.

Hic dicunt orationem Dominicam. Diaconus dicit psalmum. Sacerdos. Custodi Domine per crucem tuam sponsum et sponsam, atque patrinos, qui convenerunt ad ecclesiam sanctam, ut consequerentur benedictionem a presbyterio, serunt agros, vineas plantant, et commederunt fructus arborum suorum, benedixisti illis et aucti sunt vehementer, sponsus scilicet, sponsa et patrini: dextera tua Christe Rex quae benedixit piis et justis, ipsa benedicat sponso et sponsae et universae isti congregationi nostrae.

Ex epistola Pauli Apostoli ad Ephesios. Fratres videte, quemadmodum vos oporteat ambulare *usque ad haec verba:* uxor autem timeat virum suum.

Tum dicuntur hymni.

Sacerdos dicit evangelium secundum Matthaeum. Cum complevisset Jesus sermones istos, *ab initio cap. 19. usque ad versum 13.*

Diaconus alta voce recitat hanc orationem versu Jacobitico.

Stemus omnes in oratione coram Deo, et imponamus coronam capiti sponsi et sponsae, postulemus ab eo, ut effundat misericordiam suam super capita eorum, et dextera sua etiam benedicat coronis eorum. Dextera illa quae Adamum statuit in medio paradisi, illa etiam benedicat sponso, sponsae et patrinis. Dominus qui ornavit solem et lunam secundum periodos suas, ipse benedicat etiam sponso et sponsae et patrinis: qui benedixisti justis antiquis per praeclaram vitae institutionem,

conserva Domine sponsum et sponsam, qui venerunt ad Ecclesiam, ut ab ea vestes suas nuptiales susciperent, ita ut exultationem habeant in domibus suis. Prodeant ex illis filii qui sint haeredes eorum, et bonis operibus suis filii parentes suos laetificent. Custodi Domine habitacula et thalamos eorum ab inspiratis artificio maligni illius daemonis nequitiis, ignosce o Deus, et perfice per misericordiam tuam coronas eorum, et pro illis ter invocabimus nomen tuum. *Sacerdos dicit.* Gloria tibi exauditor etc. *Et dicit versum simplicem proceditque ad sponsum coronas dextera tenens.* Venite fratres mei, videamus hanc sponsam praeclaram, quae facta est in populum et transivit, cum hostes ejus interea submergerentur. Incedebat ante illam columna lucis, et super eam nubes spissa: Moses praecedebat eam, Aaron vero sequebatur, et Maria atque omnes ejus sociae in choros divisae sonabant, benedicite, non fuit in mundo similis illi, neque etiamnum similis sponsa ulla est ei, quam desponsavit Filius Dei sublimis. Pulchritudo ejus, qui eam desponsavit, praestantior omnino est reliquorum omnium pulchritudine; in aeternum non moritur: sanguine qui fluxit ex latere ejus, scripsit ei dotem, et ecce clamat illa quocunque tempore: Gloria tibi Domine, benedictus etc.

Dioconus dicit. Dominum rogemus.

Et manus utriusque sponsi et sponsae conferentes. Sacerdos dicit. Benedic Domine. Gloria Patri et Filio. *Ter.*

Deinde dicit. Deus qui coronavit terram fructibus omnis generis; Dominus qui illuminavit coelum omni luminarium genere, posuitque in eo lunam et stellas multas; Jesus Christus qui coronavit reges, sacerdotes, prophetas et martyres sanctos; Deus qui mare terra tanquam corona circumdedit, ipse per misericordiam et gratiam suam benedicat coronis istis servorum et ancillarum suarum, Pater, Fili etc.

Et accipit coronam dextera dicitque hanc orationem. Deus qui expandit coelum in sapientia sua, firmavitque expansam terram super aquas, ut non commoveatur in saeculum saeculi, qui coronavit etiam faciem firmamenti sole, luna et stellis; Deus qui coronavit faciem terrae arboribus, floribus, fructibus, omnique odorum suavissimorum genere. Deus qui Adamum firmavit imperio suo, et immisit in eum soporem quo obdormivit, tuncque tulit costam ex latere ejus, et fecit eam mulierem, quemadmodum ei visum est, ut esset illi adjutrix, benedixitque illis et dixit illis: Crescite et multiplicamini, replete terram et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli. Deus qui benedixit coronae Seth praeclari, Noae justi, et Semi, et dixit eis, ut timor et pavor eorum esset super terram. Deus qui nexit coronam in coelo, demisitque eam et descendit in caput Nimrod potentis, quique extitit rex primus in terra, atque per eum et hujus coronae beneficio regia dignitas in terra instituta est. Deus qui benedixit coronam Abrahami et Sarae, Isaaci et Rebeccae, Jacobi et Liae atque Rachelis, benedixitque illis et dixit, quod in semine eorum benedicerentur omnes tribus terrae. Deus qui benedixit coronam Josephi et Asenetae uxoris ejus in terra Aegypti.: Deus qui benedixit coronam Aaron sacerdotis et Mosis prophetae, et omnium prophetarum et Apostolorum, qui praedicaverunt eum praeclare et sancte. Deus qui benedixit coronam Josue filii Nun, dixitque ei: Rege populum meum filios Israel, et introduc eos in terram quam pollicitus sum eis; Deus qui benedixit coronam Davidis regis et prophetae, quique ei dixit: De fructu

ventris tui constituam super solium tuum, et si servaverint filii tui testamentum meum, et testimonium hoc quod doceo eos, etiam filii filiorum eorum aliqui sedebunt usque in saeculum super sedem tuam. Deus qui benedixit coronam Joachim et Annae uxoris ejus, et dedit illis fructum benedictum Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi; Deus qui benedixit coronam Zachariae sacerdotis et Elizabethae, et dedit illis fructum benedictum Joannem Baptistam. Deus qui benedixit coronam Petri Apostolorum principis, et omnium Apostolorum sociorum ejus, et dixit eis: Ite, docete omnes gentes, et convertite eas ad adorationem vitae. Deus qui benedixit coronam Constantini regis victoris, et exaltavit cornu Ecclesiae sanctae in quatuor partibus terrae; ille ipse Dominus Deus benedicat coronas istas benedictione sua coelesti, sponsumque et sponsam, vestesque nuptiales quas accipiunt ex manu sacerdotis in templo Domini. Fac eos dignos Domine et Deus noster consortio hoc benedicto, et conservetur inter eos, quemadmodum convenit voluntati tuae: da illis Domine filios benedictionum et filias justitiae, ut olim patribus sanctis. Da illis Domine, ut ex filiis eorum cultores Christi in templo sancto tuo sint. Da illis Domine Deus, ut laetentur ex filiis et filiabus suis in senectute bona. Da illis Domine Deus, ut filios suos coronent, nuptias eorum conciliando, qua ratione et illi coronati sunt hodie, et adimpleatur erga eos verbum quod pronuntiavit beatus David: Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros, benedicti vos a Domino qui fecit coelum et terram: det vobis Dominus Deus de pinguedine terrae et rore coeli, et sitis colentes Deum et benedicti omnibus diebus vitae vestrae, per orationes omnium sanctorum. Pater, Fili.

Et adolet sacerdos incensum, coronamque dextera accipiens imponit super caput sponsi et dicit psalmum. Domine in virtute tua laetabitur rex, et super salutare tuum exultabit vehementer; desiderium cordis ejus tribuisti ei et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum; quoniam praevenisti eum in benedictionibus bonis, posuisti in capite ejus coronam praeclaram. Vitam petiit a te et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum saeculi. *Et dicit hoc carmen Ephraemiticum.* Creator, qui Adamum formavit ad imaginem suam magnam et ad similitudinem suam accepitque costam de latere ejus et fecit ei adjutricem. Deus qui coronavit antiquos coronis justitiae, et coronam supremae dignitatis nexuit per gratiam suam, qua reges terrae redimerentur; ipse misereatur vitae tuae, et dextera ejus coroneris, sicut Abraham justus, et sint filii tui tanquam Isaac; quia venisti ad ecclesiam, ut coronareris corona temporali, atque ex ea gaudium perciperes, multiplicet tibi Dominus vitam ex thesauro clementiae suae, dimittatque dexteram misericordiae suae cum dextera mea, et ipsa te coronet corona gloriae quae non transit, pro transitoria hac corona cum gaudio septem dierum Dominus cum piis coronet te corona gloriae regni sui per orationes piorum, qui eum dilexerunt et placuerunt Domino per opera et actiones suas praeclaras. Pater, Fili et Spiritus Sancte, tibi gloria in saecula saeculorum. Amen.

Imponit coronam capiti sponsae et dicit hos versus. Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus tuus, et adorabis eum et filia Tyri pariter adorabit. *Et dicit.* Dominus qui creavit Evam matrem nostram et patrem nostrum

Adamum, ornavitque eum decore et corona gloriae, multiplicatique sunt filii eorum, Christus qui coronavit omnes mulieres sanctas, et benedixit Sarae, coronavit Rebeccam, et Rachelem laetificavit, ipse etiam benedicat tibi per dexteram divinitatis suae, effundat misericordiam super membra tua, et coronet te Dominus corona gloriae, et sis in Ecclesia ejus vitis quae proferat quotidie fructus justitiae. Praestet tibi Dominus, ut sis intime unita viro tuo, pacemque inter vos et tranquillitatem conciliet. Producat Dominus ex membris vestris fructus, filios scilicet qui placeant divinitati ejus nunc etc.

Dat coronas patrinis seu paranymphis et dicit. Rex, cujus corona non mutatur, et cujus potestas non transit, et imperium manet usque in aeternum, tu Domine benedic per gratiam et clementiam divinam tuam paranymphis istis, qui suscipiunt coronas officii hujus a se praestiti: per crucem tuam custodi eos, et gaudio atque securitate laetifica illos. Tu Domine praesta illis per misericordiam tuam abundantissimam et vitae plenam, ut sint apud te per opera sua boni operarii, et quemadmodum ad domum tuam convenerunt, ut coronarentur corona temporali, auge illos benedictionibus per coronas, quae capitibus eorum imponuntur. Pater etc.

Diaconus dicit. Ad Dominum oremus. *Sacerdos adolet incensum et dicit hoc carmen Ephraemiticum.* Deus qui formavit Adamum ad imaginem suam magnam et similitudinem suam, et fecit eum principem, gubernatorem et dominatorem super creaturas suas; deditque illi Evam uxorem ex propria ejus costa, fecitque eam ad decorem ejus, ornavitque tanquam sponsam, et coram Adamo constituit eam. Dominus qui ornavit et condidit omnes creaturas ex nihilo, easque fecit esse mirabiles omnibus qui perspicue eas intuentur. Creator qui creavit creaturas, easque constituit, et in fine omnium formavit Adamum et Evam. O Bone qui ornavit terram, et replevit eam omnibus bonis, induxitque Adamum in eam veluti sponsum in thalamum nuptialem suum. O qui benedixit Abraham et Saram, benedixitque etiam ejus conjugium, et dedit ei fructum benedictum, Isaacum filium promissionis. O qui multiplicavit benedictiones super Isaacum haeredem bonum, liberavitque eum a gladio, ne praeclaram ejus pulchritudinem corrumperet. Misericors qui benedixit Jacobum cognominatum Israel, deditque ei ut generaret duodecim filios, duodecim capita tribuum Israel. Deus qui elegit David et a grege ovium assumptum regem eum constituit, deditque ei diadema regni, et constituit eum super Israel. Christus qui ortus est ex Maria, ex semine David servi tui, induitque corpus humanitatis nostrae, extititque et ex nobis et nobis similis. Sponsus Christus, qui desponsavit sibi Ecclesiam sanctam ex aqua, et in coenaculo dedit ei dotem corpus et sanguinem suum. O quam bonus, qui praeparavit ad convivium nuptiale suum bonos quoscumque, et eorum unicuique distribuit nuptialia munera secundum potestatem suam. Rex qui fecit convivium Unigenito suo in crucifixione sua vocavitque populos et nationes, ut venirent et habitarent in nuptiali thalamo suo. Quam praeclarum illud convivium est, quod fecit Rex Unigenito suo, praeclari etiam populi qui venerunt, ut praeparatis ab eo bonis fruantur; praeclari illi, quos vocavit filius regis ad hoc convivium, sunt enim justi, prophetae, Apostoli, et martyres, doctores, jejunatores, castimoniam professi, Nazaraei et virgines, solitarii et degentes in monti-

bus, qui nihil possederunt quidquam in hoc mundo: Stylitae, reclusi qui crucifixerunt animas et corpora sua, hi omnes invitati fuerunt ad convivium sponsi Christi, et unusquisque eorum quasi symbolam contulit plagas et passiones quas sustinuit. Prophetae praedicaverunt adventum ejus, et flagellati sunt propter eum. Christus qui coronavit prophetas et martyres benedictos, qui confessi sunt eum et gustaverunt mortem propter ejus amorem, ut coronaret eos in veritate. Christus, qui sapientiam Apostolis et martyribus dedit victoriam, et quando venerit in gloria sua magna, thalamum lucis illis daturus est; nunc etiam Domine Jesu deprecamur divinitatem tuam: extende dexteram tuam cum dextera mea, et benedic sponsum et sponsam, qui convenerunt et accesserunt ad te apud Ecclesiam sanctam fidelem. Per dexteram tuam Domine benedicantur sponsus et sponsa et paranymphi, et induantur stola gloriae accipiantque a te benedictiones. Benedic Domine per clementiam tuam sponso et sponsae aequaliter, et per impositionem manuum presbyterii ignosce et dimitte delicta eorum, et impone dexteram tuam Rex Christe super capita eorum cum dextera mea; vestiat gloria corpora vestra, honore quoque et splendore corpora vestra induantur, et coronemini ex excelso divinitatis gloriosae. Deus qui laetificavit Saram per Abrahamum patrem populorum, et Rebeccam per Isaac servum suum, Rachelem et Liam per Jacobum, ipse laetificet vos per clementiam suam omnibus diebus vitae vestrae, detque vobis fructum benedictum filios scilicet, solvatque a membris vestris vincula iniquitatis et peccati, et depellat a vobis Satanam per crucem suam lucidam et sanctam. Custodiant angeli vigiles habitationem vestram, et angeli contubernium vestrum, habitetque et requiescat Spiritus Sanctus in thalamo, ad quem ingrediemini. Dignos efficiat vos Deus corona quae non transit, et convivio quod non marcescit, et nuptiali festo quod finem non habet. Qui adduxit et conjunxit vos Deus in corporum unionem et societatem, ipse per misericordiam suam praestet, ut eamdem animorum communionem habeatis: et qui in ecclesia sancta nuptiales coronas accepistis, laetificet vos Dominus in cubiculis vestris, repleatque vos sanctitate, puritate et castimonia, habitetque vobiscum puritas, et ab impuritate procul efficiamini, liberemini etiam ab iniquitate et a malis artibus Satanae; sit vobis jejunium murus et oratio scutum vitae: multiplicentur anni vitae vestrae absque dolore et angustia: transigantur dies vitae vestrae in exultatione et sanitate: praestet vobis Dominus per misericordiam suam finem beatum et pacificum: satiet vos bonis, et laetificet vos in habitaculo suo, et pervenire vos faciat ad dexteram suam in eum locum quo ascendunt pii. Fac illos Domine per clementiam tuam templa pura gloriae tuae, fac scilicet, ut habitet in illis sanctitas, et in conjugio eorum reperiatur castitas. Iniquitas cum eis locum non habeat, neque peccatum generans mortem, neque spiritus fallaciae, sed per sanctitatem exornentur, castitate operiantur, liberenturque a praestigiatoribus, Chaldaeis et omnibus maleficis, neque dominetur Satanas in lecto puro conjugii eorum, neque ad illud perveniant incantationes et aliae magicae artis operationes. Conservet Dominus thalamum vestrum in sanctitate et puritate, neque corrumpatur conjugium vestrum adulterio immundo et detestabili. Deus ipse qui benedixit vobis, et eduxit vos ex utero, et secundum voluntatem suam adduxit vos, ut unum efficiamini per vinculum caritatis, ipse benedicat

consortium vestrum, detque vobis fructus benedictos, laeteminique et exultetis in filiis qui ex vobis nascentur, videatis eos germinantes sicut rosas et sicut lilia, et videatis ex illis gloriam omnibus diebus vitae vestrae, sintque fructus illi placentes et accepti Deo per mores suos, et accipiant ab eo benedictiones, sicut Isaac et Israel. Benedicat Dominus terras et plantationes vestras cum fructibus suis, ut offeratis oblationes ex proventibus vestris: requiescatque super vos dextera illa quae Simoni data est, Simoni principi Apostolorum et fundamento Ecclesiae sanctae. Illi si quidem datum est sacerdotium ex dextera Salvatoris nostri, clavesque excelsi et profundi appendit lateri ejus tanquam verax. Ab eo in terra traditum est successive sacerdotium in quatuor partes terrae. Illa dextera sancta sacerdotii quae Simoni tradita est, nunc veniat et cum dextera mea pariter porrigatur, benedicat coronis vestris, et remittat peccata vestra, vocet nos et vos ad illud convivium quod non transit, imponat coronas capitibus vestris et annulos immittat dexteris vestris, gaudioque aeterno perfruamini cum sanctis et jejunatoribus, et perveniatis ad thalamum deliciarum cum castis et justis, voluptatem etiam percipiatis ex bonis sponsi regis coelestis, et consortio sanctorum ejus adjungamini in regno coelorum, quando congregabuntur omnes populi ad illud convivium, sicut scriptum est, unusquisque currens praeparabit sibi vestes mundas et praeclaras, ne despiciatur a sociis suis in eo convivio quod finem non habet, sitis etiam haeredes cum illis qui illic futuri sunt, faciatque vos sponsus Christus sponsos amatores castitatis, sicut fuerunt Abraham, Isaac et Jacob filii regni: repleat vos spe et caritate tanquam Joseph et Benjamin: benedicat Dominus conjugio vestro quemadmodum tribus istis nominatis, qui erant quodammodo in lege Hebraeorum Trinitas: Abrahamo patri populorum, Isaaco fructui benedictionum, et Jacobo qui genuit duodecim illustres tribus Israel; per orationes omnium benedicti sitis et gaudeatis hodie in thalamo nuptiali vestro. Trinitas etiam gloriosa quam praedicaverunt Matthaeus, Marcus, Lucas et simul cum illis Joannes, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, unus Deus verus, ipse benedicat coronationem vestram custodiatque sponsum et sponsam, patrinos seu paranymphos utriusque sexus, cum omni hac congregatione nostra. Moses princeps prophetarum reliquit nobis scriptum in prophetia sua, quod in principio creavit Deus coelum et terram et omnia quae in eis sunt, fecitque Adamum et Evam inter arbores paradisi, cumque ex fructu illo comedissent, ejecti ex paradiso fuerunt, per matrimonium eos conjunxit dicens, crescite et multiplicamini et replete terram, ita hodie benedicamini per coronas quae capitibus vestris imponuntur, sicut sponsus ille primus, qui benedictus est a Deo, genuitque reges, prophetas et sacerdotes veros. Benedicamini hodie a sacerdotibus in medio Ecclesiae, sicut Abel qui benedictus est a Domino per sacrificium suum; parcat peccatis vestris, ut ille per sacrificium suum expiatus est; suscipiatque oblationes vestras, sicut illius oblationem suscepit. Benedicat vobis Rex Christus, sicut Seth et Enoch piis benedixit, detque vobis gaudium ex filiis vestris, sicut illis dedit ex filiis suis. Faciat Deus ut requiescat super vos dextra illa quae requievit super Noe pium in arca, et a diluvio liberavit eum: et sicut egressus est ex arca absque dolore et macula, ita exeatis ex hoc mundo absque peccatis et maculis; faciat Deus, ut gaudeatis de filiis et filiabus vestris, sicut ga-

visus est Noe justus tribus quos genuit filiis, et sicut benedictus est Abraham et Isaac pius et Jacob, ita etiam benedicamini per coronas capitibus vestris impositas. Benedicat vos Rex Christus, sicut Joseph in terra Aegypti, et conservet coronas vestras sicut coronam Davidis regis, detque vobis Deus fructus benedictos et acceptos divinae ejus majestati; laetificet vos in nuptialibus conviviis vestris, et conservet coronas vestras. Veniat hodie ex sublimi dextera illa divina, quae divisit mare coram Moyse, et traduxit per medium ejus filios Israel, cumque pulsasset Maria tympanum, clamorem dederunt omnes Israelitae, et submersus est quasi lapis Pharao ille qui persequebatur Israelitas: dextera illa quae liberavit Mosem et Aaron a Pharaone, ipsa nunc veniat et custodiat coronas vestras. Per dexteram tuam Domine benedicantur sponsus, sponsa et paranymphi, per dexteram tuam custodiantur et consistant. Extende Domine dexteram tuam benedicque sponso et sponsae, qui ad ecclesiam sanctam convenerunt, ut benedicerentur a sacerdotibus, quique inclinaverunt capita sua et adoraverunt te: esto illis Domine conservator a malo et a potestatibus ejus, a laqueis quoque et malis artibus ejus: protege eos ab ira doloribusque et angustiis, per orationes Mariae Matris tuae et Joannis praedicatoris tui, per orationes quoque martyrum benedictorum qui pugnaverunt propter te; praesta eis Salvator noster, ut sint adorantes et glorificantes Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum Deum verum; qui vos custodiat dextera sua et brachio suae potentiae, et ab Ecclesia, quae coronavit vos, et ab sacerdotibus istis qui oraverunt super vos; et a tympanis, cytharis, suavibusque concentibus tibiarum et canticorum; a populis et gentibus, a parvulis et infantibus, a virginibus utriusque sexus, ab invitatis et qui eos invitaverunt, a sponso et sponsa, a paranymphis, atque ab omni hac congregatione nostra referatur hymnus laudis nomini tuo et gratiarum actio absconditae majestati tuae, Pater, Fili et Spiritus Sancte, et tibi sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Imponit manum capiti sponsi et dicit. Benedicat tibi Dominus sicut Davidi, et sicut Isaiae et Samueli, sicut Hieremiae et Ezechieli, sicut Ananiae et Azariae, sicut Misaeli et Danieli, sicut Eliae et Elisaeo, sicut Abdiae et Sophoniae, sicut Aggaeo et Malachiae. Benedicat tibi Dominus sicut Hoseae et Jonae et Zachariae et sicut Habaccuco et Joeli, et iterum sicut Jobo justo, omnique illorum coetui: cum illis laetetur cor tuum ex filiis et filiabus qui nascentur tibi, et honorem ex illis nanciscaris omnibus diebus vitae tuae; sit etiam conjux tua coram te tanquam lucerna splendidissima, et honorem ex illa videas per filiorum et filiarum ex illa prognatorum foecunditatem. Sis caput moderator, et rector uxoris tuae; sit illa in domo tua tanquam Sara, veniantque per eam benedictiones, et benedicatur habitatio tua in medio populi terrae tuae; apprehendasque justitiam et veniant per eam bona et abundantia rerum omnium cum excellentia et dignitate; sis dives in eleemosynis, primitiis et oblationibus, voveasque et vota perficias omnibus diebus vitae tuae. Sponsum, sponsam, paranymphos et omnem hanc congregationem nostram custodi Domine per crucem tuam a maligno et a potestatibus ejus.

Imponit manum capiti sponsae et dicit. Deus qui benedixit Sarae et Rebeccae et Racheli, et unicuique illarum consolationem ex dilecto suo sponso habere dedit, ipse per misericordiam suam demittat super te dexteram suam plenam misericordia, detque tibi filios benedictos et

filias justitiae; simultates et jurgia subjiciet pedibus suis. Praestet Dominus benedictiones in illam domum quam ingressura es, et veniant per te benedictiones sicut per Saram matrem gentium, videasque filios qui honori et laetitiae tibi sint omnibus diebus vitae tuae. Sit tibi vir tuus caput, et tu sis coram eo tanquam ancilla, et tanquam sol et luna puri et mundi sitis ab omni iniquitate, adorantes et laudantes interea Patrem, Filium et Spiritum Sanctum; ipse custodiat vos per crucem suam, et coronet vos dextera sua: atque ab Ecclesia quae coronavit vos, et a sacerdotibus iis qui oraverunt, et a suavissimis concentibus, a sponso etiam et sponsa, a paranymphis utriusque sexus, a juvenibus, et ab omni hac congregatione nostra referetur hymnus laudis nomini tuo, et gratiarum actio absconditae majestati tuae Pater, Fili etc.

Dicitque eodem modo. Deus qui desponsavit Ecclesiam sanctam ad aquas Jordanis fluvii, et distribuit illi in coenaculo Sion corpus et sanguinem suum ad veniam delictorum et ad remissionem peccatorum, ipse benedicat sponso sicut Abrahae, et sponsae sicut Sarae, et paranymphis tanquam Mariae et Marthae sororibus Lazari, et super nos omnes exoriatur misericordia Trinitatis sanctae, Patris et Filii etc.

Dominus noster Jesus Christus Filius Dei excelsi, ipse custodiat vos et demittat super vos dexteram suam plenam misericordia atque omni auxiliorum genere. Dixit Moses, quod in principio creavit Deus coelum et terram, terra autem nihil erat, neque corona cingebatur, sed tenebrae eam occupabant, et aquae erant super faciem abyssi, et Spiritus Dei incubabat super aquas: et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram et similitudinem nostram, domineturque cunctis piscibus maris, et volucribus coeli omnique reptili, quod movetur super terram universam. Fecitque Deus hominem ad imaginem suam, masculum et feminam fecit eos, benedixitque illis et dixit, crescite et multiplicamini, et replete terram. Dixit etiam, quod Deus conjunxit, homo non separet. Benedicat huic conjugum pari qui consistunt coram altari hoc sancto, sicut benedixit Adamo et Evae: benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Noe et filiis ejus, uxori ejus et uxoribus filiorum ejus per mutuam concordiam. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Abrahamo et Sarae uxori ejus. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Judae et Thamar sponsae ejus. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Jacobo et Racheli conjugi ejus. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Josepho et Aseneth conjugi ejus. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit tribui Judae, ex qua extitit Christus secundum carnem. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Mosem in monte Sinai. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Eliam in monte Carmelo. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Susannam a manibus inimicorum ejus. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit tres pueros in medio fornacis. Benedicat vobis Dominus Deus, sicut benedixit Joanni Baptistae. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Petrum et Paulum in urbe Roma. Costodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Thomam in India. Custodiat vos Dominus Deus, sicut custodivit Apostolos sanctos per Spiritum Sanctum. Oremus pro filiis istis Dei, quos beneplacito voluntatis suae conjunxit et coronavit: ipse faciat habitare pacem et tranquillitatem suam inter eos; extendat dexteram suam, benedicat illis et laetificet illos per filios et possessiones, et tandem per omnia

quaecumque attingent manus eorum: per illam benedictionem quam consecuti sunt omnes patres pii et justi, ipse benedicat sponso huic et sponsae huic, et nos omnes custodiat per misericordiam suam nunc etc. Deus qui per clementiam suam benedixit Abrahamo patri populorum, et dedit illi haeredem bonum Isaacum fructum benedictum, ipse benedicat sponso, sponsae et paranymphis, et exornet sponsos istos castitate et sanctitate. Dextera tua Christe Rex quae benedixit piis et justis, ipsa benedicat sponso et sponsae et sacerdotibus qui oraverunt, et congregationi huic servorum tuorum. Conserva eos Domine per crucem tuam a maligno et a potestatibus ejus, Pater, Filius etc.

Super paranymphos. Et paranymphis istis qui susceperunt coronas, ob ejusmodi officium a se praestitum praesta Domine, ut mereantur a te accipere mercedem bonam plenamque retributionem: et quando nos omnes vocabimur ad judicium illud terribile et summae aequitatis, egrediantur in occursum tuum cum gaudio accensis lampadibus per opera bona, Domine et Deus noster, tibique gloria in saecula saeculorum. Amen.

Imponit manum super caput sponsi et dicit. Deus cujus habitatio in coelo est, et cujus potestas est in universa terra; qui Cherubim ad solium suum fecit, Seraphim quoque ad suum ministerium, ipse benedicat et multiplicet gloriam tuam in hoc saeculo. Domus tua secura efficiatur coram te, veluti habitatio tabernaculi Davidis. Sit uxor tua erga te tanquam columna in medio domus tuae, et gaudeas bonis per omnes dies vitae tuae et delecteris ex proventu possessionum tuarum; stent filii tui coram te tanquam cedri Libani, famaque bona tanquam odore suavissimo commendentur. Det tibi Deus divitiarum abundantiam in pecoribus et possessionibus, omnique quodcumque produxit terra tua; requiescat apud te Spiritus, qui ad te accessit, et pax confirmet vestigia tua. Sint tibi filii benedictionum, et ambules in via . . . omnibus diebus tuis nunc etc.

Accipit coronam, imponit manum super caput sponsae et dicit. Deus qui justos per mores eorum praeclaros et perfectos laetitia affecit, quam ex fructibus eorum percipiunt, quique ornavit creaturas omnibus quaecumque praestantia sunt, ipse (exornet te) operibus bonis; inseratque in te veritatem suam, atque faciat te filiis facundam multiplicetque natos tuos, ita ut sis tanquam olivae benedicta plantatio, detque vobis benedictiones sicut Isaaco fructui benedicto. Benedicat vobis Dominus tanquam Jacobo, habeatisque praeclarum conjugium filiisque vestris bona et gaudia comparetis.

Accipit coronam ejus et dicit ad patrinos seu paranymphos. Et vobis etiam, paranymphi, Deus benedicat, conservet vos, et liberet vos a maligno et a potestatibus ejus, sit vobis Dominus tanquam murus excelsus et refugium quocumque tempore nunc etc.

Accipit coronam paranymphorum et dicit. Deus, qui benedixit Judae, ita ut ex ejus progenie oriretur Christus qui mundum salvavit per crucifixionem suam, ipse benedicat sponso isti, sponsae et paranymphis istis, et custodiat congregationem hanc per victricem crucem suam. Principium et finis eorum sint in justitia, gignantque filios et filias qui Deo accepti sint in hoc saeculo, et in altero, quod non transit, perveniant ad portum vitae etc.

(Videntur pauca quaedam deesse.)

Ritus matrimonii apud Nestorianos.

1. Ordo desponsationis ex Ebedjesu Sobensi (Tract. 2. c. 2. 3.)

Sicuti sanctae Ecclesiae sponsae regis coelestis desponsatio facta fuit in Jordane pronubo Joanne sacerdote et sacerdotum filio per illapsum Spiritus et vocem Patris de coelo factam et Filium, cui testimonium tale redditur, hic est Filius meus dilectus: simili etiam ratione desponsatio filiorum Ecclesiae sponsae gloriosae in medio templi sancti et coram sanctuario, intervenientibus sacerdotibus, ministris et fidelibus, et quidem ritu ac orationum ordine praescriptis cum benedictione sponsalium et cruce, annulo atque hanana (sic vocant aquam benedictam). Sacerdotes itaque annulum sponsi ad sponsam praemittunt matutino tempore per quatuor mulieres castas, aut filias foederis (virgines sacras), quae sint bonae famae, et quibus nota sit puella, ut apprehendant manum ejus et in eam inserant annulum, dicentes: hic est annulus *talis* filii *talis*, cui te despondit pater tuus, *aut* frater tuus, *aut* avus tuus, *aut* mater tua, *aut* avunculus tuus, *aut talis* sponsor tuus. Si itaque abhinc voluntas tua acquiescit ei, tace et sile; quodsi vero non acquiescit, projice annulum. Siquidem autem abjecerit annulum, cesset negotium; si vero recipiat illum et taceat, perficiatur desponsatio per orationem sacerdotalem, et benedictionem calicis, et hananae, et annuli, et crucis; et bibant ex eo (calice) sponsus et sponsa jejuni*), et cruce consignentur patrinus et matrina. Presbyteri vero et ministri, quorum ministerio desponsatio consummatur, vocent, ut justum est, seu ad majorem cautelam, plures fideles, et ad minimum quinque fideles, praeter affines sponsorum et desponsantium. Ubi autem mutuum sibi invicem consensum dederint adolescens et adolescentula, scribatur consensus amborum in duabus tabulis; una quidem tabula in testimonium sit sponso, ceu ore ac voce ipsius ita: voluntate mea desponsavi *talem* filiam *talis;* et dotem *sic* et *sic* constitui ei. In alia vero nomine sponsae sic scribatur: voluntate mea desponsavi me ipsam *tali* filio *talis* per sponsores meos *talem* et *talem;* zebda (dos) data est mihi e domo patris mei *sic* et *sic*. Et ambae tabulae confirmentur testimonio sacerdotum et invitatorum, et unicuique ex eis datur scriptura sua . . . . . . Ille qui existat in regione, in qua sacerdotes non reperiantur, ex fidelibus convocet quatuor aut quinque qui testimonium perhibeant et accipiant crucem, et annulum ac hananam, et alta voce recitent orationem: Pater noster, qui es in coelis, et: Sanctus Deus, et hoc pacto perficiatur desponsatio, donec ad sacerdotes accedant (veniant) aut sacerdos ad eos veniat, et suppleat id, quod defuit desponsationi quam inierunt. At si non pervenerit ad eos sacerdos ante tempus thalami, simili etiam modo perficiant thalamum.

---

*) Cf. Barhebraeum c. 8. sect. 2. p. 63.: In Oriente autem etiam super calicem orat sacerdos et sponso sponsaeque jejunis potandum porrigit, et ita sibi invicem sponsus ac sponsa."

2. Ordo matrimonii apud Nestorianos ex codicibus Vaticanis.

(Ordinem coronationis Nestorianum ait Renaudotius Perpétuité l. 6. c. 6. col. 1004. tribui Mar Benham, de quo plura detegere datum non fuit, nisi celebrem apud Syros martyrem intelligas. Nos ritus matrimonii hic edimus ex codice Vaticano Syriaco 64, scripto ab Ebedjesu, filio Abdu Bar Simeon, diacono, a. C. 1609. sub Elia patriarcha Chaldaeorum, qui postquam 1607. legationem Romam misisset, 1616. errores abjuravit Nestorianismi, qui in hoc codice adhuc apparent manifeste. De quo codice vide Bibl. Or. T. II. p. 486: continet autem ordinem observatum in monasterio Izlensi SS. Abrahae et Gabrielis, cujus coenobii ritus a Nestorianis omnibus observatur, teste Assemano Bibl. Or. T. III. P. I. p. 284. Ex hoc codice, collato etiam pluribus in locis recentiore Cod. Syr. Vat. 63, transcripsit et latine vertit R. P. Pius Zingerle O. S. B. ex Tyrolensi Abbatia Marienberg, professor linguae arabicae in Universitate Romana Sapientiae et bibliothecae Vaticanae scriptor. Eundem ordinem anglice tradidit G. Percy Badger in suo opere: The Nestorians and their rituals London 1852 T. II., chapt. 43. p. 244. sqq. Quaedam autem communia, quae utpote nota pro more in codice primis tantum verbis indicantur, supplevit; tonorum autem indicationes et similia omisit caeteroquin vix a nostro ordine discedens. Cujus collationem subjungimus.)

Ope divina et auxilio Dominico incipit servus peccator scribere ordinem in perfectione benedictionis generis humani, qui currit in populo christiano secundum ordinem rectum et pulchrum duorum Sanctorum Domini, Mar Abrahami, sancti sanctorum, et Mar Gabrielis, electi electorum, quorum coenobium sanctum aedificatum est omnibus ex civitate Mosulensi. Oratio eorum singulis horis adsit comes omnibus fidelibus vocatis et lectori et possessori, et roboret scriptorem miserum *). Amen.

Ordo in perfectione benedictionis generis humani.

Primum inquire in annos sponsi et sponsae. Quodsi ad mensuram duodecim annorum non pervenerint, secundum canonem synodicum, desponsare eos non licet, et quisquis contra hunc canonem aliquid, quod a patribus praescriptum non est, perpetrare ausus fuerit, ab Ecclesia et sacramentis segregetur. Amen.

*Hoc etiam scito: cave a tribus Dominicis, ne iis desponsationem aut benedictiones facias, a Dominica In sanguine infantium, et a Dominica Toto vitae meae tempore, et a Dominica Secundum malitiam duritiae ejus**). Id quoque scito, a Nativitate usque ad Epiphaniam non esse*

---

*) Hoc scriptoris prooemium confectum est versibus una eademque syllaba desinentibus sicuti v. g. etiam Barhebraei praefatio in Chronicon Syriacum. Z.

**) Designantur Dominicae verbis initialibus antiphonarum diebus hisce dicendarum, ut apud Latinos verbis initialibus introitus Missae. Z.

benedictionem, neque ab initio Jejunii usque ad ejus dimidium, nec a Resurrectione usque ad Ascensionem. Quicunque autem ab his, nisi vi despotica coactus, discesserit, exsecrandus sit verbo Domini nostri. Amen[1].

Tunc in domo patris filiae congregantur, et si pater ipsi non sit, sit frater ejus, aut patruus aut quemcunque voluerit, ac panem in medium coetus afferunt, et sacerdos constitutionem dotis sponsae coram toto populi coetu dicit[2], *atque pater sponsae aut frater ejus aut aliquis ex ejus cognatis accedit et*[3] *per mediationem sacerdotum et diaconorum et verorum fidelium dotem constituit. Tum sacerdos coram toto coetu alta voce, ut testes de ipsis sint, monet, et apprehensa manu dextera epitropi*) (procuratoris) sponsi dicit ei:*

Advenistine, o frater noster honorabilis, cum voluntate pura et libera et corde, in quo nulla ambiguitas, ut tibi hanc N. filiam viri fidelis N. despondeas, ut ei uxor et adjutrix sit secundum christianum ordinem (ritum) et ecclesiasticam legem[4], et in te suscepisti, ut dotem ejus CD (denarios)[5] Susas**) et unum denarium***) pro sancta Ecclesia appendas?

Et respondet dicens: Ita, per Deum et me[6].

Atque testantur de eo. Deinde faciem suam ad epitropum sponsae vertit dexteraque ejus apprehensa ad eum dicit:

Dasne filiam tuam N. filiam fidelis viri N. huic N. filio fidelis viri N., ut ei uxor sit atque adjutrix secundum morem ecclesiasticum et ritum Christianorum[7], dataque est tibi dos[8] ejus, quae ei constituta est? Remanetque etiam in hoc negotio neque reprehensio ulla aut dubitatio[9]? Num sana quoque puella haec est, et mente et sensibus membrisque suis, integra corpore ab omnibus occultis et apertis vitiis? Venitque etiam voluntate sua ad negotium hoc benedictum, non vi coacta, sed libera voluntate? Et nonne post pactum hoc remanet[10] causa solutionis aut effugium aut repudium aut liberatio[11]?****)

Et cum dicunt[12]*:* Sic est, *amborum manus in crucis formam jungat dicens:*

---

[1] B desunt antecedentia omnia et titulus, cujus loco hunc posuit: Desponsatio. Incipit autem his verbis: In domo patris etc. — [2] B inquirit. — [3] B deest accedit et. — [4] B legem Christi et ordinationem Ecclesiae. — [5] Haec vox in codice est linea transfixa. — [6] B deest per Deum et me. — [7] B ordinationem Ecclesiae et legem Christi. — [8] B et acceptas dotem (accept.) — [9] B obstaculum vel impedimentum. — [10] B et non existit contractus alius praevius vel alia. — [11] B deest aut liberatio. — [12] B dicit.

*) Habetur haec vox graeca ἐπιτρόπος syriace scripta.

**) Nummus argenteus, aequalis drachmae et fere aequalis denario Romano, de quo vide Castellium Ed. Michaelis.

***) Antonius de Gouvea (ap. Raulin p. 394.) ait, Malabarenses nuptias contrahentes decimam partem dotis Ecclesiae solvisse.

****) Verti etiam potest: Neque enim remanet etc. per modum expositionis, non interrogationis, quum particula Vau etiam pro „enim“ ponatur apud Syros. Id pro interrogatione habere suadet, quod tunc perfectus parallelismus habeatur; ita nempe ut post alteram quaestionem affirmativam negativa sequatur sicut post primam. Z.

Testis est de vobis Deus vivus et angeli ejus sancti et prophetae ejus Apostolique beati et coetus hic benedictus[1] sacerdotum illustrium[2] et diaconorum purorum[3] et antistitum[4] excelsorum fideliumque[5] orthodoxorum electorum, et suscepit sibi sponsus, ut eam sicut se ipsum habeat in omnibus debitis et bonis, quae ad alimentum corporis et animi in juventute et senectute, sanitate et morbo, gaudio et tristitia sunt utilia, ut evangelica impleatur vox dicens: Relinquet enim vir patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in una carne. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*), et ut (sponsus) veram faciat vocem Paulinam, quae dicit: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam suam et se ipsum tradidit pro ea**). Accipisne etiam tu his praeceptis foedus, quod dicunt[6]?

Et cum dicunt: utique, *sacerdos eis benedicit et dicit:* Dominus noster Jesus Christus vobiscum perficiat et ad exitum perducat opus vestrum et puro amore, in quo nulla est dissensio, vos laetificet et fructus propagationis filiorum filiarumque feratis, vosque a malitia hominum pravorum, et a daemonibus contentiosis liberet[7]. Amen***)[8].

---

1 B sanctificatus. — 2 B vertit: purorum; et ita porro. — 3 B sacratorum. — 4 B seniorum. — 5 B fratrum. — 6 B Consentitisne igitur promissis, quae facta sunt? — 7 B ut salvetis vos. — 8 B add. Explicit officium junctionis manuum et desponsationis.

*) Matth. 19, 5. 6.

**) Eph. 5, 25.

***) De hoc desponsationis actu et moribus hac in re a Nestorianis asservatis haec tradit, qui partes illas peragravit, Grant Anglus (Part. 2, ch. 18. p. 212. sqq.) Juvenis nullus de matrimonio per se ipsum contrahendo cogitat. Quodsi pater mortuus sit, frater natu major ejus vices gerit. Ubi vero sponsa, quae intenditur, remoto in loco degit, negotium committitur fideli cuidam famulo vel procuratori. Haec est desponsatio, in qua matrimonium contrahitur simul et dos statuitur. Matrimonium autem perficitur nonnisi post intervallum decem vel duodecim mensium, imo saepe nonnisi post aliquot annos. Nihilo minus actus desponsationis non est merus contractus vel formaliter, sed habetur pro solemni ritu, et quamvis non fuerit sponsum inter et sponsam commercium, nihilominus habentur et dicuntur maritus et uxor. Maritus aliqua ex causa uxorem dimittere nequit, quin ipsi libellum repudii praebeat; et infidelitas ex parte sponsae eodem rigore punitur quam in actuali matrimonio. Quae mutua obligatio ex sponsalitio sequitur, quod fere iisdem solemnitatibus religiosis celebratur ac matrimonium. Festum instituitur in domo patris puellae et cum omnibus debitis formalitatibus, benedicitur annulus ab episcopo vel presbytero, et offertur a juvene sponsae per discretam quandam matronam, quae utriusque partis confidentia fruitur. Si annulus a puella acceptatur, ipsum digito inserit, et deinde sponsa evadit. Eodem vero tempore sponsus pecuniae summam et quantitatem granorum (frumenti, oryzae vel hordei) solvit, quod haberi potest pro pretio emtionis. Haec prima solutio alia est a donatione quae fit occasione matrimonii. Durante hoc desponsationis tempore mulier a sponso protectionem et alia commoda suscipit.

Ordo benedictionis*) [1].

*Primum calicem et annulum et crucem et Hanana**) afferunt, atque incipiunt*[2] Pater noster, qui es in coelis, *precanturque*[3]*:*

Pacem tuam inter nos[4] et salutem tuam in nostro coetu fac habitare, auxiliumque tuum nos comitetur, et dextera tua nos obtegat atque crux tua excelsus murus perfugiumque firmum nobis sit, et sub ejus alis a Maligno ejusque exercitibus[5] omnibus temporibus momentisque[6] custodiamur, Domine omnium[7].

Deinde hunc inchoant psalmum: Eructavit cor meum***) *tono:* Loquere, loquere[8].

*Et si sacerdos est, adde****)*[9]. Qui de domo sponsi sunt, confidunt[10] in Domino; hic adjutor eorum est[11]. Qui de domo sponsae sunt, confidunt in Domino; hic adjutor eorum est. Qui de domo paranymphi sunt, confidunt in Domino, ipse adjutor eorum est[12]. Dominus memor[13] nostri benedicat iis, qui de domo sponsi sunt, benedicat iis, qui de domo sponsae sunt, benedicat iis, qui de domo paranymphi sunt, parvis et magnis quoque *usque ad* coeli coelorum[14]. *Adjunge*[15]. Nos autem benedicamus ex hoc nunc et usque[16].

Antiphona[17]*:* Loquere, loquere, Ecclesia Salvatoris nostri, sponsa regis. Pulchritudo enim tua decora atque speciosa. Deus aeternus, qui a saeculo[18], ipse, qui in charitate sua te sibi ut sponsam desponsavit.

Oratio. Conde, Domine, verbo tuo, et exaedifica spe tua, et funda misericordia tua negotium hoc, quod servi tui agere inceperunt, et offe-

---

1 B Matrimonium. — 2 B sacerdos incipit; add. Gloria in excelsis Deo, in terra pax, bona voluntas erga homines. — 3 B Oratio. — 4 B add. Mitte deorsum, Domine. — 5 B add. nunc et. — 6 B deest momentisque. — 7 B add. Pater, Fili et Spiritus Sancte Amen. — 8 Cod. 63. tono suo. — 9 B deest tono . . . adde. — 10 B confidant; et ita porro. — 11 B add. et scutum; et ita porro. — 12 B add. Qui de domo paranymphae sunt, confidant in Domino: ipse est auxilium tuum et scutum. — 13 B add. fuit. — 14 B loco istorum: usque ad coeli coelorum; Faciat vos crescere Dominus magis et magis, vos et filios vestros. Benedicti vos a Domino, qui fecit coelum et terram. Nam coelum et coeli Domino. — 15 B deest: Adjunge. — 16 B add. in saeculum. — 17 B mutatio (Syr. ad verbum: responsio.) — 18 B deest: qui a saeculo.

*) Ex relatione missionarii cujusdam (Voyager au Levant. l. 1. ch. 5.) in libro Ceremonies religieuses de tous les peuples (T. III. p. 170.) apud Nestorianos sponsus equo vectus ad sponsam deducitur, duobus stipatus enses evaginatos deferentibus, quorum alter praecedit, alter sequitur. Propinquae et amicae sponsae eum cum facibus suscipiunt, cum sono instrumentorum, cantibus et clamoribus.

**) Est aqua benedicta, mixta pulvere desumto ex loco, in quo sepultus est Sanctus aliquis, praesertim a sepulchro S. Thomae, cujus benedictionem vide infra inter ritus extremae unctionis. Nominis autem significatio est gratia, dicitur etiam gratia Sancti.

***) Ps. 44.

****) Ps. 114, 9. sqq.

rent tibi gloriam et honorem, laudemque et adorationem omni tempore, Domine.

Et dicunt canticum hoc cum initio: Ille qui in essentia sua[1].

Exulta et canta Deo et glorifica[2]. Laetare et gaude, Ecclesia fidelis, filia regis saeculorum[3], de sponso, qui te desponsavit et in thalamum suum te introduxit, et pro dote tibi corpus sanguinemque suum pretiosum dedit et per sacrificium sui ipsius te expiavit atque sanctificavit sponsamque sibi ornatam te reddidit miscuitque *(Hic miscent aquam vino)* *) in te potum spiritualem omnibus liberis tuis, qui ecce in sanctuario laetantes oblectantur, et cum iis nos quoque clamemus dicamusque: Gloria tibi[4]. *(Repete)*.

Adjunge[5]. *In clemente et pleno (misericordiae) Dominus benedicet*[6]. Benedic**), Domine noster, in gratia tua sponso sponsaeque cruce tua, ut paranympho quoque et paranymphae. Exorna eos continentia[7].

Sanctum est et terribile[8]. Sancte, qui omnes sanctificat, qui a sanctis sanctificatur, sanctifica calicem adoratorum tuorum, in eoque gratiam tuam fac inhabitare.

Omni tempore. Domine noster, consensum dona, atque amore concordiaque sponsum simul et sponsam omnesque in coetu conjunge.

Benedixit eis[9]. Christe, largiter benedictiones impertire, et benedic calici et annulo, ut sponsus cum sponsa bibat, et[10] amore concordiaque inebrientur.

Domine, in longitudinem. Sponsum custodi[11] in gratia tua, sponsamque serva cruce tua eosque gratia tua juva, ut dominationi tuae gloriam offerant.

Orationis[12]. *Illumina faciem tuam****)[13]. Clemens et plene misericordia. Ne vultum tuum a nobis avertas et mitte nobis ex thesauro tuo gratiam ac misericordiam et salutem.

Adjutorium nostrum in nomine ejus[14]****). Auxilium misericordiae tuae, Domine noster, infirmitatem nostram comitetur motusque cogitationum nostrarum illuminet, ut tibi pro gratia tua confiteamur.

In nomine sancto ejus[15]. Christe, in cujus nomine congregati sumus et in cujus gratia confidimus, coetum nostrum cruce tua custodi, ut in nobis voluntas tua perficiatur.

---

[1] B deest cum . . . sua. — [2] B Accedite pleni gaudio ad Dominum, cantate, exultate et gratias agite. — [3] B universi, et ita porro. — [4] B add. Domine. — [5] B Cod. 63. deest adjunge. — [6] B add. populo suo in pace. — [7] B loco istorum: ut paranympho etc. habet: et adorna paranymphum et paranympham continentia. — [8] B add. nomen ejus. — [9] B multiplicati sunt nimis. — [10] B deest bibat, et. — [11] B add. Domine. — [12] B deest: Orationis. — [13] B add. et salvi erimus. — [14] B Domini. — [15] B add. speravimus.

*) Haec rubrica ad marginem scripta est ab inferiori parte paginae usque ad vocem: miscuit.

**) Hic incipiunt versus heptasyllabi ὁμοιοτέλευτοι, quorum quaterni stropham constituunt.

***) Ps. 118, 135.

****) Ps. 123, 8.

Aperi mihi[1]. Ad cujus portam eamus ad pulsandum, nisi ad tuam portam o clementissime? Et a quonam auxilium accipiamus nisi a te, o benevolentissime?

Converte nos Deus)*[2]. Ut columba ad Noe ramum olivae ferens rediit, sic precatio nostra gratiam ferens ac misericordiam redeat.

Qui habitat in alto[3]. Sedens ad dexteram Patris, dextera tua coetui nostro benedic, brachioque fortitudinis tuae sanguine tuo emtos custodi.

Qui loquitur pacem[4]. Redemtoris nostri pax, quae in coenaculo cum ejus discipulis fuit, ipsa habitet in hoc calice, eaque ex eo bibentes benedictionem accipiant.

Exaudi nos Deus[5]. Deus, qui Jonam exaudivit, cum in profundis maris precaretur, exaudi adoratores[6] tuos, qui te temporibus hisce afflictionis invocant.

*Sicut vomer***)[7]. Oratio, quae ex mari et ex fovea et ex fornace ascendit, ea, o Domine, etiam orationi et precationi nostrae portam aperiat.

Qui stant[8]. In atriis tuis adoratores tui stant et ad crucem[9] confugiunt. Instrue eos benedictionibus ex domo tua auxiliis plena.

Audi Deus[10]. Auscultans orationes servorum suorum, exaudiens preces adoratorum suorum, ausculta orationem nostram vocemque petitionis nostrae, et in misericordia tua preces nostras exaudi.

*A necessitatibus eorum****)[11]. Te afflicti invocant, et ad te angustiati confugiunt. Esto custos vitae eorum eosque a malo libera.

Benedixit eis[12]. Abraham benedixit Isaaco, et Isaac benedixit Jacobo. Benedictiones horum trium super totum nostrum sint coetum[13].

Dominus habitare faciet[14]. Benedic, Domine, huic calici, in eoque gratiam tuam fac habitare, et quietem nobis pacemque da, ut Trinitati tuae confiteamur.

Benedicam Domino[15]. Benedictus sit vesper[16] tuus, qui nos in domum tuam auxiliis plenam congregat, et misericordia tua, quae nos die nocteque custodit.

Die ac nocte. Oratio Virginis Mariae, Matris Jesu, Redemtoris nostri****) perpetuo nobis murus sit die ac nocte.

---

1 B add. portas justitiae. — 2 B add. Salutaris noster. — 3 Cod. 63. Habitat Dominus. B Dominus rex est in aeternum. — 4 B Loquatur pacem in servos suos et in plebem suam. — 5 B add. Salutaris noster. — 6 B populum. — 7 B add. qui terram fidit. — 8 B add. in domo Domini. — 9 Cod. 63. orationem B add. tuam. — 10 B Audi, Domine, et miserere nostri. — 11 B add. liberavit eos. — 12 B add. et multiplicati sunt valde. — 13 B populum, deest nostrum. — 14 B Dominus habitabit hic in finem. — 15 B add. in omni tempore. — 16 B dispositio.

*) Ps. 85, 4 Peschito.
**) Ps. 140, 7.
***) Ps. 107, 6 Peschito.
****) Quum ista dicenda forma in hoc officio saepius recurrat, eam ex notissimo Nestorianorum de Beata Dei Genitrice errore fluxisse admittere licet.

Quaerite Dominum[1]. Prophetae rogate de tranquillitate, et Apostoli de pace[2]. Martyrum, sacerdotum et doctorum oratio eorum[3] murus sit nobis.

Pete a[4]. Pete et roga, pater noster gloriose, Christum cujus amorem dilexisti, ut coetus, qui memoriam tuam celebravit[5], precibus tuis adjuvetur.

Glorifica[6]. Exulta et gaude, gratia plena Virgo sancta, casta, Maria Mater Christi. Nam nuntius coelestis tibi Archangelus fuit, o Mater, quae virgineo modo Admirabilem, Consiliarium, Fortem[7], et Salvatorem saeculorum peperisti. Ideoque nos etiam tuam virginitatem beatam[8] praedicamus dicentes: Beata es, quae digna fuisti, ut Domino nostro et Mater esses et ancilla.

Saeculum. Qui Abrahamo justo benedixit[9].

Dicat[10]. Christe, spes suorum fidelium, et glorificator[11] domesticorum suorum, voluntatemque se timentium faciens, quaerentesque se manu tenens, qui Duodecim suis atque per eos omnibus fidelibus[12] promisit: Quodcunque*) enim petieritis et credetis, statim accipietis: ecce nunc hi servi tui in nomine tuo congregati sunt atque ope servorum tuorum ordinem desponsationis perficiunt. Annulus, quem sponsus dat, pignus est signumque amoris et signum vivum crucis factum est, quasi testis in medio, ne unquam in foedere, quod invicem statuerint, mutatio fiat, atque ad portam dominationis[13] tuae pulsant, misericordiamque et clementiam expetunt. Dexteram dominationis tuae omnibus benedictionibus plenam extende et super caput adoratorum tuorum effunde, iisque occulte benedic fructusque benedictionum da et apud eos bonum multiplica. Ut Abraham primus et Sara verecunda ejus uxor floreant fide moribusque honestis; atque ut Isaacus ejusque conjux Rebecca virtutibus excellant[14], et Jacobi instar, patris tribuum, foecundi sint, et abundent[15] generationibus. Et ad instar Zachariae ac Elisabeth moribus rectis divites sint et speculum bonum longinquis atque propinquis. Perfice etiam et obsigna opus, quod secundum tuam incepere voluntatem, fundamen-

---

[1] B add. et ejus fortitudinem. — [2] Cod. 63. add. et. — [3] Cod. 63. vestra. — [4] Cod 63. add. Domino. B add. Domino, et ora coram ipso. — [5] B celebrat. — [6] B Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. — [7] B deest Fortem. — [8] B deest beatam. — [9] B *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, sit ad finem usque mundi (saeculi)*. Qui benedixit Abraham justum et salvavit Isaacum, sit nobiscum et inter nos. El, quem castus Jacob vidit, benedicat dextera sua coetum nostrum. Dominus, qui cum Josepho erat, praeservet gressus nostros. Deus potens, quem Moyses vidit, sit nobiscum omni tempore. Qui redemit Josue, filium Nun, dexteram suam faciat manere super nos. Pastor omnium, qui mundat nos, custodiat nos a Maligno et ab ejus potestate. Dominus, qui Salomonem ditavit, adaugeat fructus terrae nostrae. Altissimus et Excelsus, quem Isaias vidit, faciat salutare suum inter nos habitare. Orationes nostrae acceptae sint, sicut erant orationes Eliae et Elisaei, et petitiones nostrae exaudiantur sicut petitio Danielis justi. Et Jesus, Dominus prophetarum et corona Apostolorum, in cujus nomen credidimus, custodiat nos, et gloriosa Trinitas sit nobiscum ex hoc nunc et usque in saeculum. — [10] B Et dicat omnis populus Amen, Amen. — [11] B liberator. — [12] B nationibus. — [13] B gratiae. — [14] B salventur operatione operum bonorum. — [15] B deest et abundent.

*) Matth. 21, 22.

tumque aedificii eorum super petram fidei pone. Benedic, Domine, et in corpore et in spiritu sponso ejusque conjugi, eosque generationibus dita bonisque fac abundare. Benedic et custodi paranymphos[1], qui Legati tui*) locum implent, illosque gaudii tui fratris eorum et sociorum mysterii**) redde participes***). Benedic annulo, qui signum pacti foederisque format. Benedic doti, quae sinceritatem mentis eorum indicat. Benedic vino in calice, quod significat, nos sanguine tuo emtos esse. Benedic nobis omnibus in coetu[2], ut simul te collaudemus et clamemus gloriamque dicamus tibi et Patri tuo et Spiritui Sancto.

Oratio. Miserere nostri[3].

Canon secundum Adorandus Deus, *ab* Ante dirigit nos, *usque ad* Sed in aeternum custodit[4].

Domine, qui viam servi ad domum[5] Labani Aramaei direxit ad uxorem Isaaco, domino suo, filio Abrahami sumendam, dirige, Domine, negotium servorum tuorum. Precibus Mariae, Matris benedictae, etiam Joannis, qui Dominum suum baptizavit, Apostolorum, qui populum (Hebraicum) et gentes docuerunt, doctorum quoque, qui veritatem praedicaverunt, et martyrum, qui afflictiones ob amorem regis Christi perpessi sunt, adoratores tui serventur.

Alius secundum Beatus ille[6]. Decorus est****) ordo desponsationis, qui in populo christiano viget, et in eo conciliator sacerdos est constitutus, et annulus promissionem confirmat, calixque vini sanguis est et aqua, et crux testis vivus[7], et Hanana benedictionis plenus, quem populi expiationem accepere. Benedictus, qui eum (ordinem desponsationis) in principio dedit et ad nos in consummatione[8] propagavit.

Eodem (tono[9]). Sponse, cujus corona non marcescit et cujus matrimonium nunquam desinit, sponsum in sponsa sua laetifica, et ipsa quoque sponsa in eo gaudeat; et qui paranymphi[10] fuerunt ei, bonorum cum eo fac participes atque coetum nostrum universum laetifica, ut celebret te, qui gloriosus est in essentia sua.

Glorificatio †). Altissime, qui in excelsis sublimibus habitat, et cujus laudabilia in profundis inferioribus sunt manifesta, gratiam tuam in calice adoratorum tuorum habitare fac, atque novum opus, quod in-

---

1 B sponsores. — 2 B deest in coetu. — 3 B Miserere nostri, Domine, in gratia tua et convertere ad nos, tu, qui plenus es miseratione, et ne tollas a nobis intuitum tuum et curam: nam spes nostra est in te et ad te clamamus die ac nocte, Domine omnium, Pater, Fili, et Spiritus Sancte. Amen. — 4 B Ps. 36, 23—28. Apud Dominum gressus hominis dirigentur — in aeternum conservabuntur. — 5 B Labanum; deest domum. — 6 B deest Alius . . . . ille. — 7 B Crux viva testimonium est ad hoc. — 8 B deest in consummatione. — 9 B deest Eodem (tono.) 10 B sponsores.

*) Joannis Baptistae.

**) En nomen sacramenti tributum matrimonio.

***) Id est gaudii tui, quod fratri eorum (sponso) et sacramenti sociis contingit. Z.

****) Est confectum versibus heptasyllabis eodem fine desinentibus. Z.

†) Versus pentesyllabi eodem fine desinentes. Z.

choaverunt, perfice. *(Repete).* Oratio Virginis murus[1]; Sanctus Deus[2]. *Proclamatio.* Non est[3]. *Et orant:* Aperiens portam suam[4]. Benedicti et adorandi[5].

Sacerdos calicem in manum sumit et dicit):*

Ad nomen tuum, Domine saeculorum[6] confugimus, *(Repete)* et in nomine Christi spes proborum et confidentia justorum[7]. Dirigens[8] viam famulorum suorum et faciens voluntatem timentium se, pueritiam educans et senectutem sustentans, benedic Domine, hisce famulis tuis, qui desponsaverunt, et desponsati sunt, atque dilectis nostris, qui in manuum apprehensione conjugii[9] utrique parti medii fuerunt, benedic et custodi et adjuva atque laetifica eos gratia tua in eo, quod famuli tui[10] facere inceperunt, et gloriam honoremque atque laudem ac adorationem tibi offerent nunc etc.

Et crucis signum super se ipsum formans annulumque manu sua sumens dicit:

Sponse vere, Christe, *(Repete)*[11] qui annulo veritatem suam adoratoribus suis ostendit, benedic, Domine, annulo huic, quem gratia tua damus, sponsamque, quae eum accipit, misericordia tua laetifica, atque ut veritas Judae apud Thamar etiam annulo demonstrata est, itemque annulo imperium Aegypti in manus Josephi traditum est, annuloque regis procerumque ejus veritas Danielis apud regem Babylonis confirmata est: sic et annulus hicce, qui justis veritatem illustravit suam, mercatoresque magnos reddidit[12]. Eo[13] enim Joseph super currum evectus, Danielque veritate sua gloriosus factus et ante reges adductus est. Hic est annulus, quo vera[14] Ecclesia sponso desponsata est coelesti corpusque Christi ac sanguinem ejus ad remissionem accepit peccatorum. Hic est annulus, quo Sara Abrahamo fideli capitique fidelium desponsata est; hic est annulus, quo per Eliezerum Damascenum Rebecca Isaaco est desponsata; hic est annulus, quo Rachel Jacobo, cui nomen Israel datum, desponsata est; hic est annulus, quo Thamar a morte liberata est; hic est annulus, qui factus est murus finibus[15] mundi; hic est annulus, quo

---

[1] B Oratio Mariae Virginis, Matris Jesu Salvatoris nostri, sit nobis jugiter murus die ac nocte. — [2] B Sanctus Deus, Sanctus et potens, Sanctus et immortalis, miserere nobis. — [3] B deest proclamatio. Non est. — [4] B Aperiens portam suam pulsantibus et exaudiens petitiones invocantium se, aperi, Domine Deus noster, portam misericordiae tuae precibus nostris, suscipe deprecationes nostras et in misericordia tua concede, quae exquirimus ex divite et superabundante gasophylacio tuo; o bone, qui non retines dona tua a pauperibus et inopibus adoratoribus tuis et a famulis tuis, qui clamant et supplicantur ad te omni tempore et in omni loco, Domine omnium, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, Amen. — [5] B deest Benedicti et adorandi. — [6] B deest saeculorum. — [7] B et ad nomen Christi spem justorum et rectorum. — [8] B haec participia ad praecedentia refert: qui dirigis etc. Sed et in codice nostro non est punctum ante dirigens, ita ut et sic liceat construere. — [9] B deest conjugii. — [10] B deest famuli tui. — [11] B deest Repete. — [12] B quem mercatores magnificaverunt, sinceritas justi apparuit. — [13] B deest Eo et jungit cum praecedentibus. — [14] B sancta. — [15] B signum confirmationis per omnes generationes.

*) Oratio ex ὁμοιοτελεύτοις composita. Z.

regum thesauri obsignantur et aperiuntur; hic est annulus, quo omnes sponsae desponde[n]tur atque cuncta ornantur miranda. Quam mirabilis es, o annule! Per te enim mulieres viris desponsantur sponsique sponsabus desponsantur. Benedictus Christus, qui veritatem suam adoratoribus suis per annulum demonstravit. Eodem modo nunc quoque, Domine, annulo huic orationibus sanctorum atque sacerdotum tuorum benedic, nomenque tuum in famulis tuis glorificetur, et benedicantur omnibus benedictionibus Patris et Filii et Spiritus Sancti nunc.

Et annulo super calicem crucem ut super mysteria[1] *format, eumque caute in calicem mittit, ac deinde crucem manu sumit dicens:*

Adoramus, Domine, sanctam crucem tuam, Redemtor noster, *(Repete)*, qua toti hominum generi salus obtigit, qua daemones terrentur et multae virtutes perficiuntur, et qua sancta Ecclesia redemta est coelestique sponso desponsata. Haec est crux sancta, quae Constantino in coelo apparuit, et qua de persecutoribus suis victoriam reportavit. Haec crux est sancta, cujus typum Moses in cacumine montium formavit, et qua Amalecitas perdidit; haec sancta crux est, quam Melchisedek super manifestationem suam*) formavit[2]; haec crux est sancta, pro qua sancti martyres sanguinem collorum suorum[3] dederant; haec sancta est crux, quam Ananias cum sociis in fornace conspexit, et qua ex incendio servati sunt; haec crux est sancta, qua Daniel a bestiis est servatus; haec sancta crux est, qua sponsorum sponsarumque veritas confirmata est; haec sancta est crux, quam in charitate et concordia adoramus, eaque famulorum tuorum veritas obsignetur et in gaudio exultationeque ac laetitia patefaciant[4] nunc.

Et super calicem ut super mysteria signum crucis facit, atque crucem et Hanana in calicem immittit dicitque:

Segregatus et perfectus consummatusque calix desponsationis fratrum horum[5] nostrorum per mediationem gloriosi sacerdotii et crucis Dominicae et Hananae ex reliquiis Sanctorum in nomine Patris etc.

Caputque detegens dicit hunc canonem[6]:

Gratia Domini nostri Jesu Christi et charitas Dei Patris et communicatio Spiritus Sancti sit super nos omnes nunc.

Deinde super calicem crucem format, ita ut tres fiant cruces una ad Sponse vere, *et altera ad* Adoramus te, Domine, *et tertia ad* Gratia tua[7]. *Tum sponso duas partes ex tribus calicis dat bibendas, ac paranympho signum crucis facit inter oculos. Postea diaconus calicem ad sponsam defert, eique quod in calice reliquum est, bibendum praebet, signum crucis format paranymphae inter oculos.*

---

[1] B deest ut super mysteria. — [2] B cujus figura fuit Melchisedech. — [3] B deest collorum suorum. — [4] B ut gaudeant et laetentur; desunt caetera. — [5] B fratris nostri. — [6] B deest hunc canonem. — [7] B ter; deest ita ut . . . . gratia tua.

*) Panem et vinum, quae ut dona symbolica protulit. Z.

Sequitur ordo (benedictionis) super vestimenta.

Oratio. Tibi adorande [1].

Et psalmum hunc inchoant: Dominus regnavit et decorem, (Psalm. 92), *totum, tono suo.*

Et orant: Oratio nostra, Domine, jucunda sit tibi [2], *atque haec incipiunt cantica:*

Dominus regnavit [3]. *Filii, qui nascuntur* [4]. Induerunt incorruptionem ex aqua et Spiritu renovationem, fideles, et ex eo tempore, quo Redemtor noster in Jordane baptizatus est, natura fontium [5] sanctitate impleta est, ideoque mundus per aquas diluvii jam non vastatur; visus est enim in Jordane, qui transgressionem dissolvit, igiturque peccatores jam non mari demerguntur, sed in lavacro baptizantur et servantur. Induite incorruptionem per aquam et Spiritum, renovationem, fideles, clamantes: Christe animarum nostrarum locupletator, gloria tibi *(Repete* [6]*).*

Qui diligunt Dominum [7]. Apostoli, amici Christi, praecones Jesu, Salvatoris nostri, crucem manibus suis ut aratrum portaverunt, terramque, quae idolorum errore deperdita erat, fide iterum coluerunt et subegerunt [8], in eaque verbum vitae seminaverunt. Nos omnes eos honoremus.

Glorifica [9]. Ecclesia *), sponsa ornata, desponsata Jesu, Redemtori nostro, tenet in te ex omnibus partibus vox liberorum tuorum laude, celebraque regem Christum, qui honorem tuum gratia sua auxit, et te omnibus coelestibus decoribus Spiritu, quem tibi dedit, exornavit. Celebra eum cum eo, qui misit eum [10].

Saeculum [11]. *In fonte vitae* [12]. Per fortitudinem et [13] virtutem dexterae tuae manifestatus es et nos redemisti, Christe, Salvator noster, Ecclesiam tuam gratia tua confirma misericordiaque tua [14] pacifica, omnibusque [15], qui in ea habitant, benedic [16] et custodi. Virtutem tuam magnam, o Salvator noster, da et [17] in omnibus tuis ecclesiis fac habitare. Et sacerdotes, qui in eis, in timore ministrent confitentes tibi, et tu largire nobis, ut sine fine in concordia et fide, omnesque in perfecta charitate supplicemus confitentes tibi et cuncti clamemus: Domine omnium, exaudi nos in clementia tua et miserere nobis.

---

[1] B Tibi, qui coleris et adoraris, qui superexcedentis es pulchritudinis et praestantiae, et superexaltaris super omnia aeternitate tua, magnus rex gloriae, cujus existentia est ab aeterno, offerimus laudem, gratiarum actionem et honorem, omni tempore, Domine omnium, Pater, Fili et Spiritus Sancte, Amen. — [2] B Orationes nostrae sint acceptabiles tibi, Domine, et supplicationes nostrae ascendant coram te, et effunde beneficia tua super necessitates nostras ex thesauro magnae miserationis tuae, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — [3] B add. et decorem induit. — [4] B add. et postea veniunt. — [5] B fontes; deest natura. — [6] B deest Repete. — [7] B add. oderunt malum. — [8] B sarrierunt et araverunt. — [9] B Gloria P. et F. et Sp. S. — [10] B ejus missis. — [11] B sicut erat in principio et nunc et semper ad finem usque mundi. — [12] B deest Fonte vitae. — [13] B deest fortitudinem et. — [14] B deest misericordiaque tua. — [15] B et pacifica omnes. — [16] B add. eos. — [17] B deest da et.

*) Haec strophe versus sunt heptasyllabi. Z.

Dicat[1]: Dexteram misericordiae tuae extende, Domine noster Jesu, super sponsum sponsamque[2] in gratia tua, eosque in clementia tua par redde benedictum, atque domos eorum opibus et facultatibus locupleta. Benedic*), Domine noster, sponso sponsaeque, ut Abrahamo ejusque conjugi Sarae. Benedic, Domine noster, sponso sponsaeque ut Isaaco ejusque uxori Rebeccae. Benedic, Domine noster, sponso sponsaeque, ut Jacobo ejusque conjugi Racheli. Benedic, Domine noster, paranympho quoque ut Joanni, praeconi Spiritus. Benedic, Domine noster, et paranymphae, ut Elisabethae, cognatae Mariae. Benedic, Domine noster, huic calici, ut calici illi in coenaculo. Benedic, Domine noster, et Hananae huic, ut illi Hananae, quem manus tuae formarunt**). Benedic, Domine noster, huic cruci, ut cruci illi Constantini. Benedic, Domine noster, huic annulo, ut annulo regis Salomonis. Benedic, Domine noster, etiam ornamentis, ut ornamentis Sarae et Rebeccae. Benedic, Domine noster, pastori quoque nostro illustri, ut Simeoni capiti discipulorum***). Benedic, Domine noster, coetui quoque sacerdotum, ut coetui Aaronis. Benedic, Domine noster, etiam diaconis ut agmini illi Stephani. Benedic, Domine noster, doctori quoque nostro et curatori nostrae infirmitatis. Benedic, Domine noster, discentibus, eosque in libris Spiritus erudi. Benedic, Domine noster, loco huic, et in eo pacem tuam benedictam[3] fac habitare. Benedic, Domine noster, oppido huic, illudque muro forti circumda. Benedic, Domine noster, senibus, qui in eo sunt, ut servo tuo, quem elegisti, Jobo. Benedic, Domine noster, etiam adolescentibus, eosque juventute exorna. Benedic insuper, Domine noster, pueris, eosque dextera misericordiae tuae custodi. Benedic, Domine noster, toti coetui nostro, ut tuis Duodecim benedixisti. Benedic, Domine noster, domui huic, ut domui Zachaei, in quam ingressus es. Benedic, Domine noster, et cibis, ut pani pauco benedixisti. Benedic, Domine noster, hisce vestibus, ut pallio Domini Eliae. Benedic, Domine noster, huic mensae, ut mensae justi Abrahae. Benedic, Domine noster, etiam hydriae, ut hydriis urbis Canae. Benedic, Domine noster, toti mundo, eique murum firmum circumda. Benedic, Domine noster, omnibus nobis[4] omnino, quia tu es benedictus Filius Benedicti. Et nomini[5] tuo confitebimur et Patri tuo per te et Spiritui Sancto pariter[6] in saecula saeculorum.

Oratio. Te, gubernator sapiens[7].

Canon secundum A longo tempore.

---

[1] B et omnis populus dicat Amen, Amen. — [2] Cod. 63. populum tuum, quae vox in Cod. 64. etiam est, sed linea transfixa ante sponsum sponsamque. — [3] B deest benedictam. — [4] B deest nobis. — [5] B add. sancto. — [6] B deest pariter. — [7] B Te, gubernator sapiens omnium, qui curam geris eorum, qui domus tuae sunt; te immensus thesaurus supereffluens omni auxilio et beneficio, oramus te, Domine, ut convertaris ad nos et miserearis nostri, sicut soles omni tempore, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen.

*) Hic incipiunt versus octosyllabi. Z.
**) Joh. 9, 6.
***) En reliquiae primatus B. Petri a Nestorianis agniti.

Domine, in virtute tua laetetur sponsus, et in salute tua exultet sponsa, *usque ad:* In gratia Altissimi non (commovebitur)*).

Per virtutem gratiae tuae vestes adoratorum tuorum benedicantur, et in eis praesidium gratiae tuae fac habitare, ut sint gaudio.

Eodem (tono). Illa benedictio, quae super vestes tabernaculi primi effusa erat, ipsa super vestes adoratorum tuorum eorumque indumenta descendat.

Alius secundum: Beatus ille.

In nomine**) Trinitatis et in signo crucifixionis negotium hoc ad opus desponsationis perficiatur, ut patres[1], doctores in spiritualibus praeceperunt nobisque hanc benedictionem verbo synodico constituerunt. Eorum oratio una[2] sponso sit simul sponsaeque nobisque omnibus in congregatione, ut laetemur et in gaudio exultemus.

Hymnus. Christe***), Salvator noster, sponse coelestis, in gratia tua vestibus adoratorum benedic tuorum. Extende, Domine, dexteram tuam de excelsis sanctitatis tuae, atque in gratia tua vestibus tuorum benedic adoratorum. (*Repete*)[3].

Proclamatio. Ens aeternum[4].

Oratio. Benedictione tua, Domine noster et Deus noster, benedicantur[5].

Socia ejus. Benedictio benedicentis omnia[6].

Et tres[7] diaconi vestes sumunt, acceditque sacerdos et dexteram suam[8] vestibus imponit, ut eis benedicat[9] et dicit:

Deus, qui corpus formavit animamque paravit (*Repete*), hominemque ad imaginem ac similitudinem suam fecit, vestesque ad sustentationem[10] hominum ornavit. Ipse vestibus hisce benedicat, sintque gaudium induentibus eas, atque ut vestes membris hominum adhaerent, et indumentis ornantur[11], sic hi servi quoque tui amore invicem sibi adhaereant, atque dilectione singuli[12] in concordia et Dei timore floreant[13] gratia ac misericordia Christi Domini nostri[14], cui gloria, et super nos misericordia ejus et benignitas effundantur[15], nunc.

Et super vestes signum crucis formant.

---

[1] B add. et. — [2] B deest una. — [3] B deest hic hymnus. — [4] B deest haec proclamatio. — [5] B Benedictione tua, Domine, benedicantur famuli tui, et cura voluntatis tuae adoratores tui serventur, et perennis salus tuae divinitatis et constans pax tuae dominationis regat populum tuum et Ecclesiam omni tempore, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — [6] B Benedictio benedicentis omnia, misericordia miserentis omnium, et salus Dei adorandi sit nobiscum, inter nos et circa nos omni tempore, ut servemur a Maligno et virtutibus ejus, Domine omnium, P. et F. et Sp. S. Amen. — [7] B deest tres. — [8] B manus. — [9] B deest: ut eis benedicat. — [10] Cod. 63. add. vitae. — [11] B deest: et indumentis ornantur. — [12] B deest singuli; add. invicem. — [13] B persistant. — [14] B deest Domini nostri. — [15] B deest et benignitas effundantur.

*) Psalm. 20, 1—8.

**) Versus heptasyllabi ὁμοιοτέλευτοι. Z.

***) Versus pentesyllabi. Z.

Benedictiones colorum *).

Deus, qui gloria splendentium colorum flores flosculosque[1] vestivit, (*Repete*)[2] et qui humanae naturae tegumentum verecundiae dedit, eamque in novo mundo vestibus incorruptibilibus laetificaturus[3] est, benedic, Domine, vestibus his servorum tuorum, qui nove invicem ad consortium propagationis naturae humanae conjunguntur, ut eas induant, iisque gaudeant tibique gloriam et honorem et laudem et adorationem offerant, nunc.

Et super vestes crucis signum facit.

Benedictio coronae[4].

Deus, qui coelum stellis coronavit (*Repete*) terramque floribus et campum[5] mandato suo constituit[6], ipse sua benedictione capita vestra coronis temporis decoret, atque dignos vos reddat, ut coronis immortalibus coronemini, vitamque vestram producat in bonis, pacemque et salutem suam inter vos augeat, vobisque filios et filias det benedictionum[7], et opibus possessionibusque vos locupletet atque corda vestra gaudio impleat linguasque vestras laude, gloriamque offeratis Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc.

Tum super vestes crucis signum facit, sumuntque vestes et afferunt iisque sponsam vestiunt, atque deinde sponsam et paranympham[8] *adducunt, easque ad dexteram sponsi statuunt.*

Sequitur ordo coronationis.

Oratio. Tibi bone ac benigne[9].

Incipiunt deinde totum hunc psalmum: Ad te, Domine, levavi *usque ad* Miserere nostri, Domine**). *Si sacerdos est, adde:* Laudate Dominum***), *si vero diaconus:* Benedicite Domino angeli ejus****).

---

[1] Anglice B. blossoms and flowers (Blüthen und Blumen). — [2] B deest Repete. — [3] Melius Cod. 63. renovaturus. — [4] Melius Cod. 63. B coronarum. — [5] B omnia, quae creavit. — [6] B sustinet. — [7] B benedictionem filiorum et filiarum. — [8] B deest et paranympham. — [9] B Tibi, Domine, bone ac benigne, longanimis et plene miseratione, magne rex gloriae, cujus existentia est ab aeterno, offerimus gloriam, honorem, laudem et adorationem omni tempore, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen.

*) Haec benedictio ex Badgero refertur ad principaliorem vestem exteriorem sponsae, quae ex velluto vel panno ditissime acu picto confecta esse solet.

**) Ps. 122. 1—3; 122, B 1—4.

***) Ps. 112? B 110.

****) Ps. 102, 20.

Antiphona[1]. Quisnam thalamum in medio marium colligatum*) vidit, in quo Hebraeae Aaronis filiae versantur?

Oratio. Perfice, Domine, cum his servis tuis gratiam tuam[2] atque in misericordia tua eorum negotium prospera, ut invicem gaudentes[3] tibi gloriam et honorem laudemque et adorationem omni tempore offerant, Domine omnium.

Et canticum hoc incipiunt secundum: Induerunt incorruptionem.

Quia hic est[4]. Sumite tympana[5]. Lauda, Ecclesia regina, filium regis, qui te sibi desponsavit et in thalamum[6] suum introduxit, tibique dotem sanguinem dedit, quem ex latere suo tibi fluere fecit[7], teque stola luce[8] magnifica, quae non perit, vestivit et capiti tuo illustrem ac pulchram gloriae coronam imposuit (*Hic coronas imponunt*[9]) atque ut purum thuris suffitum odorem tuum coram omnibus suavem reddidit[10], et ut rosam[11] flosculosque ac flores[12] Nisan[13] decus tuum auxit, atque in Golgotha a servitute idolorum te liberavit. Adora igitur crucem ejus, in qua pro te passus est, atque humilitatem tuam exaltavit, et honora sacerdotes, qui laboribus suis te extulerunt[14], eique acclama: Gloria tibi. (*Repete*).

Et scito, o frater noster, super brachia sacerdotum positas esse coronas[15].

Adde (secundum) Cum confessione admiremur**).

Domine in virtute tua[16]***). In virtute tua magna, Redemtor noster, templum sanctum tuum perfecisti, et in gratia tua fundamenta posuisti Ecclesiae tuae, quam ad honorem tuum legisti. Ecce, coelestes et agmina inferiorum hodie de festo consecrationis ejus gaudent et cum amore supplices orant, ut pax[17] tua super liberos ejus regnet, et[18] refugium generationibus sit, atque gentibus, ut in ea te celebrent confitentes tibi, Salvator noster[19], cui gloria.

Filia regis[20]. Ecclesia, sponsa Christi, quam sanguine suo ex errore liberavit, cuique cibum vivum corpus dedit suum, quod mali in Golgotha mactaverunt, et in cujus manus[21] calicem salutaris tradidit sanguinem pretiosum, qui ictu lanceae ex ejus latere fluxit, attende et sponsi vocem audi, atque a vana erroris evagatione cessa[22] ac Salvatori tuo vocibus laudatione plenis acclama: Gloria tibi.

---

[1] B Mutatio (Syr. ad verbum: responsio). — [2] B voluntatem. — [3] B in sua unione. — [4] B add. Dominus. Adorate eum. — [5] B add. et psalteria. — [6] B palatium. — [7] B effluxit, deest tibi. — [8] B lucis. — [9] Est ad marginem haec rubrica. [10] B dilatari fecit, deest suavem. — [11] B deest ut rosam. — [12] Anglice B. blossoms and flowers; floribus et flosculis add. et liliis. — [13] Hoc est Aprilis; B. Augusti. — [14] B qui laborant cantando in te. — [15] B deest haec rubrica, quae est in paginae parte inferiori. Sensus videtur, coronas nondum impositas sustentari a sacerdotibus. Cf. p. 395. — [16] B add. laetabitur rex. — [17] B salus. — [18] Cod. 63. ut. — [19] B add. et dicant. — [20] B add. surrexit in gloria. — [21] Cod. 63. manum. — [22] B desine mirari.

*) Hoc est: constructum, ad modum nempe tentorii, vel per velum, cortinam, uti etiam benedictio thalami infra vocatur colligatio vel nodatio thalami. Quod a B inde explicatur, quod, cum in Oriente familia in uno eodemque cubiculo dormire soleat, paretur quo sponsorum locus a reliquis separetur.

**) Vel: Secundum Venite admiremur.

***) Versus heptasyllabi, tum pentesyllabi. Z.

Et laudent nomen tuum[1]. Gloriam[2] magnam sine fine spiritualium agmina glorioso[3] dedicationis tuae festo proclamant, o Ecclesia gloriosa et sancta. Sacerdotes sancti in te clamant, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, qui in te gloriam suam collocavit, tibique mysteria*) sua arrham dedit. Venite, nos omnes simul laudemus ac celebremus dicentes: Custodi, Domine noster, Ecclesiam ejusque filios gratia tua et miserere nostri[4].

Exalta Dominum[5]. Exalta et celebra et honora, Ecclesia, coelestem sponsum, qui descendit, et in nostra habitavit humanitate**), ut tibi salutem pararet, et in te sacerdotes atque levitarum ordines instituit, ut altari tuo glorioso cum honore servirent; et cum agminibus altitudinis filii tui cum laudatione[6] clament[7]: Sanctus[8] ex alto et glorificatus ex profundo Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres personae, una natura. Ipsi gloria.

Exaltabo te, Domine[9]. Christe rex, Salvator noster, pacem tuam in Ecclesia tua fac habitare, et Vigiles in coelis coram throno majestatis tuae laetentur; nos autem, Domine noster, dignos redde, ut in Ecclesia sancta tua, quae tua est habitatio, pure serviamus atque coram illustri tuo altari digni simus[10], ut naturae dominationis tuae gloriam cum agminibus altitudinis offeramus[11] dicentes: Serva, Domine noster, sponsum et sponsam in gratia tua et miserere nobis[12].

Qui est[13]. Domine justorum, Deus, qui priscis justis Adamo et Abeli[14] et Seto et Enos[15] et Noe et Sem Abrahamoque benedixisti, benedic gratia tua domui et habitatoribus ejus, atque***) benignitate tua sponsum sponsamque custodi, ac pacem tuam in diebus eorum multiplica et in misericordia tua vitae benedic ipsorum, ut tibi sint filii voluntatem exsequentes tuam, utque filiis suis opes et possessiones haereditate relinquant et[16] tibi perpetuam omni tempore offerant gloriam.

Custodi nos ut[17]. Serva, Domine noster, in clementia tua sponsam et sponsum a malo et erga eos gratiam tuam magnam[18] adauge, ut Deitati tuae in gaudio animi et incolumitate corporis gloriam offerant. Atque ut Abraham et Sara in conjugio suo benedicantur, et ut Isaac atque Rebecca generationibus suis fructus ferant, ac Jacobi et Liae instar in familiis suis crescant[19], ut tibi perpetuam omni tempore offerant gloriam.

Fidelis est Dominus[20]. Cum Dominus noster in Cana gloriam suam

---

[1] B add. quoniam magnum est. — [2] Cod. 63. in gloria. — [3] B deest glorioso. — [4] B ejus. — [5] B Magnificate Dominum Deum nostrum. — [6] B add. in te. — [7] B add. et dicunt. — [8] B add. Sanctus, Sanctus. — [9] B Magnificabo Dominum meum regem. — [10] B congregemur. — [11] B canamus. — [12] B eorum. — [13] B add. ab aeterno. — [14] B deest Abel. — [15] B Henoch. — [16] B add. incessanter. — [17] B add. pupillam oculi. — [18] B deest magnam. — [19] B Isaac atque Rebecca, Jacob et Lia generationibus suis fructus ferant; deest: in familiis suis crescant. — [20] B add. in verbis suis.

*) Hoc est sacramenta (B. sacraments), quibus igitur annumeratur matrimonium.

**) Modus loquendi Nestorianus.

***) Incipiunt hic versus pentesyllabi ὁμοιοτέλευτοι. Z.

discipulis suis manifestare vellet, jussu suo aquam mutavit et vinum eximium facta est. Virtus, quae descendit, et in hydriis habitavit, in domo, in qua congregati sumus, habitet. Invitatorum, qui ex omni loco venerunt, vitam serva, Domine noster, totique nostro coetui benedic, eumque custodi, ut tibi perpetuam omni tempore offerant gloriam.

Quis ut tu[1]? Quemadmodum*), Salvator noster, in Cana aquam in vinum convertisti, et invitati bibentes delectati sunt, atque majestati tuae[2] gloriam tribuerunt; delecta etiam nostrum hoc convivium[3] clementia tua[4] et sponsum sponsamque sanctificatione tua sanctifica, paranymphum autem atque paranympham laetitia[5] tua laetifica, atque super totum coetum nostrum dexteram tuam extende[6], ut tibi pro beneficiis erga nos tuis omni tempore gloriam et laudem offerat.

Custodit Dominus[7]. Domine noster, custodi in benignitate tua. Domine noster, benedic in gratia tua. Domine noster, Domine noster, sponsum sponsamque in misericordia tua[8] a malo protege omnique hora super eos dexteram tuam extende, atque in eos abundantiam auxilii tui multiplica, et super eos bona tua effunde, eosque a malo serva[9] et iis ex tuo thesauro filios benedictionum ac filias justitiae dona, ut omni tempore nomen sanctum tuum celebrent**).

Et si sacerdos est, adjunge[10]: In omnibus nobis, qui.

Vos omnes gentes[11]. Plaude manu, et glorifica, Ecclesia regina, laetare quoque et gaude, o filia lucis, cujus omnis gloria a domo patris ejus, et quae castitate splendida[12] est exornata, plena[13] gratiis spiritualibus. Diffusa est gratia in labiis sponsi, qui te sibi desponsavit, et cujus decor ac gloria crudeles tuos vicit adversarios[14]. Gemmis bonis ornavit texuitque[15] gloriae coronam, quam capiti tuo imposuit, et lapides moenium tuorum fecit beryllos, portasque tuas crystallo composuit[16] et parietes tuos[17] lapidibus jaspidis[18]. Aurum bonum fecit vestimenta tua, ut Propheta in Spiritu vaticinatus est, quod omnes reges cum coronis suis capita sua inclinantes coram plectente coronas adoraverunt[19], et ungens sacerdotes sponsus gloriosus totam te desponsavit. Retribue ei gloriam pro filia Sion, quae gloriam ejus sprevit, vitulumque adoravit. Et adora atque celebra et laudans canta: Gloria tibi.

Decus tuum et gloria tua ac[20]***). Decore ac gloria Filius Dei Ecclesiam suam, quam sibi desponsavit, coronavit, et agmina coeli cum

---

[1] B add. Domine. — [2] B nomini tuo. — [3] B coetum. — [4] B ut laudent te; deest clementia tua. — [5] B gratia. — [6] B deest atque super . . . . . . extende. — [7] B add. omnes timentes eum. — [8] B add. adjuva et. — [9] B deest eosque a malo serva. — [10] B dicatur sequens. — [11] B add. plaudite manibus. — [12] B deest splendida. — [13] B et; deest plena. — [14] B rebelles, qui oderunt te. — [15] B deest texuitque. — [16] B deest composuit. — [17] B te. — [18] B add. adornavit. — [19] B adoraturos esse coram eo, qui dominatores se humiliare facit. — [20] B In tua majestate et veritate regna et prosperare. In codice nostro est hic abbreviatio duorum Schin, quae indicare potest vocabula: veritas vel pulchritudo.

*) Sequuntur strophae versuum heptasyllaborum tum pentesyllaborum alternantes.

**) Doxologia cum strophis suis sequitur in fine cantus sequentis.

***) Versus quatuor syllabarum vel octosyllabi. Z.

terrae incolis ad nuptias suas vocavit, ut in convivio suo ministrarent[1]. Ex splendidis radiis lucis Patris sui absconditi coronas[2] contexuit, et capiti ejus imposuit eamque decoravit. Ad compita misit mandatum suum, invitansque ad omnes generationes clamavit, ut venirent et in (nuptiali) convivio Ecclesiae, sponsae regis, quam Altissimi Filius in amore suo sibi desponsavit, (nuptialia) sua dona darent. Venerunt sacerdotes, gradus suos prostraverunt; prophetae revelationes suas prostraverunt, Apostolique praedicationem suam; martyres sanguinem collorum suorum[3] ei effuderunt[4] et agmina altitudinis suas sanctificationes (sanctitatis encomia), omnesque populi adorationes suas. Benedictus, qui in Ecclesia thronum suum fixit, ejusque palatia decore suo gloriaque sua implevit, et cum entibus spiritualibus[5] sanctificemus eum dicamusque: Gloria tibi.

Adjunge orationis. Omnes ad te[6]. Vitam et bona perpetua servi tui exspectant, Salvator noster, et in fide confugiunt ac sub alis crucis praesidium quaerunt. Benignitate tua coetus[7] adoratorum tuorum custodi et erga eos fidem promissorum tuorum[8] persolve, quam amicis tuis in tuo evangelio dixisti: Omnis, qui in me credit, regnum et vitam aeternam possidebit. Dignos nos, Domine, redde, ut cum Sanctis tuis in thalamo regni tui[9] tibi canamus: Gloria tibi.

Quia meliores[10]. In miserationibus tuis, quae meliores quam vita, propitius esto, o clemens[11], servis tuis. Te enim invocant, et ad te confugiunt, ut in[12] amore tuo eis auxilio venias. Respice de coelo et subjectionem nostram vide, et inclina aurem tuam, ac supplicationem nostram suscipe, atque manum auxiliorum extende, servisque tuis salutem dona. Quia valde tibi peccavimus, ut Pater misericorditer et benigne[13] neque, ut delictum nostrum meretur, nos castigasti, sed miserere nobis.

Quia tu Domine[14]. Bone, qui in gratia sua nos creavit, atque imaginem suam ac similitudinem nos appellavit, per gratiam tuam debita nostra condona, atque hyssopo maculas nostras emunda, atque a nobis bella dolosi fac cessare, et da nobis, ut dominationis tuae voluntatem perficiamus, ac veritate tua animam nostram sanctifica, ut quavis hora nomen tuum sanctificemus et adventus tui die stemus tibique confiteamur cum justis, qui coram te placuerunt et crediderunt, atque dominationem tuam confessi sunt. Gloria tibi.

Exaudi, Domine, orationem meam[15]. Domine noster, in misericordia tua audi orationem et deprecationem adoratorum tuorum. Domine noster, aperi nobis portam thesauri divinitatis tuae omnibus temporibus. Domine noster, illustra faciem tuam et salva nos a procellis et cupiditatibus[16] peccati. Domine noster, mitte salutem omnibus afflictis atque miseris. Domine noster, fac, ut pax tua in terra habitet. Domine noster, Ecclesiam tuam misericordia tua custodi eamque crucis tuae alis protege et ei parce.

---

[1] B ut saltent in ejus aulis. — [2] B ei coronam. — [3] B suum; deest; collorum. — [4] B deest ei effuderunt. — [5] B simul; deest cum entibus spiritualibus. — [6] B add. exspectant. — [7] B hunc coetum. — [8] B promissiones tuas, quas promisisti. — [9] B regno tuo; deest thalamo. — [10] B add. sunt miserationes tuae super vitam. — [11] B deest o clemens. — [12] B add. misericordia et. — [13] B deest et benigne. — [14] B add. bonus es. — [15] B add. et suscipe deprecationes meas. — [16] B poenis et tormentis.

Audi verba mea[1]. Domine noster, suscipe orationem; Domine noster, precibus annue; Domine noster, portam thesauri tui nobis aperi, ut intremus et remissionem accipiamus; Domine noster, dignos redde nos, ut voluntatem tuam exsequamur; Domine noster, da nobis, ut dominationi tuae placeamus; Domine noster, expia culpas nostras; medere, Domine, vulneribus nostris; Domine noster, succurre nobis; Domine noster, adjuva nos; Domine noster, Domine noster[2], misericordiam tuam super[3] peccatores ac miseros servos tuos, qui te invocant, effunde[4], nostrique miserere.

Cito anticipent nos[5]. Misericordiam tuam, Domine noster, invocamus, ut in adjutorium auxilii nostri veniat. Domine noster, veniat ad adoratores tuos[6] regnum altitudinis[7] intransitorium. Domine noster, dimitte nobis debita nostra ac peccata nostra. Domine noster, fiat in servis tuis voluntas tua; Domine noster, ne inducas nos in tentationes diaboli. Domine noster, custodi nos. Domine noster, auxiliare nobis; Domine noster, Domine noster[8], tuum est regnum et virtus et potestas. Gloria tibi.

Exaudi nos Deus[9]. Exaudi nos, Deus, salutaris noster, ut Mosem in monte Sinai. Exaudi nos, Deus, ut Eliam et Elisaeum, prophetas Spiritus. Exaudi nos, Deus, sicut Danielem ex fovea ferarum exaudisti. Exaudi nos, Deus, quemadmodum Ananiam et socios ejus[10] in fornace exaudisti, atque misericordiae tuae rorem super facies nostras asperge, nostrasque maculas hyssopo tuo dealba et parce nobis.

Misit Deus[11]. Ex ordinibus angelorum missus est Gabriel et descendit, atque Filiae mortalium nuntium, qui totum mundum gaudio affecit[12], nuntiavit, eique epistolam[13] pacis et salutis dedit, ac conceptionem admiratione plenam annuntiavit. Salutationem Virgini dedit, ipsaque prolem admirandam[14] concepit. Pax tibi, et beata es, quae sine copula peperisti; ex te enim rex Christus[15] oritur et per eum altitudo et profundum omniaque in eis renovantur[16]. Ipsi gloria.

Et dulciora super mel[17]. Dulcis est memoria Sanctorum, patrum heredum, prophetarum, Apostolorum duodecim et septuaginta (discipulorum), pastorum, et nuntiorum evangelii, sacerdotum et sanctificatorum, insectationibus vexatorum et religiosorum[18] eorumque qui jejunio et oratione se castigant[19], eremicolarum[20] et coenobitarum, doctorum cum discentibus et justorum verorum, et poenitentium perfectorum, qui hinc demigrarunt, et qui adhuc vivunt, et qui futuro tempore erunt, novem ordinum angelorum. Gloria glorificatori[21] eorum et super nos ejus sit misericordia.

Pete a Domino[22]. Pater noster illustris et sancte, pugnator strenue,

---

[1] B add. et intende orationi meae. — [2] B deest Domine noster. — [3] B add. nos. — [4] B add. et dicunt. — [5] B add. miserationes tuae. — [6] B deest ad adoratores tuos. — [7] B tuum; deest altitudinis. — [8] B quoniam; deest Domine noster, Domine. — [9] B add. salutaris noster. — [10] B deest et socios ejus. — [11] B add. misericordiam suam et veritatem suam. — [12] B laetum; deest qui totum mundum gaudio affecit. — [13] B foedus. — [14] B deest prolem admirandam. — [15] B deest Christus. — [16] B adoratur a. — [17] B add. et favum mellis. — [18] B sacerdotum sanctorum et eremitarum insectationibus vexatorum. — [19] B probati sunt. — [20] B eorum, qui in regione. — [21] B confortatori. — [22] B add. et ora coram eo.

deprecare et exora[1] Dominum tuum, qui te elegit, ut pacem suam[2] in quatuor partibus (mundi) habitare faciat, et bella ex finibus terrae extinguat, ac coronae anni benedicat in benignitate sua[3], et sacerdotes regesque sint in amore perfecto et in concordia, Ecclesiaque confirmetur et ejus filii custodiantur atque coetui, qui diem memoriae tuae[4] celebravit, oratio tua omnibus temporibus sit murus.

Glorifica[5]. Coenam nuptialem magnam Filius Dei Ecclesiae suae, quam sibi desponsavit, paravit ejusque thalamum super montem Sinai per filium Amrami magna celebritate tetendit. Invitavit prophetas, vocavit[6] Apostolos et doctores et pastores ad diem convivii sui[7]. Vigiles altitudinis coqui ejus[8] fuere, atque manna et carnem ac coturnices attulere, ut primae ejus aetati cibus esset. Per Mosen eam sibi desponsavit, et per Joannem in flumine Jordane dotem ejus scripsit. David rex[9] convivio ejus compositione psalmorum et canticorum[10] ministravit: Omnis gloria filiae regis ab intus atque auro bono est ornata. Celebra, o Ecclesia, et adora Dominum, Dominum[11] nostrum, qui pulchritudinem tuam[12] perfectam reddidit, eique cum filiis tuis acclama dicens: Gloria tibi.

Saeculum[13]. Ascensum spiritus tui in coelum, o sancte Nestori*), inimicus ad irritum redigere dolose conatus est, sed perseverantiam constantiae certaminis tui nequaquam devicit, et cum pedibus tuis sanctis persecutores laqueos clam paravissent, tu cum alacritate accurristi ad. . . .[14]. Et nunc eum exora, ut in benignitate sua ad nostrum auxilium multitudinem misericordiarum suarum mittat.

Dicat[15]. Dexteram misericordiae tuae, Domine noster Jesus, extende ac[16] tene super populum tuum et oves gregis tui. Domine, misericordia tua in aeternum super adoratores tuos, et opus manuum tuarum ne in manibus maligni relinquas. Domine, confirma promissionem tuam, ut tuis Duodecim es pollicitus: Ego vobiscum sum usque ad consummationem dierum. Esto nobiscum, ut cum Apostolis tuis per auxilium ex gratia tua, atque a tentationibus nos libera et tempora pacis plena da nobis, ut laudemus et adoremus ac celebremus nomen tuum magnum[17] sanctumque cunctis temporibus.

Oratio. Benedictio tua, Domine, in terra tonat[18] et laus tua ad altum ascendit, atque in caput servorum tuorum coronas ponit, eorum-

---

[1] B deest et exora. — [2] B add. et salutem. — [3] B deest ac coronae . . . . . sua. — [4] B tuam memoriam; deest diem. — [5] B Gloria P. et F. et Sp. S. — [6] B deest vocavit. — [7] B ad convivium; deest diem. — [8] Cod. 63. deest ejus. — [9] B deest rex. — [10] B musica sua et harmonia et verbis suis. — [11] B Deum. — [12] B suam. — [13] B Sicut erat in principio et nunc et semper usque ad finem mundi (saeculi). — [14] Deest vox in codice; B add. ad Salvatorem tuum. — [15] B Et dicat omnis populus: Amen, Amen. — [16] B deest extende ac. — [17] B deest magnum. — [18] Deest tonat in Cod. 64; sed est in 63. et apud B.

*) De ejus superbia vide Socratem l. 7. c. 32. et ex ejus epistolis manifeste apparet. Quomodo ipse erga eos se habuerit, qui ei resistebant, videre est in supplicatione monachorum Constantinopolitanorum, quae inserta est actis concilii Ephesini (P. I. c. 30.). Ejus autem mortem describit Evagrius l. 1. c. 7.

que opus[1] perfectum reddit. Perfectos et absolutos[2] fac servos tuos iisque in benignitate benedic tua, ut tibi gloriam ac honorem et laudem adorationemque omni tempore offerant, Domine omnium.

Aut haec[3]. Exhilara Domine noster, et Deus noster, hos servos tuos nuptiis benedictione plenis eorumque corda corona gratiis plena laetifica, eosque dignos redde, ut invicem vinculo amoris conjungantur ac muro sollicitudine tua ac septo amoris tui mystico eos cinge, Domine omnium.

Canon secundum: Beatus ille, qui.

Beatus vir, qui timet*).

Sponso in misericordia tua benedic, Domine, sponsaeque in gratia tua, ut dominationi tuae gloriam offerant.

Eodem (tono). Oratione Mariae, quae te peperit, justorumque, qui praecepta tua servaverunt, adoratores tui omnibus temporibus a malo serventur.

Alius. Gratiam tuam ac misericordiam[4] super adolescentes sponsum sponsamque effunde, atque ab iis comminationes repelle, eosque dignos fac laetitiis ac[5] beatitudinibus infinitis, quae in loco supra[6] in excelsis, ut tibi sacrificia perfecta cordibus oribusque offerant atque per cuncta tempora terminosque[7] coram te sint immaculati.

Alius **). O Christe, sponse ornate, cujus desponsatio nobis typum dedit, perfice aedificium et structuram[8], eorumque opus laudabile absolve[9], atque conjugium eorum et lectum sanctifica[10] eorumque culpas dimitte ac expia[11], eosque tibi fac templum eorumque thalamum luce tua contege[12], et odor eorum rosae instar in paradiso, et ut hortus odoribus plenus, et ut myrthus sit in laudem[13]. Coetui autem nostro orthodoxo murus esto ac domus refugii[14].

Glorificatio. Benedictione, qua prisci justi Abraham et Isaac et Sara cum Rebecca benedicti sunt, ea, Domine, benedicantur sponsi et sponsae nostrae et in amore concordiaque secum simul habitent[15]. *(Repete)* Christe***), Salvator noster, sponse coelestis, gratiam tuam vestibus adoratorum tuorum impertire, ut induant et desponsentur, atque dominationi tuae confiteantur, nominique tuo sancto gloriam offerant.

Proclamatio[16]. Stemus decore nos omnes in gaudio[17].

Sponse coelestis, qui mediante sacerdote Joanne[18] paranympho ac legato suo Ecclesiam suam sibi desponsavit, oramus[19].

---

[1] Cod. 63. opera. — [2] B deest et absolutos. — [3] B deest haec oratio. — [4] B add. Domine. — [5] B deest laetitiis ac. — [6] B in Eden. — [7] B deest terminosque. — [8] B fundamentum et aedificium. — [9] B operis hujus suorum famulorum; deest laudabile absolve. — [10] B deest et lectum sanctifica. — [11] B deest ac expia. — [12] B deest eosque tibi . . . . contege. — [13] B et myrti et basilici in horto. — [14] B add. repete. — [15] B deest haec glorificatio. — [16] B Litania. — [17] B add. et laetitia, clamemus alta voce et dicamus: Domine, miserere nostri. — [18] B add. filio sacerdotum. — [19] B add. te, miserere nostri.

*) Ps. 111. Sed B. ponit Ps. 127.
**) Versus heptasyllabi ὁμοιοτέλευτοι. Z.
***) Versus pentesyllabi. Z.

Sponse coelestis, qui pro dote donoque nuptiali sanguinem suum pretiosum pro sponsa sua effudit[1].

Sponse coelestis, qui superos et inferos ad convivium suum nuptiale, id est ad praedicationem evangelii regni sui invitavit.

Sponse coelestis, qui sanguinem suum vinum coeleste[2] ad potum Ecclesiae suae miscuit et aquas vivas ad oblectationem ornatae sponsae, quae ei desponsata est, fluere fecit.

Sponse coelestis, qui omnes populos vocavit atque adduxit[3], ut ad mensam beatitudinum desponsationis suae recumberent seseque delectarent.

Sponse coelestis, qui novissimo die sui adventus a se invitatos ad nuptias illas spirituales ac coelestes introducit[4].

Sponse coelestis, cujus convivium nuptiale in aeternum permanet: tu concordiam dona his adoratoribus tuis, qui in te sperantes secundum legem invicem se junxerunt, eosque negotio hoc, quod inceperunt, laetifica[5].

Sponse coelestis, qui in Cana aquam in vinum mutavit et invitatos exhilaravit, gratia tua convivium[6] nostrum exhilara.

Pro salute[7].

Misericors Deus[8].

In coelis[9].

Serva, Domine, ac laetifica adoratores tuos[10] sponsum cum sponsa, et paranymphum ac paranympham[11] et vocatos atque invitatos totumque coetum nostrum universum, qui ad laetandum convivio laetitiae[12] eorum convenere, Christe sponse vere, ac nostri miserere.

Et orant. Nuptiis nostris benedicat[13] gratia tua[14]; pax et salus dominationis tuae[15] in animabus horum tuorum regnet servorum; custodi quoque et adjuva totum coetum, qui desponsationi dilectorum nostrorum intererant, o exhilarans servos suos gratia sua, Domine omnium.

Socia ejus. Benedicta*) misericordia tua et desiderabiles beatitudines tuae, et adoranda benignitas tua, et gloriosa mysteria (sacramenta) tua**), occultumque[16] judicium tuum; pulchrae administrationes tuae et decora gloria tua, beatique timentes te, Bone, qui pluvias benedictione plenas super sitientes famulorum tuorum animas demittis, Domine omnium.

Tum sacerdos accedit et dexteram suam super caput sponsi ponit,

---

[1] B rogamus te, miserere nostri; et ita porro per strophas sequentes tres. — [2] B spirituale. — [3] B quietem dedit. — [4] B deest haec strophe. — [5] B add. et miserere nostri. — [6] B coetum. — [7] B Pro salute sanctificati patris nostri N. Catholicos et patriarchae, et Mar N. metropolitae et episcopi, et omnibus, qui ministrant sub ipsis: rogamus te, miserere nostri. — [8] B Misericors Deus, qui dirigis omnia in tua miseratione, rogamus te, miserere nostri. — [9] B In coelis, qui laudaris et adoraris in terra, rogamus te, miserere nostri. — [10] B condona adoratoribus tuis. — [11] B sponsoribus. — [12] B celebrandum matrimonium hoc. — [13] B add. Domine. — [14] Cod. 63. add. Et habitet in iis donum tuum. — [15] B deest dominationis tuae. — [16] B et dulce.

*) Versus ὁμοιοτέλευτοι quatuor et quinque syllabarum alternantes. Z.

**) B sacramenta.

eique benedicit dicens hanc benedictionem, et est in lectionibus τῶν quatuor[1].

(Ad marginem) Benedictio ex compositione S. Ephraem).*

Sponse, qui caput tuum coram sacerdotibus humiliter inclinasti, Christus Dominus noster caput tuum exaltet, et in utroque mundo prospere agas[2].

Benedictio Domini sit super te, et ex libris (sacris) incipiam tibi (benedicere). Sol ardore suo non laedat te, neque luna mutationibus suis**).

Manifeste sis caput[3] et inimicos tuos subjuges et nunquam non commodes, dum ipse mutuatione non indiges[4].

Conversationem tuam Christus gubernet, et ipse tibi sit custos. Benedicat tibi in introitu tuo et exitu tuo atque in sumendo ac dando te locupletet.

Sis victor inimicorum tuorum pulvisque sub pedibus tuis fiant, ac in aperto et in occulto sis fortunatus fama bona et honesta.

Et marsupia[5] tua ut Phischon in margaritis suis[6] sint opulenta, numerusque filiorum tuorum affluat, ut Gichon dives effusionibus.

Semen tuum cum abundantia veniat, ut Tigris, quando inundat, crescasque[7] et fructus feras in omnes partes, ut fluvius Euphrates inter adolescentes[8].

Sanitas tua duplex sit et corpore et anima pariter, atque divitiae tuae sint geminae coelestes aeque ac terrenae.

Umbra crucis lucis tum nocte tum die te custodiat. Domus tua[9] proficiat et in ea semper laeteris.

Scientia tua ut aurum coram omnibus amicis tuis splendeat; sollicitudo Domini nostri super te in lumine gressus tuos dirigat.

Coronae capitis tui benedicatur vestibusque speciosis super corpore tuo; benedictus sit lectus tuus ac thalamus, benedicta domus tua, benedicta possessio tua.

Somnum tuum in quiete perficias; mane in gaudio exciteris, meridie bona colligas[10], omni tempore recreationem invenias.

De virtute in virtutem***) eas et de gloria pervenias[11] ad gloriam atque de gradu in gradum ascendens et de bono ad bonum progrediaris.

---

[1] B deest: et est . . . . . quatuor. — [2] B et faciat te prospere agere. — [3] B Sit caput tuum semper erectum. — [4] B sis jugiter judex. et nunquam tu ipse subjectus ut judiceris. — [5] B Scyphus. — [6] Cod. 63. deest suis. — [7] B deest crescas et — [8] B nationes. — [9] B add. prosperetur et. — [10] B meridies colligat; add. circa te. — [11] B deest pervenias.

*) Testatur etiam B Sancto Ephraem tribui. Est carmen alphabeticum h. e. cujus strophae literis ex serie alphabeti syriaci incipiunt, quae etiam in codice colore rubro in margine appinguntur.

**) Psalm. 120, 6.

***) Ps. 83, 8. Vulg.

Obtingat tibi gradus ac decus nomenque bonum et honestum; Dominusque honorem tuum ut Davidis et Constantini magnum faciat.

Rami amabiles lumborum tuorum cum gaudio coram te stent, atque ut pulchra olivae planta mensam tuam circumstent*).

Simul atque dexteram tuam extendis, dextera Domini exaudiat te, et ubicunque sinistram tuam ponas, auxilium ejus te comitetur.

Administrationes tuae in hoc mundo in vita et quiete fiant, neque malus tibi, nec nocte nec die, appropinquet.

Oratio pro te[1] nostra suscipiatur; preces quoque nostrae exaudiantur; fiasque pater principibus sacerdotesque ex lumbis tuis egrediantur.

Coram omnibus stet radix tua, ut Abrahae stirps[2], faciatque te Deus ut Ephraemum et Manassen, quos Joseph genuit[3].

Principatus et possessio obveniant tibi in justitia, circumstet te (ut) murus altus[4] divina providentia.

Nomen tuum inter reges exeat ac fama tua inter principes. Fructus lumborum tuorum[5] opibus abundent et a damnis protegantur.

Trinitas gloriosa omnes tibi[6] donet benedictiones et in te Deus celebretur; et omnes dicamus: Ita, et Amen.

Alia S. Ephraemi super sponsam[7] **). Deus, qui justis benedixit, benedic sponsae nostrae, quae coronata est, eamque gloria inferiori decora***) et pulchritudine externa exorna.

Benedic domui, in quam ingreditur, ut reginae Helenae, thalamumque, qui ei lege fidelium destinatus est, sanctifica.

Thesaurum ejus ac mundum muliebrem et ornamenta[8] ejus affluentia imple, et ejus ingressu[9] conjugi ejus bona affer, quae exspectat.

Domum ejus cum marito absque contentione[10] et rixis guberna, ejusque honor famaque[11] inter ipsius socias crescat et augeatur[12].

Da ei gaudium cordis lumenque oculorum ejus lucidum fac ei, atque doloribus membrorum ejus medere, animaeque culpas ei condona.

Fiatque initium novum, quod sponsae imitentur; verbis sacerdotum responsisque diaconorum ei benedicatur.

Corpus ejus bona valetudine[13] et faciei ejus pulchritudinem castimonia illustra; nomenque honestum ei exeat et vitam quietis vivat.

Respice, Altissime, ex alto ac famulae tuae ejusque conjugi benedic. Dextera tua, Domine, formata est, et gratia tua custodiatur.

---

[1] B vobis. — [2] B Abraham; deest stirps. — [3] Cod. 63. et Jacobum, qui genuit Josephum. — [4] Cod. 63. circumdet tibi murum altum (Aphel.) — [5] B amoris tui. — [6] B nobis. — [7] B Tunc sacerdos dexteram imponat capiti sponsae et benedicat ipsam hoc modo. — [8] B mundi muliebris et ornamentorum. — [9] B ingressu ad eam. — [10] Cod. 63. contentionibus. — [11] B excellentia honoris et famae. — [12] B accrescere facias; deest et augeatur. — [13] B add. purifica.

*) Ps. 127, 3.

**) Haec benedictio etiam carmen alphabeticum est heptasyllabicum Literae alphabeti et hic ad marginem rubro colore appositae sunt.

***) Ps. 44, 14.

Bonitatem vitamque ac salutem ex thesauro tuo ei suppedita, et in misericordia tua preces ejus solidis abundantibusque mensuris repende.

Dextera tua super eam requiescat, et sub alis tuis protegatur, atque a malo ejusque vi[1] eam serva, ut honori tuo sit templum.

Omnes mulieres justorum[2] ex populo (Hebraeo) et gentibus ut speculum ei adstent, et cum iis sit in memoria.

Sarae eam conjunge in misericordia tua, ejusque liberis ut Isaaco benedic. Benedic ipsi ut Rebeccae, ejusque liberos ut Jacobum serva.

Adduc eam ad pulchritudinem Rachelis ejusque semen fiat, ut Joseph. Benedic utero ejus ut Liae, ut multis mater evadat.

Benedicat ei nutus tuus[3] ut Asjatae*), foecundaque fiat, et pariat ut Ephraemum. Porro Jochabedam**) imitetur ejusque filii sint ut Moses.

Spe bona ejus, ut Elisabethae cum Aarone, animam reple; filii quoque ejus Eliezer[4] atque Itamaro similes fiant***).

Adjuva eam ut Sephoram, filiique ejus ut Gerschon vivant****).

Atque ut Mariae os ejus psalmis canticisque locupletetur[5]†).

Distribue ei haereditatem in terra, ut Machlae, Caylae, et Noae et Melchae et Thersae, sororibus earum[6], quae haereditatem patris sui possederunt ††).

Tranquillitatem tuam[7] in domum ejus affer, et pacem in turribus[8] ejus multiplica, atque ex ipsius filiis sacerdotes et ex fructibus ejus fiant diaconi.

Possessiones semen ejus haereditate accipiat, agros cum castellis[9], et filii ejus super tapetis[10], filiaeque ejus super stragulis incubent[11].

Magnopere maritus ejus gaudeat, valdeque parentes ejus exultent, et super genua ejus, Domine[12], filii[13] educentur, qui voluntatem tuam perficiant[14].

Semen ejus ut arenam et sicut stellas in firmamento multiplica, atque Jordanis instar diebus Nisan[15] divitiis magnis[16] eam dita.

Benedicatur ancillae tuae, Domine noster, hisce benedictionum verbis[17] precibus Sanctorum tuorum omnibus vitae ejus diebus. Et gloriam laudemque offerat Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc et deinceps et in saeculum et in generationes generationum. Ita, et Amen[18].

Aliud canticum †††) *pro paranympho*[19].

---

[1] B virtutibus ejus. — [2] B rectae. — [3] B gratia. — [4] Ita et B, sed filius Aaron erat Eleazarus. — [5] B cantet. — [6] B deest sororibus earum. — [7] B salutem; deest tuam. — [8] B finibus. — [9] B domibus. — [10] B pulvinaribus. — [11] Cod. 63. sedeant. — [12] B deest Domine. — [13] B add. et filiae amabiles. — [14] Cod. 63. faciunt. — [15] B Augusti. — [16] Cod. 63. bonis. — [17] Cod. 63. omnibus hisce benedictionibus. — [18] B Nunc et in saecula saeculorum, Amen. — [19] B deest hoc canticum.

*) Asenethi Genes. 42, 45.
**) Exod. 6, 20.
***) Exod. 6, 23.
****) Exod. 2, 21. 22., 18, 2. etc.
†) Exod. 15, 20.
††) Josue 17, 3. 6.; Num. 26, 33.; 27, 1. 36. 11.
†††) Versus heptasyllabi ὁμοιοτέλευτοι.

Paranympho, qui nuptias has honoravit, et celebravit, ac exhilaravit, se ipsum introduxit, comemque se praestitit, et in cujus amore sponsus, socius ejus, requievit, quid dicamus et quid largiamur? Quomodo benedicamus et laudibus eum extollamus, qui ut Joannes gloriose se gessit, qui in eremo clamavit, et Dominus noster apparuit. Paranymphus fuit, qui effloruit, qui eum, qui ex alto sancto ortus est*), omnibus monstravit et annuntiavit, Spiritum Sanctum unxisse eum. Ut ille gaudeat paranymphus et exhilaretur omnibus bonis prospereturque et fortunatus sit, et ab omnibus scandalis recreetur, neque a Malo perturbetur. Porta Domini ei aperiatur, quia omnibus virtutibus odor ejus spiravit; gloria et decore celebretur, gaudeatque et exultet, exhilaretur quoque. Omnibus bonis ditetur, misericordiamque ac gratiam inveniat, atque ut cedri Libani floreat et in pace quieteque habitet. Et die, quo Dominus ejus exsurgit, horaque, qua repente apparet, cum amore ei obviam feratur, atque cum eo in sublime elevetur et avolet, et cum Sanctis ejus efferatur simulque gaudeat ac celebret laudemque offerat et tribuat Trinitati atque exhilaretur nunc.

*Aliud canticum **) pro paranympha* [1].

Jam vero ad paranympham clamemus dicamusque in societate, et cum ea egregias commemoremus foeminas, ut cum eis sit socia: Juditham illam illustrem, quae populum a direptione servavit, et Estheram, quae in oratione stetit et ipsa quoque poenam avertit; Deboram autem judicem, quae justitiae inimicos occidit, Susannam vero, quae pura fuit, sacerdotesque impudicitiae lapidavit. Anna autem, quae prophetissa fuit, assidua erat in oratione, dignaque facta est prophetia de Salvatore mundi. Maria item ejusque soror Martha perpetuo adorationem obtulere Domino, qui castas glorificavit easque in evangelio commemoravit. Glorificet te quoque gratia, benedicat tibi cum eis in puritate, mundet corpus tuum castimonia, omnique die sis in gaudio usque ad finem dierum, quia cum sorore tua, quae sponsa est, in partem laetitiae venisti. Novissimo adventus sui die Christus rex gloriae vestes tuas rectitudine lucere faciat, et cum (virginibus) prudentibus in thalamum lucis regni introeas ac gloriam laudemque et honorem Deitati offeras, ut bona super te affluant dona cum benedictionibus, nunc.

Obsignatio.

Et tibi, o sponse gloriose, et flos[2] decore, consertus in corona sponsi coelestis; tibique, o sponsa speciosa puraque in virginitate, ac ornata venustatibus Ecclesiae; tibi quoque, o paranymphe venerande, qui Joannis Baptistae imaginem effingis, ac tibi, o paranympha ornata et veneranda, et super totum coetum nostrum in summa clementia[3] et

---

[1] B deest hoc canticum. — [2] B rosa. — [3] B pax.

*) Lucas 1, 78. Verti etiam potest: qui eum, qui effloruit, qui ex alto sancto ortus est. Z.

**) Versus heptasyllabi ὁμοιοτέλευτοι.

misericordia ac benedictiones gratiaeque Dei nostri adorandi large effundantur, nunc[1].

Et format crucem super coetum *).

Explicit ordo desponsationis sponsorum sponsarumque, Deoque gloria perpetua, Amen.

Colligatio thalami **).

Eodem porro auxilio divino ordinem colligationis thalami scribo.

Primum incipiunt[2]. Pater noster, qui es in coelis.

Oratio. Adoretur et glorificetur[3].

Tum incipiunt: Levabo oculos meos in montem ***).

Oratio; Tibi gloriose ac illustris[4].

Et dicunt cantica haec secundum tonum: Martyres benedicti.

Sit gratia tua[5]. Per gratiam tuam, Domine[6] misericors, benedic et[7] custodi hanc domum ejusque incolas a daemonibus improbisque hominibus, atque temporale alimentum[8] in amore ac pace et tranquillitate[9] salutemque corporis et animi multiplica.

Benedicetur in generatione[10]. Per angelos benedictum est domui patris nostri Abraham, et per Dominum angelorum domui Zachaei benedictum est. In domo, in quam adoratores tui ingressi sunt, Trinitas habitet. Et benedicetur in generatione justorum.

Fidelis est Dominus[11]. Domine noster, Christe, qui in evangelio suo coetui discipulorum suorum dixit: In quamcunque domum intraveritis et susceperint vos, benedicam ei[12], benedic, Domine noster[13], gratia tua huic domui adoratorum tuorum et fac, ut in ea pax tua habitet ac salus tua.

---

1 B omni tempore et in saecula saeculorum. — 2 B add. Gloria in excelsis Deo etc. — 3 B adoretur et glorificetur, honoretur, laudetur, benedicatur et magnificetur semper nomen adorabile gloriosae Trinitatis tuae in coelo et in terra. Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — 4 B Tibi magne et excellens, fortis et gloriose, bellator valide, potens, plene misericordia, rex gloriae, existens ab aeterno, offerimus gratiarum actionem, adorationem et laudem omni tempore Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — 5 B add. super nos Domine. Cod. 63. hic inserit partem cantici in laudem sponsi, quod infra sequitur et incipit: Gaudium tuum; nimirum omissa prima stropha. — 6 B Pater. — 7 B deest benedic et. — 8 B Omne genus copiarum. — 9 B Cod. 63. in ea et amorem ac pacem. — 10 B add. justorum. — 11 B add. in verbis suis. — 12 B eis. — 13 B deest Domine noster.

*) Testante Grant (p. 215) sodales sponsi parati exspectant, et sponsa multa cum pompa processionaliter in sponsi domum deducitur, omnibus suis ornamentis decorata et velo praedivite cooperta, inter gaudia et clamores. Novi ipsius familiares, ad portam ipsi occurrentes, in prosperitatis et ubertatis augurium uvas vel alios fructus, vel grana ut plurimum nummis minutis intermixta super ipsam projiciunt.

**) Hoc nomine colligationis sive nodationis, uti vidimus, thalami significatur constructio.

***) Id est Psalmus 120.

Ne des, Domine[1]. Pelle Satanam, qui est[2] ... *Orationis.*

Deus noster, refugium nostrum[3]. Christe, refugium et vera spes eorum, qui afflicti sunt, esto, Domine, murus adoratoribus tuis eosque a Malo custodi, ac medere et sana eorum dolores gratia divinitatis tuae, misericors et condonator culparum.

Spes omnium[4]. Christe, spes nostra, cui confidimus, miserere nostri et benignitate tua[5] a nobis abige Malum, qui sine causa nos odit, dexteraque tua misericordia plena murus nostris sit animis. In te aspectus noster omni tempore fixus est.

In maribus et in omni[6]. In mari et in terra te, Domine noster, invocant[7].

Auferens bella[8]. Christe, qui personae suae sanguine pacificavit[9].

Fideles custodiens[10]. Orationibus Virginis Mariae conserva diligentes te, oratione Sanctorum tuorum, qui mandata tua custodierunt[11].

Glorifica[12]. A Trinitate, qua benedictum est justis fidelibus pristinisque patribus, benedicatur etiam huic domui, sitque benedicta nunc et usque in saeculum, atque eam custodi, Domine, habitantesque in ea ab omni damno omnibusque angustiis, et omnibus bonis ut domus Abrahami ditetur, possessioque ejus ut domus justi Jobi crescat et augeatur et confirmetur orationibus Mariae Virginis nunc et in saeculum.

Saeculum[13]. Benedic, Domine noster, huic domui sitque nunc et usque in saeculum benedicta. Benedic, Domine noster, habitantibus in ea omnibus oris tui vivi sanctique benedictionibus. Benedic, Domine noster, operibus eorum ac facultatibus et possessionibus. Benedic, Domine noster, eorum seminibus agrisque cum eorum proventibus[14]. Benedic, Domine noster, congregationibus eorum. Benedic, Domine noster, eorum concordiae. Benedic, Domine noster, liberis eorum et culpas eorum condona ac remitte, ut thalamo tuo digni efficiantur[15].

Oratio. Benedictio benedicentis omnibus[16].

Canon. Deus noster misereatur *).

---

1 B add. desiderium impii proficere. — 2 B Pelle Satanam, qui est inimicus omnis justitiae, ab hac domo, ne intret et regnet in ea; confirma fundamenta ejus in petra fidei et adauge in ea vitam aeternam. — 3 B forte. — 4 B add. finium terrae. — 5 B deest benignitate tua. — 6 B add. abysso. — 7 B In mari et in terra te, Domine noster, invocant, ut in auxilium eis venias; eum, qui ad te clamat de mari, tu audis, et eum, qui clamat ad te de terra arida, tu non negligis. Nos etiam clamamus ad te, Domine; veni igitur in adjutorium nostrum et salva nos a potestate Mali. — 8 B add. in universo mundo. — 9 B add. superna cum inferioribus, fac omnes reges et sacerdotes unanimes esse; in tua misericordia stabili Ecclesiam tuam, ut gratia tua, o tu miseratione plene, unum symbolum fidei regnet super universum. — 10 B Dominus custodit eos, qui confidunt in eum. — 11 B Adoratores tui jugiter custodiantur ab astutiis deceptoris, per preces Virginis Mariae Matris benedictae, et da nobis tuam voluntatem perficere in verbo et opere et laudes tibi cantare omni tempore. — 12 B Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. — 13 B Sicut erat in principio et nunc et semper erit, usque ad finem mundi. — 14 B frumento. — 15 B congregentur ad. — 16 B add. misericordia miserentis omnium, et custodia Dei adorandi sit nobiscum, inter nos et circa nos omni tempore, ut custodiamur a Malo et virtutibus ejus, Domine omnium, Pater Fili et Spiritus Sancte. Amen.

*) Id est Psalmus 66.

Thalamo servorum tuorum benedic, Domine, sponsisque in eo habitantibus; custodi eos a Malo in eo.

Mitte, Domine noster, auxilium et salutem animabus nostris, quae ad te[1] confugiunt ad crucem tuam.

O qui illustrem thalamum sponso construxit, qui per Spiritum desponsavit, corona lucis effusae[2] adoratores tuos corona, Christe, coetuique nostro suave olenti[3] tempus tranquillum para, ut tibi corde hilari confiteamur[4].

Glorificatio. Desponsatione, qua Abrahamo et Isaaco ac Jacobo benedictum est, sponso sponsaeque cum paranympho ac paranympha benedicatur.

Gavisa est, quae eum peperit, Maria, et Joannes, cum eum baptizaret. Gavisa sunt coelum terraque de stella, quae ex Jacob orta est.

Et: Sanctus Deus. *Dicunt deinde has orationes.*

Nomen tuum, Domine noster et Deus noster, sanctum[5]. Benedictus, Domine[6]. Oratio, Domine, sanctae Virginis ejusque precatio[7].

Obsignatio.

Deus, qui primis justis Abrahamo et Isaaco ac Jacobo benedixit eosque foecundos fecit atque multiplicavit et magnificavit sanctosque reddidit, tu benedic hisce famulis tuis toroque casto eorum conjugii, sintque in amore et concordia dignique fiant, ut filios suos filiasque decorent[8], ut hodie[9] et ad offerendam gloriam ei, qui eis participationem mutuam dedit. Ipse vobiscum perficiat, et super totum coetum nostrum misericordia benignitasque Dei nostri adorandi constanter affluant[10], orationibus Dominae Mariae, matris lucis et vitae orationeque martyrum et Sanctorum Domini nostri, nunc.

Sequitur canticum, quo sponsum celebrant, secundum tonum: In crucifixione.

Gaudium tuum nobiscum sit, et pax tua inter nos regnet. Trinitas[11] in hoc thalamo usque in aeternum habitet.

Similis est sponsus in thalamo suo soli in firmamento[12] orienti, cujus radii in aëre erumpunt, cujusque lux creatas res[13] exhilarat.

---

[1] B deest ad te. — [2] B deest effusae. — [3] B deest suave olenti. — [4] B add. et fac gratiam tuam manere super nos omnes. — [5] B Nomen tuum, Domine Deus noster, laudetur, divinitas tua adoretur, dominatio tua colatur, aseitas tua magnificetur et aeternae miserationes adorandae Trinitatis tuae sint cum populo tuo et ovibus pascuae tuae; Domine omnium P. F. et Sp. S. Amen. — [6] B Benedicta, Domine, est in coelo et in terra divinitas tua, dominatio tua adoratur, et adorabile nomen gloriosae tuae Trinitatis sanctificatur, glorificatur, laudatur et exaltatur omni tempore, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — [7] B Orationes sanctae Virginis et supplicationes benedictae Matris, et petitiones ejus, quae gratia plena est, Mariae benedictae, et magna potentia crucis victricis, et divinum auxilium et preces S. Joannis Baptistae sint nobiscum semper, Domine omnium, P. F. et Sp. S. Amen. — [8] Cod. 63. add. bonis operibus. — [9] B et ut eorum filii idonei sint ad attingendum decus hujus diei. — [10] B Ipse perficiat vos et totum hunc coetum nostrum, et ejus miserationes abundent erga nos semper. — [11] B Ecclesia tua. — [12] B ab Oriente. — [13] B mundum.

Similis est sponsus in thalamo suo arbori vitae in Ecclesia, cujus fructus ad comestionem inserviunt foliaque ad medicinam sunt idonea.

Similis est sponsus in thalamo suo fonti, qui in Eden fluit et ex quo sapientes bibere, prudentes[1] quoque intelligentiam acquisivere.

Similis est sponsus in thalamo suo margaritae sine macula, quam mercatorum principes emerunt et ex qua divites facti sunt et exaltati.

*Aliud *).*

Salomon Domino, Domino suo[2], domum aedificare coepit, ut a Deo atque a Davide jussus erat.

Mense secundo fundamenta posuit domus, quam aedificavit[3], septimoque mense aedificium fuit consummatum.

Posuit rex in ea mare illud magnum ex aere, duodecim tauros, qui ex omnibus partibus ei alligati erant[4].

Equum hinnientem, ac leonem rugientem et taurum mugientem, ac hirundines, quae matutino tempore garriebant.

Mare illud ad latus domus australe fecit, quia omnes fontes fluviique in mare[5] currunt.

Duodecim tauri sunt duodecim menses: terni in quovis angulo, ver et aestas et auctumnus et hiems.

Filiae Pharaonis domum fecit admiratione plenam; et sexcenti famuli intrabant et exibant et adorabant ante eam.

Quae est ista, quae calici similis est conflato ex auro lactisque pleno, et in quo guttae sanguinis sunt aspersae?

Quae est ista, ex cujus oculis sol exoritur et, quando loquitur, ex ejus labiis crocus[6] defluit?

Quae est ista, quae en tota induta est purpura[7], cujusque Dominum reges et principes terrae adorant?

Ecclesia est, cujus res[8] pulchra et praeclara venustas[9], magnusque est ejus sponsus, ac Dominus est super omnia. Gloria nomini ejus; adorandus est honor ejus.

*Socia ejus **).*

Benedictus, qui sibi Ecclesiam suam[10] domum non manibus factam aedificavit, eamque elevavit, et in alto super omnia, ut promisit, posuit.

---

1 B insipientes. — 2 B Domini sui. — 3 B fundamenta ejus. — 4 B portabant; deest ex omnibus partibus. — 5 B versus meridiem. — 6 B aromata. — 7 B acu pictis vestibus. — 8 B fama. — 9 B deest et praeclara venustas. — 10 B Ecclesiae suae (quod ex syriaco nostro etiam esse potest.)

*) Versus quatuor syllabarum ter repetiti vel dodecasyllabi. Z.

**) Versus sex et septem syllabarum alternantes; inde a secunda stropha carmen alphabeticum est; ita ut binae strophae ad singulas literas pertineant, quae ad marginem rubro colore sunt appictae: sed nonnisi tres priores sunt,

Dicit Ecclesia electa ad Christum supplicans: Ostende mihi, Domine, in scripturis dotem, quam mihi haereditate relinquis.

O sponsa speciosa, inclina aurem tuam et audi verba mea, ac patrem tuum relinque matremque tuam, et veni post me: ego enim sum sponsus tuus.

Ad amorem tuum, Domine, confugio atque gentium idola sperno eorumque adorationes relinquo et ad tuam crucem confugio.

Aqua et Spiritu te mihi desponsavi et a Malo ac morte te redemi. Vide, ne sis alii. Nemo enim, ut ego est, qui te adjuvet.

Thalamum in alto tibi figam, si credideris, filia pauperum, et invitatos ad tuas nuptias vocabo, prophetas, Apostolosque ac martyres.

Magis electa mihi, Domine [1], mandata tua quam aurum et margarita, verbaque oris tui dulciora mihi quam mel et favus*).

Explicit ordo colligationis, et Deo gloria perpetua. Amen.

Vere scriptores, qui tentarunt, dixere: Quemadmodum gubernator prospectat, eodem quoque modo scriptor lineam exspectat postremam.

3. Oratio dicenda super sponsam in ecclesia quadragesimo die post ejus nuptias.

(Habetur apud Badger l. c. p. 280. Est absolutio uxoris, uti apud Coptitas).

Miserator et misericors Christe, Deus noster, cujus bonitas superabundat in omnes, effunde gratiam et adjutorium tuum super hanc sponsam, benedic eam in tua miseratione, et fac eam adhaerere bono et divertere a malo et ea facere, quae probaturus es, ut ex ejus sinu proveniant fructus laetitiae, qui educentur in tua Ecclesia sancta. Et concede, ut vivat secundum voluntatem tuam coram sponso suo, ut semper appareat modesta in oculis suis, auribus suis jugiter attendat ad ejus mandata et approbet ea ore suo, loquatur de eo reverenter, corde suo fideliter amet eum, manibus suis ejus voluntatem perficiat, et pedibus suis ambulet jugiter in sanctitate et justitia. Et concede, ut haec sponsa et ejus sponsus et eorum paranymphus et paranympha praeserventur ab omni malo precibus Matris tuae, alterius coeli, benedictae Sanctae Mariae et precibus omnium Sanctorum tuorum, nunc et in saecula saeculorum, Amen.

Tunc sacerdos signet caput ejus signo crucis.

Ritus matrimonii apud Armenos.

(Ordinem matrimonii apud Armenos usitatum Serposius T. III. p. 163. sqq. ita edidit, ut ritus italice describeret, orationes plurimas latine redderet.

---

[1] B deest Domine.

*) Ex illius missionarii relatione, in libro Cérémonies p. 170. vespere nuptiarum sponsus sponsam pede calcat, sibique calceos detrahere jubet, in signum submissionis.

Germanice ritum integrum tradidit in opere suo: Tausend und Ein Tag im Orient T. II. p. 241. sqq. Fridericus Bodenstedt. Nos ritum edimus ex Euchologio Armenorum ab Ecclesia separatorum, Constantinopoli 1807, et ex catholicorum rituali Venetiis 1839. impresso, a R. D. Richter Monacensi translatum, addita Serposii collatione. Quod ad Bodenstedtium attinet, ordo ab eo vulgatus ipse est catholicorum Armenorum; unde pauca ex additis ab eo aliquibus notitiis usui nobis fuerunt. Notandum praeterea, virum non theologum, cum non videret, psalmos ex ordine LXX. et Vulgatae citatos esse, in eo frustra desudasse, ut, quomodo ad matrimonium applicari potuerint, detegeret.)

1. Ritus matrimonii Armenorum ex Maschdoz impresso Constantinopoli 1807.

a. *Ritus primi matrimonii.*

Ordo sponsalia dandi et benedicendi.

Sciendum est, quod sponsalia sunt initium coronae, quemadmodum enim arbor primum floret, et deinde fructus fert, ita et sponsus et sponsa primum florent sponsalibus, et deinde fructus ferunt coroná. Necesse est igitur, ut sacerdos primum inquirat et eligat secundum canones sponsum et sponsam, ne forte sint spiritualiter aut corporaliter cognati, neve inaequales adinvicem, exempli gratia, virgo cum viduo, sive puer cum anu. Sed sit sponsus quindecim vel duodecim annorum, et sponsa 14 sive 10 annorum.

Et sedeant super thronum ex adverso adinvicem, et non occulte more gentili (graeco).

Et ponant super scutellam coram sponso sponsalia, hoc est: annulum, monile, inaurem, et rubrum sarum et velum. Annulus positus in quarto digito (qui habet venam cordis), indicat, quod sponsa corde consensit sponso.

Monile in manibus indicat, quod manibus ligata est ad obediendum viro.

Inauris indicat, quod auribus audivit et mente consensit.

Ruber sarus et velum significant, quod vere consensit juveni, cui desponsata est. Et accipit sacerdos calicem benedictionis in manum, et explicat permagnum mysterium sponsalium, indicans annuntiationem vitam ferentem Gabrielis, quam dedit Sanctae Virgini Mariae, qua conceptum est Verbum Dei.

Et finita sponsalium explicatione dicit hymnum: Mysterium ineffabile. *Psalmus. Antiphona.* Alleluja. Alleluja.

In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo: exultavit ut gigas ad currendam viam.

Psalmus: Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum suarum annuntiat firmamentum.

Lectio e proverbiis. (Prov. 9, 12—17, secundum Septuaginta!)

Fili si sapiens fueris — apponuntur tibi anni vitae.

Lectio e Cantico canticorum (8, 14.)

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae aut hinnulo cervorum super montes aromatum. Exaltetur rex noster in repositorio et in lecto nostro; sicut palma aurea myrrha plena repleantur pocula nostra. Revertatur rex iterum in juventutem. Dilectum illum in cubiculis nostris cantemus. Ego etiam sum canticum psalmistae, cantabo cum amicis meis, cantemus et laetemur. Rex dilecte, quamvis occulti (sive occultae) fuimus a videndo, oculi nostri quinquaginta. Dominus fecit te, firmavit te, paravit te ex utero. Tu, pulchra inter mulieres, mater tua peperit corpus immaculatum.

Lectio prophetae Oseae. (14, 6—10.)

Haec dicit Dominus: Ero quasi ros — corruent in eis.

Lectio Isaiae prophetae. (27, 11—13.)

Mulieres — Jerusalem.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Galatas. (4, 27—31.)

Filii mei, scriptum est: Laetare sterilis — Christus nos liberavit.

Alleluja. Alleluja.

Antiphona: Videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Beati omnes, qui timent Dominum et ambulant in viis ejus.

Alleluja. Orthi.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Lucam. (1, 26—38.)

A Patre omnipotenti.

Et in mense sexto missus est angelus — et discessit ab illa angelus.

Praeconium.

Pro superna custodia animarum credentium et praedestinatorum in unitate Dominum deprecemur.

Sacerdos dicit hanc orationem:

Jesu Christe Deus noster vere, qui voluntate Patris etc.

Vel etiam: Rex pacis.

Et deinde annulum et monile ponit in manibus, inaurem in auribus et velum expandit in capite, et benedictum calicem dat bibendum duobus, sponso et sponsae.

Deinde legat hanc admonitionem.

Scitote, filii, qui futuri estis, ut conjungamini invicem jugo legali matrimonii, nam ecce hic coram Deo et sancto templo ejus notum facio vobis, et vos cum timore Dei audite, quae dico. Primum debetis intelligere, quod non vanum opus vel contemnenda et levis est res sacramentum et perfectio legalis matrimonii, quod sacerdotalis dexterae benedictione et ecclesiastica mystagogia perficitur, sed res valde magna et nimis reverenda, ita ut Apostolus Paulus matrimonium faciat symbolum et mysterium desponsationis sponsi Christi cum sancta et incorruptibili sponsa Ecclesia. Quae quum ita sint, in hoc mysterio venerandum et reverendum demonstrat matrimonium, quod re vera non est excogitatio cujusdam vel inventio humana, sed institutum a creatore datum et norma a Deo facta, quam Deus, hominibus ex horto expulsis, instituit, ut per matrimonium aucti multiplicentur homines. Et propter supplementum indigentiae non propter vanam voluptatem plantavit etiam amorem in naturis, eumque ita auxit et fortificavit inter virum et mulierem, ut non sit amore sponsi et sponsae amor major in mundo. Quapropter et non e pulvere sed ex ossibus Adae formavit Evam, ne forte vir ut ad quod-

dam alienum respiceret in mulierem sed sicut ad suum proprium corpus, quos verbum divinum uniens ita magnum reddidit amorem mulieris in corde viri sui et sanxit, ut si virum necessitas quaedam cogat relinquere patrem et matrem, qui genuerunt et nutriverunt ipsum, eos relinquere possit, sed mulierem relinquere non possit, sed adhaerere debeat mulieri. Vide igitur, quam fortissimo et indissolubili vinculo ligaverit conjugium viri et mulieris propter filiorum procreationem, quapropter et dixit: Erunt duo in carne una. Et: Quod Deus conjunxit et univit, homo non poterit dividere vel separare, sicut unum corpus perfecte constructum hominis vel animalis nemo potest in duo rescindere. Quapropter et Apostolus a Christo edoctus dicit: Viri debent amare mulieres suas ut corpora sua. Imo etiam his majora magisque veneranda praecipit dicens: Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et animam suam dedit in crucem propter eam. Vides, quod requirit a viris amorem erga mulieres etiam mori paratum? Praecipit et mulieribus, ut subditae sint viris suis eosque revereantur, sicut et Ecclesia, quae est sponsa Christi, subdita est Christo, ita et mulieres, dicit, subditae sint viris suis in omnibus. Haec tremenda mandata Dei et sanctae Ecclesiae, ego tanquam mediator et sacerdos cum sim divino mandato, nunc repeto et dico in aures sponsi et sponsae. Nam manifestum factum est e dictis, quod verbo divino, quod legit sacerdos, ligantur et uniuntur vir et mulier, et jam non possunt separari ab invicem, sicut et membra corporis non possunt separari a capite. Nam si et vulnus quoddam aut dolor gravissimus accidit corpori, tamen non vult caput disjungere vel dissecare a se infirmum membrum, hoc est, manum, vel pedem, vel etiam aliud quoddam e membris, sed e contrario majorem sollicitudinem et curam tunc monstrat erga infirmum corpus et magnopere dolet, angitur et excogitat, ne forte separatum abscindatur membrum suum ab ipso, scit enim, quod abscissio membri dolor et defectus simul et dedecus fit sibi ipsi. Similiter et si capiti periculum dolorum accidit, totum corpus dolet et incunctanti diligentia servit ad salutem capitis, ne forte et ipsum cum eo pereat. Tali igitur amore et cura conversari debent ad invicem vir et mulier, et omnes casus et eventus molestiae mutuae ita ferre debent ut lex divina praecipit, hoc est involuntarios errores quosdam et ex ignorantia transgressiones, quae homini, ut natura debili, accidunt in negotiis rebusque domesticis, in quibus debent indulgere sibi invicem propter legem amoris; sed etiam mutuos eventus infirmitatum, quae frequenter accidunt, unanimo corde curare, ut claudicationem, caecitatem, mutilationem, et quotquot sunt ejusmodi molestiora, de quibus quidem optandum est, ne accidant, sed si tamen acciderint, sine mussitatione et sine indignatione perferenda sunt et curanda sollicitudine, quemadmodum lex divina praecipit. Et imprimis a viro, tanquam a capite et perfectiore, justitia postulat sequentia: Etiam magis quam corporalium periculorum casum morum mulieris portare exiguae mentis ignorantiam, ne propter omnes nullius momenti et minimos errores irascatur mulieri, sciat enim, quod natura debilis est mulier et inops sapientiae, quapropter digna est indulgentiae, et multum propter debilitatem et ignorantiam peccat, quare fas non est, in rebus parvis ira aut verberibus perterrere eam, sed longanimitate et quiete (placide) ad sanam mentem reducenda est.

Sicut et sanctus Apostolus Petrus praescribit viris, secundum scientiam cohabitare mulieribus, iisque, quasi infirmiori vasculo, curam gerere. Vide, pretiosa quidem et splendida est ad usus nostros lagena vel etiam aliud quoddam vasculum vitreum, sed propter fragilem naturam, nisi multa cautione custodiamus illam, citissime frangitur, et oleum sive vinum, quod in ea est, effunditur, et damnum pro lucro patimur ab ea. Similiter et mulieribus praescribitur, omni modestia et verecundia obedire viris suis, et non dare causam irae loquacitate, vel segni et pigra tarditate, sed potius virili sapientia corona esse viri sui cura domus et pietate.

Qua admonitione finita postulat ab iis, ut executionem modo expositorum promittant, dicens:

Hoc divinae legis praeceptum de viro et muliere vobis breviter exposui, filii! Postulat nunc divina lex a vobis coram hac sancta Ecclesia consensum acceptionis et promissionem executionis praeceptorum Dei, quae vobis exposui. Promittite coram Deo, custodire cum timore Dei mutuam constantiam amoris divini, et hoc amore propter timorem Dei libenter ferre mutuum onus, praecipue corporales molestias, claudicationem, caecitatem, longum et incurabilem morbum, et alias molestias, sicut lex divina praecipit. Promittitis, recipitis in vos, studete exequi dicta?

Et hi dicunt: Ita.

Et sacerdos dicit:

Si ergo hoc modo manebitis ad invicem in amore Dei, protectio Dei custodiet vos in egressu et ingressu, et benedicet operibus manuum vestrarum, atque abundare vos faciet spirituali et corporali bono, ut hic in pace et timore Domini degentes, promissa bona futura consequi mereamini per gratiam Christi, quem decet gloria, potestas et honor, nunc, etc.

Ordo benedicendi vestem nuptialem.

Ante omnia ferunt vestem ad sacerdotem. Et diaconus dicit: Atque etiam pacis etc. *Et sacerdos:* Benedictio et gloria, *et incensat, et dicunt hymnum:*

Hodie coelites laetati sunt de terricolarum renovatione, nam modo inaudito descendit hodie creaturarum Spiritus in sanctum coenaculum, quo renovati sunt ordines Apostolorum.

Hodie terrestris natura nostra exsultat de Patris reconciliatione, nam qui ab hominibus caro factis*) Spiritum suum abstulit, idem eum hodie iterum donat.

---

*) Gen. 6, 3. R.

Hodie filii pueri Ecclesiae celebrant cum exsultatione adventum Sancti Spiritus, quo decorati sunt vestibus splendidis et fulgidis, cantant cum Seraphim Trishagion.

Qui unitos ad turris aedificationem linguarum confusione dispersit, idem hodie divisas linguas gentium in sancto coenaculo iterum conjunxit.

Omnes spiritus benedicite Spiritum Dei.

Spiritus ille Domini, qui descendit et direxit duodecim tribus Israel in deserto, hodie duodecim Apostolos dirigit in evangelio.

Omnes spiritus benedicite Spiritum Dei.

Spiritus ille Domini, qui implevit Beseleel*), artificem tabernaculi, facit hodie homines tabernaculum sanctae Trinitatis.

Omnes spiritus benedicite Spiritum Dei.

Mater lucis Maria, quae virum non cognovisti, benedicta es in mulieribus.

Lucem umbra carentem in utero portasti, benedicta es in mulieribus.

Ne desinas pro nobis intercedere, benedicta es in mulieribus.

Supra petram fidei fundasti tuam sanctam Ecclesiam, custodi eam in pace.

Qui largitus es misericordiam in habitaculo angelorum hominumque expiatorio**), da ei firmam tuam pacem.

In templo gloriae sanctitatis tuae cantant tibi pueri, da iis abundantem tuam misericordiam. Gloria Patri et Filio etc.

Amoris immortalis sponsi facta es tu Mater Maria, intercede sine intermissione pro nostra redemptione[1].

Deinde quae sequuntur usque ad „Tenente manu Evae" *quibusdam tantum in locis dici solebant, quare ad libitum sacerdotis apposita sunt.*

---

[1] Rituale cathol. Venet. intercede pro nobis in die illa tremenda.

*) Exodus 31, 1 et 35, 30. R.
**) H. e. Ecclesiae. R.

Hymnus.

Unctione in forma crucis benedicte et sanctificate, summa gloria coronate, veste purpurea et bysso filo aureo texta ornate, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Creator et factor Adae ejusque conjugis Evae, quos gloria ornatos posuisti in horto Eden, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Pulcherrima vestimenta, tunicam versicolorem, splendidam et Ephod (Ablat.) ornatam donasti Aaroni vestem sacerdotii, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Deiparae Matris tuae precibus coelo similibus nos, sponse aeterne, invitatos dignos facias sanctarum nuptiarum, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Domine semper bonorum dator et largitor, sanctorum regum coronator, esto maritatorum adjutor et custos, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Qui fuisti coronator sanctorum Abgari et Thiridatis, regum Armeniae, quorum dignos facias vestibus, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Connexo sponsae amore cum amore sponsi per legem in castitate conjungantur, ut casta vita conversentur, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Exsultantis Ecclesiae tuae catholicae filios custodi in sinu tuo, ut digni efficiantur corona immarcescibili, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Fuerunt antea duo et nunc conjuncti sunt in unum mandato tuo, Increate, et se invicem dilexerunt, qua re tibi et Ecclesiae similes facti sunt, benedic Unigenite vestem nuptialem.

Lectio Isaiae prophetae (61, 10. — 62, 3.)

Exsultabit anima mea in Deo meo — et diadema regni in manu Dei tui.

Alleluja. Alleluja.

Adducentur regi virgines post eam! consortes ejus adducent ei.

Alleluja. Orthi.

Evangelium secundum Joannem. (2, 1—11.)

Initium signorum Domini nostri Jesu Christi.

Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae — et crediderunt in eum discipuli ejus.

Deinde facit sacerdos signum crucis supra vestem dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, *et dicit hanc orationem:*

Benedic Christe[1] Deus noster spirituali benedictione vestem hanc nuptialem, ut ad eos, qui induerint eam, non valeat appropinquare mala incantatio[2] daemonum vel incantatorum, sed muniti virtute sanctae crucis tuae salventur ab omnibus vinculis Satanae.

Et te decet gloria, potestas etc.

Deinde vestiunt sponsum et legent Scripturam:

Lectio epistolae Petri Apostoli inter catholicas primae. (3, 1—9.)

Similiter et mulieres — quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis.

---

[1] Cath. Domine. — [2] Cath. secta.

Et diaconus proclamat:

Ut dirigantur gressus nostri in viam pacis, Dominum deprecemur.

Et sacerdos legit hanc orationem:

Rex regum et Dominator dominantium, Deus virtutum et potestatum, qui omnes creaturas e nihilo produxisti, variisque gratiis et diversis viribus decorasti. Primum angelos rationali lumine illuminatos magnifice ornasti. Et deinde hominem lucida veste et splendente ut sol immarcescibili corona coronatum et in virenti a te ipso plantato horto voluptatis positum delectatione tristitiam non habente laetificasti. Sed quum homo sancta mandata tua transgressus aeternisque gaudiis spoliatus esset, minime despexisti genus humanum, sed clementissime misertus es filiorum Adae, patrum nostrorum. Quosdam veste ornasti sacerdotali, et quosdam diademate coronasti regio. Magni Moisi faciem divina tua visione illustratam videntibus inaccessibilem fecisti. Sacerdotem (senem) Aaronem, fratrem ejus veste sacerdotali illustrasti. Et beatum Davidem aliosque reges purpurea, aurea, clipeolis gemmisque ornata corona et torque coronasti. Sed etiam tempore recentiore reges christianos Abgarum, Constantinum, Thiridatem et magnum Theodosium, millies magis quam reges illos temporis antiqui, fide christiana et deliciosiore veste in summa gloria splendentes decorasti. Et nunc tu idem ipse Domine benedic et sanctifica gloriam vestium, eorumque ornamenta et plexus, torquem et diademata; et lunulas, ornatum faciei eorum, et ornamenta ornatus gloriae eorum, brachialia, armillas, monilia et inaures, et annulos et dextralia eorum, pannos bombycino et aureo filo textos, et frontalia, vestes praetextas et purpureas, amictus domesticos et pellucida laconica, byssum et hiacynthinas vestes, rubras byssinas vestes, opera phrygionia, vestes aureo filo textas, vel floribus aureis vel clipeolis ornatas, gemmis, sapphiro et topazio splendentia, pectorale, vascula olfactoria statices et cinnamomi et calceos omniaque arte texendi confecta, vermiculata opera una cum crystallinis, plexis, virentibus, floridis et giganteis personis.

Et nunc deprecamur te misericordissime et liberalissime Domine, qui semper promptus gaudes de gloria servorum tuorum, quatenus opera sumus manuum immaculatarum tuarum. Qui et terram, sine labore et confectione, multis variisque coloribus, arboribus et floribus, germinibus et plantis, pulchritudine rosea rubroque splendore exornas. Sicut nunc hic secundum bonam voluntatem tuam exteriorem hominem horum corporali ornatu decoratum aspectu splendidum admirabilemque pulchritudine sensibilibus oculis nostris monstrasti; ita petimus nunc a te Domine, ut similiter et interiorem hominem eorum lucida, purissima, divina et humana virtute condecores, ne ulla macula remaneat in eis, sed dum visibile corpus sensim vestibus indui conspicimus, divina quoque tua imago, animae scilicet eorum fiant sapientia instructae et divino tuo lumine secundum uniuscujusque partem inflammatae ad speciem intellectualium oculorum incorporeorum Vigilum*). Largire eis Domine spiritum sobrietatis, ut intendant ad doctoralia consilia, quae iis dare paratus sto. Et te decet gloria, potestas et honor, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

---

*) H. e. angelorum. R.

Per sanctam crucem deprecemur etc. Custos etc. Pater noster etc.

Et deinde eunt in domum sponsae; et ducunt sponsam ad sponsum.

Et accipit sacerdos manum dexteram sponsae et dat eam in manum dexteram sponsi dicens:

Tenente (Deo) manum Evae ac porrigente dexterae Adae, dixit[1]: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quoniam ex viro sumpta est. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.

Et dicitur hymnus:

Inclinare ad nos et miserere nostri, Christe, qui habes multam clementiam.

Qui es pater orphanorum et judex viduarum, Christe, qui habes multam clementiam.

Qui es coronator Sanctorum, audi et nos per eorum preces, Christe, qui habes multam clementiam.

Mater et virgo, ancilla Christi, quae es mediatrix semper mundi, te beatam dicunt omnes gentes.

Pura columba et coelorum sponsa, Maria, templum et throne Verbi Dei, te beatam dicunt omnes gentes.

Per te reconciliati sunt angeli cum terrigenis, et per te appropinquavimus ad arborem vitae, te beatam dicunt omnes gentes.

Victricem et novam benedictionem semper in excelsis cantemus regi Christo, coetus credentium. Qui venit illuminare electam sanctam Ecclesiam eamque per sanctam crucem coronavit, ei gloriam cantemus.

Gloria Patri etc.

Hodie et nos celebremus sanctae crucis festivitatem (encaenia) et Salvatori referamus gloriam et honorem in saecula.

Et dicit hanc orationem:

Domine Deus noster aeterne, qui dispersos et sejunctos ignotosque adunans conjunxisti in unionem et conjugium, constituens eos nexu testamenti tui indissolubiles: qui benedixisti Isaacum et Rebeccam[2] et possessores eos promissionum tuarum fecisti: tu Domine[3] benedic hunc servum tuum et hanc ancillam tuam[4], dirigens eos in[5] bonis operibus, misericors et clemens Domine Deus noster. Et te decet etc.[6]

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine Deus noster, qui e gentibus tibi desponsasti Ecclesiam virginem sanctam. Tu idem ipse Domine benedic hanc unionem et con-

---

[1] Cath. add. Adam. — [2] S. add. uxorem ejus et multiplicasti generationem eorum. — [3] S. ipse. — [4] S hos servos tuos. — [5] S add. omnibus. — [6] S loco clausulae: misericors etc. per gratiam et philantropiam Domini et S. N. J. C. quem decet gloria, potestas et honor, nunc et semper etc.

junge eos sanctitate et pace, quapropter te decet honor et adoratio nunc etc.

Et benedicit poculum dicens:

Domine Deus noster, qui omnes res sapientia creasti et fundasti orbem terrarum et ornasti nuptias, tu idem Domine benedic hoc poculum, et nos referimus gloriam omni tempore Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc etc.

Per sanctam crucem. Custos. Pater noster.

Et deinde eunt ad fores ecclesiae et sponsa et sponsus ter genu flectunt, et sacerdos audit confessiones eorum, et deinde nectit funiculum) trium colorum.*

Nectens sponsi funiculum dicit:

Domine in virtute tua laetabitur rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer.

Nectens sponsae funiculum dicit:

Adducentur regi virgines post eam, consortes ejus adducent ei.

Deinde hic quoque dat manum in manum et dicit sicut in domo:

Tenente Deo manum Evae etc. p. 458.

Deinde dicit:

Videte filioli, secundum Dei mandatum et canones sanctorum patriarcharum venistis in sanctam ecclesiam, ut legaliter coronemini in sanctum matrimonium. Deus vos custodiat in mutuo amore, pervenire vos faciat ad summam senectutem et tandem immarcescibili corona vos faciat dignos. Sed videte; quae in mundo varia genera veniunt tentationum, morbus, paupertas et quaevis alia tribulatio, Deus vos ab omni tentatione longe custodiat. Sed Dei mandatum hoc est, ut invicem usque ad mortem alter alteri opem ferre debeatis.

Et primum sponsum interrogat dicens:

Fili mi, esne dominus usque ad mortem?

Hic autem dicit:

Ita, pater sancte, dominus sum secundum mandatum Dei.

Deinde interrogat sponsam dicens:

Filia mea, esne et tu usque ad mortem subdita?

Et haec respondet similiter. Et eodem modo interrogat sacerdos ter, et hi ter eodem modo respondent.

Deinde dicit sacerdos:

Hujus rei testis est Deus, qui invisibiliter supra hanc sanctam mensam habitat, sed et nostri angeli custodes, sancta haec ecclesia, sancta haec crux et sanctum hoc evangelium, ordines sacerdotum et congregatorum turbae. Hi omnes sint mihi testes.

Et hi respondent: Ita, sancte pater, sint testes.

Et sacerdos dicit:

Deus in medio eorum, et ipsi ne commoveantur, adjuvet eos Dominus a diluculo ad diluculum.

Intrant ecclesiam et dicunt Introitum:

Pacem largire Ecclesiae tuae sanctae, pacem et tranquillitatem ab

---

*) Narod. R.

hostium incursu, et confirma in una fide Ecclesiam catholicam. Tibi confitemur Domine et Deus salva nos.

Diaconus: Atque etiam pacis etc. *Sacerdos:* Benedictio etc.

Psalmus 92.

Dominus regnavit — in longitudinem dierum.

Gloria Patri et Filio etc.

Et dicitur hymnus:

Laetare sancta Ecclesia, nam Christus, rex coelorum, hodie coronavit te per crucem suam et ornavit arces tuas per admirabilem gloriam suam.

Exsultare valde filia Sion, nam terra iterum coelum facta est tua renovatione, et regi coelesti complacuit habitare in te.

Cum ordinibus coelestium exercituum exsultantes celebramus tibi hodie glorificationem incessabilem. Gaude, sponsa immaculata, imperscrutabili tuo mysterio.

Gloria Patri etc.

Ordines angelorum de coelo descendentes voce mirabili Trishagion cantant.

Diaconus: Benedic Domine.

Et missam celebrans vel etiam sacerdos coronans dicit:

Quia tuum est regnum et potentia et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus: Proschume. (Πρόσχωμεν).

Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, qui incarnatus es pro nobis*), miserere nobis.

Dicitur ter.

Praeconium.

Atque etiam pacis etc. Pro pace totius mundi et firmitate sanctae Ecclesiae, Dominum deprecemur.

Pro omnibus sanctis et orthodoxis episcopis, Dominum.

Pro patriarchae nostri Domini N. vita et salute animae ejus, Dominum.

Pro doctoribus, sacerdotibus, diaconis, lectoribus et omni coetu filiorum Ecclesiae, Dominum.

Pro devotis regibus et Deum amantibus dominatoribus, ducibus et eorum exercitibus, Dominum. Atque etiam unanimiter. Animas nostras. Miserere nobis.

Domine miserere. Domine miserere. Domine miserere.

Nam misericors et clemens es, cum sis Deus, et te decet gloria etc.

Et dicitur psalmus 20.

Alleluja. Alleluja.

Domine in virtute tua laetabitur rex — et psallemus virtutes tuas.

Gloria Patri etc.

Lectio e Genesi (1, 26 et 27.)

Et dixit Deus: Faciamus hominem — creavit illum.

Iterum e Genesi. (2, 21—24.)

---

*) Modus Monophysiticus.

Immisit ergo Deus soporem — in carne una.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 9. — 62, 6.)

Et scient in gentibus semen eorum — Dominum, nam non est similis tibi.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Ephesios. (5, 22—33.)

Mulieres viris suis subditae sint — virum suum.

Alleluja. Alleluja.

Astitit regina a dextris tuis vestitu deaurato decorata et ornata.

Alleluja. Orthi.

Sanctum evangelium Jesu Christi secundum Matthaeum. (19, 2—9.)

Cum Domino nostro Jesu Christo.

Et secutae sunt eum — dimissam duxerit, moechatur.

Ut dirigantur gressus nostri in viam pacis, Dominum deprecemur.

Ut dispergantur a nobis omnes malae cogitationes, Dominum deprecemur.

Ut donentur nobis sanae cogitationes et integri mores, Dom.

Ut nos custodiat sub umbra omnipotentis dexterae ejus, Dom.

Ut conteratur subito adversarius sub pedibus nostris, Dom.

Pro animabus. Atque etiam unanimiter. Animas nostras. Miserere nobis.

Et sacerdos dicit hanc orationem:

Domine Deus exercituum et creator omnium creaturarum, qui sumpsisti pulverem de terra et formasti hominem ad imaginem tuam et similitudinem, masculum et feminam fecisti eos et benedixisti dicens: crescite et multiplicamini, et implete terram, et dominamini in ea.

Praefigurata est cura creantis amoris tui in creaturas tuas per unigenitum Filium tuum dilectum, Dominum nostrum Jesum Christum, qui natus a Sancta Virgine renovaturus erat vetustatem protoplasti, incepit signa in Cana Galilaeae in nuptiis, et divino miraculo aquam convertens in vinum domum nuptiarum laetificavit. Et nunc rogamus te, Domine, benedic matrimonium hoc sicut matrimonium sanctorum patriarcharum, custodiens eos immaculatos anima et corpore [1] et in mutuo amore [2] in hac vita. Benedic [3] fecunditatem eorum in procreandis liberis ad haereditatem morum integritatis, ad gloriam sanctissimi nominis tui, ut vita pacifice transacta, longaeva senectute ex hoc saeculo exire, et in saeculo futuro ad aeterna gaudia superioris domus nuptialis pervenire mereantur cum omnibus sanctis et [4] amantibus nomen tuum sanctum [5], glorificantes Patrem et Filium etc. [6]

Pax omnibus.

Benedictus es Domine Deus omnipotens creator omnium creaturarum, qui solus es benefaciens et omnipotens, qui fecisti omnes creaturas mandato tuo, coelum et terram. Coelos fecisti tua potentia, et terram fundasti tua misericordia et mare formasti tua sapientia.

---

[1] Cath. deest anima et corpore. — [2] Cath. spirituali amore et concordia. — [3] Cath. add. et. — [4] Cath. deest sanctis et. — [5] Cath. deest sanctum. — [6] Cath. per gratiam et misericordiam Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patrem et Sanctum Spiritum decet gloria, potestas et honor nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Solem splendere fecisti ad illuminationem diei, lunam et stellas nitere fecisti ad ornamentum noctis, et herbam disposuisti in escam creaturarum tuarum. Consilium habuisti, Pater aeterne, cum unigenito Filio tuo et vivificante Spiritu tuo Sancto et dixisti: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et praesit terrae, quem formasti divina tua dextera et faciens eum tibi similem praeposuisti et constituisti eum praesidem creaturarum tuarum. Respiciens deinde, quod esset solus, dixisti: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et immisisti soporem in eum, sumpsisti unam de costis ejus et aedificasti ei vitae sociam verborumque consortem in conjugium ad liberos procreandos, ut repleatur terra. Quam quum vidisset homo, dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Et de eorum conjunctione nati sunt patriarchae, reges, sacerdotes, prophetae. Creverunt et multiplicati sunt per familias suas, divina tua illa benedictione, qui omnipotenti verbo tuo dixisti: Crescite et multiplicamini et replete terram. Et iterum: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas coelorum multitudine et velut arenam in littore maris sine numero.

Et nunc Domine benefaciens, sicut benedixisti conjugium sanctorum patrum et matrum patriarcharum Abrahae et Sarae, Isaac et Rebeccae, Jacob et Rachel, Joseph et Asaneth, Zachariae et Elisabeth, et sicut benedixisti coronas justorum in coelis, ita benedic † et sanctifica has coronas matrimonii horum servorum tuorum, quoniam praevenisti eos in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eorum coronam de lapide pretioso. Et sicut benedixisti nuptias in Cana Galilaeae convertendo divina tua potestate aquam in vinum et ostendisti discipulis tuis divinam gloriam tuam et praedicasti, Deus et Salvator mundi. Qui non reprobasti matrimonium, sed sanctificasti et modo sacerdotali benedixisti illud et confirmasti infallibili illo verbo tuo: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Quod etiam sanctus ille Apostolus praedicat in medio Ecclesiae: Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Similiter mulieres viris suis subditae sint, sicut domino. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiae; quapropter venerabile est matrimonium et sanctus est lectus eorum. Purum † custodi Domine lectum eorum ab omnibus insidiis Satanae et conjunge eos jugo unionis sanctae voluntatis tuae, nam inde ab hoc tempore jam non vocentur duo, sed unum corpus, conjuncti amore et mansuetudine, ut ament se invicem verecundis moribus, mente sana et fide immaculata, ut sine ignominia et vexatione parati sint ad opera bona. Ut deliberati ab insidiis inimici anima et corpore sani custodiantur angelica tutela et signo potentissimae sanctae crucis tuae. Eh! Domine Deus noster esto custos horum servorum tuorum et domus refugii omnibus diebus vitae eorum. Delibera eos ab alienis cogitationibus et protege eos die ac nocte tua misericordia. Planta eos ut oleam fructiferam in domo tua, ornatos bonis moribus, ut juste viventes et tibi placentes videant filios filiorum suorum et fiant tibi populus ad laudem sancti nominis tui, laudantes sine fine sanctissimam Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, nunc etc.

*Hic post finem sancti mysterii coronantur *), si participes facti sunt corporis et sanguinis Domini, octo dies ne appropinquent ad invicem.*

Deinde post finem missae sedere faciunt sponsum et dicunt hymnum:

Orbis terrarum imperio, Beate, accepisti a Christo coronam gloriae, o Theodosi magne rex, intercede pro nobis apud regem coelorum.

Qui per tuam sanctam orationem fugasti hostem, conculcando Satanam inter coelites locatus es, o Theodosi magne rex, intercede pro nobis apud regem coelorum.

Et nos credentes celebramus tuam commemorationem, benedictionem remittentes ei, qui te coronavit, o Theodosi magne rex, intercede pro nobis apud regem coelorum.

Vel etiam: Laetare corona virginum etc.

Genitricis. Cruce. Gloria. Per sanctam crucem. Custos. Pater.

Deinde revertuntur domum dicentes: Sol etc. *vel* Rex Christ. *vel etiam:* Omnipotens Domine rex etc. *vide totum hunc hymnum p. 33. (in originali.)*

Deinde dum venit sacerdos ad tollendum coronam, adducit sponsum et sponsam in unum locum, et ponit caput cum capite, et educit gladium e vagina, et ponit eum in forma crucis supra capita eorum dicens hymnum:

Hodie martyrum ordines exsultantes obviam jubilant Domino Christo Filio Dei.

Vox de coelo testans dicit: Venite benedicti Patris mei, haeredes mansionum coelestium, replete locum lapsorum seditiosi inimici, qui de coelo cecidit.

Mater et virgo, p. 458.

Victricem p. 458.

Immarcescibilis corona vos manet deposita multo mirabiliores quam lapides pretiosi, qui fugantes inimicum contrivistis.

Hic ad libitum ejus loco hymnus sequens dici potest.

Verbum, coessentiale Patri et consubstantiale Spiritui Sancto, propriam imaginem miscuisti cum terrenis naturis (homine), quem gloria ornatum in horto voluptatis posuisti, quo exsultavit laetatus gaudio incessabili, nam Deum semper videbat descendentem in hortum, a quo lucis radius ei est impressus.

Gloria Patri etc.

Quare roga Mater Dei Maria Filium tuum unigenitum, ut nobis largiatur cum his conjugibus haereditare superioris horti splendorem. Alleluja. Alleluja.

Sedes tua Deus in saeculum saeculi: virga directionis virga regni tui. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lectio Oseae prophetae. (14, 6—8.)

Ita dicit Dominus: Ero quasi ros — vinum Libani.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Timotheum primae. (2, 9—15.) Volo mulieres — sobrietate.

Alleluja. Alleluja.

Astitit regina a dextris tuis vestitu deaurato decorata et ornata.

---

*) Vel etiam coronae R.

Sancti evangelii Jesu Christi secundum Joannem. (2, 1—11.)
Initium signorum Domini nostri Jesu Christi.
Et die tertia — et crediderunt in eum discipuli ejus.
Diaconus proclamat:

Exaudiat Dominus vocem deprecationum nostrarum, suscipiat vota cordium nostrorum, dimittat transgressiones nostras, misereatur nostri. Preces nostrae et vota nostra perveniant semper ad magnam dominationem ejus, et ipse concedat nobis, ut unanimiter una fide justitiae proficiamus in bonis operibus, ut misericordiae gratiam suam faciat super nos Dominus omnipotens, suscipiat et misereatur.

Et sacerdos dicit ter: Miserere Domine.

Deinde hanc orationem:

Domine Deus noster, qui omni tempore nobiscum es, et nunquam dimittis e manu tua eos, qui cum veritate confitentur nomen tuum sanctum. Te rogamus et ad te clamamus et a te petimus clementissime Domine, tuo mandato benediximus has coronas connubii eorum in sancto tuo tabernaculo coram sancta mensa tua; et nunc iterum tuo mandato tollimus coronas de capitibus eorum, et benedicimus eos per signum potentissimae sanctae crucis †.

Respice cum tua benignitate Domine super eos, et pro his coronis mitte angelum pacis tuae, qui veniens custodiat eos sanctos et immaculatos, unanimes et unius cogitationis. Largire eis Domine et semen secundum tuam voluntatem ab abundanti tua beneficentia. Ut immaculatis et intemeratis moribus viventes in hoc saeculo, in futuro regni tui coelestis digni efficiantur. Et te omnipotentem Deum decet gloria, potestas etc.

Deinde accipit sacerdos poculum vini in manum suam (si vult et cum vase mel) et dicit hanc orationem:

Domine Deus noster, qui omnes res tua sapientia fecisti et firmasti orbem terrarum et ornasti nuptias; tu idem ipse Domine benedic hoc poculum nostrum tua misericordia, et nos omni tempore gratias agemus pro donis tuis. Et tibi offerimus virtutem et gloriam Patri et Filio etc.

Et dat eis poculum dicens:

Benedictio, laudatio et gloria Patri et Filio etc.

Per sanctam crucem deprecemur etc. Custos et spes etc. Pater noster, qui etc.

Haec compositio propriam melodiam non habet et cantari potest secundum unumquemque ex octo tonis.

Omnipotens Domine, rex regum, huic regi*) nostro indue vestem gloriae.

Tu mater vitae Virgo regina Dei Genitrix, orna hanc reginam nostram tua gratia.

Qui magna gloria decorasti primum hominem, similiter et hunc dignum fac gloriae ejus (Adae).

***) Rex = sponsus, regina = sponsa.**

Qui pulchre formasti mulierem Adae, similiter orna et hanc gloria ejus (Evae).

Quibus crescere et multiplicari mandasti, eadem divina benedictione cum his esto.

Abrahae patriarchae cum promissione tua eorum semen sicut stellas multiplica.

Ut Joseph formosum et castum, hunc regem nostrum intactum custodi a retibus Mali*).

Qui illam Asnath replesti tua gratia, laetifica hanc reginam nostram longis annis.

Ut regem magnum David custodi et hunc, per signum sanctae crucis tuae conjunge.

Hunc regem nostrum sanctae coronae fac dignum et hanc reginam nostram cum sanctis mulieribus laetifica.

Hunc novum sponsum, Domine, corona laetifica et una cum sponsa gratia tua conjunge.

Ut semper in mutuo amore persistant, Domine largire; et procul a malis daemonicis custodi eos.

Sanctos et puros mores largire eis in hoc saeculo, et in futuro dignos fac eos thalami**).

Et hos sacerdotes una cum congregato populo purificatos a vitiis anticipet tua misericordia.

Gloriam demus Patri et Filio et Sancto Spiritui, nunc et semper laudatorum supernorum instar.

b. *Benedictio secundi matrimonii****).*

Sacerdos ducit eos in ecclesiam et eorum confessiones audit, et dat manum in manum, et interrogat ut supra scriptum est pagina 24. (in orig.)

Deinde dicit:

Alleluja. Alleluja. Domine in virtute tua etc. (Ps. 22, 2.)

Desiderium cordis ejus tribuisti ei etc. (Ps. 22, 3.)

Lectio epistolae Pauli, evangelium Matthaei, praeconium „Ut dirigantur“ *eadem sunt sicut in benedictione nuptiarum primarum. Vide pag. 28. (in originali.)*

---

*) Diaboli R.

**) Coeli R.

***) Ad verbum: coronae R.

Deinde dicit hanc orationem:

Deus[1] noster, Verbum ab angelis annuntiatum, a prophetis praedicatum, ab Apostolis evangelizatum, qui per immaculatam tuam apparitionem vitam mundo donasti: benedic[2] Domine et nunc matrimonium hujus servi tui et hujus ancillae tuae, sicut benedixisti nuptias in Cana Galilaeae convertendo mirabiliter aquam in vinum et connubium glorificando[3]. Benedic, Domine et nunc hos servos tuos conjunctos[4] nunc iterum in secundum matrimonium, ut ineuntes hoc secundum matrimonium unum fiant fide, spe et caritate cum[5] Ecclesia et proficientes in tua veneratione uniti fiant invicem spiritu et corpore, et largire eis prolem tua misericordia. Dimitte Domine peccata et transgressiones eorum, voluntaria et involuntaria. Suscipe Domine orationes et vota eorum[6], aedifica eos sicut primis moribus invicem vivere bonis operibus[7] **) in hoc saeculo. Benedic Domine liberos[8] eorum, ut tibi complaceant, Creatori et Deo nostro, nam tu es[9], qui sanctificas et salvas animas nostras, et te decet etc.

Et diaconus proclamat:

Petamus cum fide unanimiter etc.

Et sacerdos dicit: Salva, *et ter:* Miserere, *et ponit coronam et legit hanc orationem:*

Deus sempiterne et ineffabilis opifex, qui potentia tua et Filii tui dilecti, Domini nostri Jesu Christi, et Sanctissimi Spiritus fecisti e nihilo omnes creaturas tuas, mare et aridam, et omnia, quae in eis sunt. Aedificasti hortum visu pulchrum, decorans jucundis et floribus ornatis ramis arbores horti, in quo plantata erat et arbor vitae, qui et in fine temporis per sanctum Filium tuum, Dominum Jesum Christum, eadem vitae arbore liberasti hominem lapsum sub insidiis diaboli, tu idem ipse Domine noster et Deus omnium, benedic[10] et sanctifica hanc secundam coronam matrimonii servi tui[11] et ancillae tuae[12], custodiendo eos[13] in dilectione[14] et unanimi cogitatione[15]. Benedic Domine etiam[16] fecunditatem prolis eorum, ut crescant[17] vita pacifica, et tua gratia salvati[18] bona futura consequi mereantur et te glorificent[19] cum Filio et Spiritu Sancto, nunc etc.

Pax omnibus.

Domine Deus noster, qui occulta et secreta hominum cognoscis, respice benigne super hos servos tuos, et da eis jugum amoris tui[20], ut accipiant hanc[21] secundam coronam justitiae causam *) et secundum

---

[1] Cath. Domine Deus. — [2] Cath. add. †. — [3] Cath. matrimoniumque glorificasti modo admirabili aquam in vinum convertendo. — [4] Cath. conjungendos. — [5] Cath. add. sancta. — [6] Cath. add. et purifica spiritum et corpus eorum. — [7] Cath. ut protoplastum, ut cum virtute vivant. — [8] Cath. et genimen ventris eorum. — [9] Cath. deest nam tu es. — [10] Cath. add. †. — [11] Cath. add. hujus. — [12] Cath. add. hujus. — [13] Cath. add. ut permaneant. — [14] Cath. add. spirituali. — [15] Cath. add. in concordia (unione) in hac vita. — [16] Cath. deest etiam. — [17] Cath. crescere faciens eos. — [18] Cath. ut repleti fiant gratia tua salvati. — [19] Cath. et tibi referimus virtutem et gloriam. — [20] Cath. add. et concede pacem ut tua benedictione. — [21] Cath. deest hanc.

*) Locus corruptus, qui in editione Venetiana correctus est. R.

**) Ἀφορμήν. R.

tuum mandatum habitent conjunctim una cogitatione et una voluntate in sancto lecto eorum. Liberentur[1] a malis operibus, mutuam observent verecundiam[2] et bonorum operum digni efficiantur, et tibi offerant virtutem etc.

Per sanctam crucem etc. Custos etc. Pater noster etc.

2. Ritus matrimonii Armenorum Catholicorum ex rituali impresso Venetiis 1839.

a. *Ordo primi matrimonii.*

Ordo benedicendi sponsalia.

Ponunt supra scutellam sponsalia et diaconus dicit:

Et etiam Dominum pacis oremus, accipe, salva et miserere. Benedic Domine.

Sacerdos: Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Et haec dicens incensat.

Deinde dicunt hymnum:

Mysterium ineffabile, occultum a generationibus et a saeculis, revelatum est hodie descensu Archangeli ad Virginem Mariam, quam habemus mediatricem apud Dominum pro animabus nostris.

Filius a Patre aeternus et incorporeus, unigenitus et consubstantialis, hodie per annuntiationem Gabrielis corpus induit a Sancta Virgine, quam habemus mediatricem apud Dominum pro animabus nostris.

Incomprehensibilis ab omnibus, comprehensor naturarum omnium, hodie φιλανθρώπως circumscribitur Virginis immaculatae utero, quam habemus mediatricem apud Dominum pro animabus nostris.

Invisibilis gloriae Patris effigies immutabiliter, in formam servi humiliatur per Spiritum in utero Purissimae, quam habemus mediatricem apud Dominum pro animabus nostris.

---

[1] Cath. recedant. — [2] Cath. add. honestis moribus et amore.

Essentia incircumscriptus, circumscriptorum creator, supra rationem hodie circumscribitur utero Sanctae Virginis, quam habemus mediatricem apud Dominum pro animabus nostris.

Gaudium afflictae naturae nostrae Virgo Maria, gratia plena, semper intercede pro animabus nostris apud eum, quem per salutiferam annuntiationem in te portasti, datorem mandati pacis. (Matth. 10, 12).

Si autem vis, dic hunc:

Per signum potentissimae crucis tuae, Christe, custodi nos φιλανθρώπως ab invisibili inimico, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

Qui supra eam extendisti immaculata brachia tua, et effudisti sanguinem tuum ad redemptionem mundi, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

In secundo adventu tuo, quando apparebit hoc sanctum signum, dignos fac servos tuos iterum renovatione, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

Crux tua fiat nobis refugium, fulgens splendore suo, contrivit inimicum, delevit chirographum, ideoque dicta est lignum vitae ad redemptionem mundi. Exsultans exsultavit coelum et gavisa est terra, quando apparuit sancta crux fulgidissima sicut saphirus, quae radiis suis mundum illuminavit sicut sol. Exsultavit Jerusalem. Gavisi sunt credentes. Mirabiliter decorati sunt, viderunt enim potentissimum signum crucis. Creaturae omnes in luce resplendebant.

Et dicunt psalmum 18.

Antiphona: In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exsultavit ut gigas ad currendam viam.

Psalmus: Coeli enarrant gloriam Dei etc.

Alleluja. Alleluja.

Lectio e Cantico canticorum Salomonis. (8, 14.)

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreae aut hinnulo cervorum super montes aromatum. Exaltetur rex noster in repositorio et in lecto nostro, sicut palma aurea myrrha plena repleantur pocula nostra. Revertatur rex iterum in juventutem, dilectus in thalamos nostros.

Cantemus amorem. Ego etiam sum canticum psalmistae. Cantabo cum amicis meis. Cantemus et laetemur in te, rex dilecte. Quamvis occulti fuimus a videndo, oculi nostri sunt quinquaginta. Dominus fecit te, ornavit te, pulchra inter mulieres. Mater tua peperit corpus immaculatum.

Lectio prophetae Osee. (14, 6—8.)

Haec dicit Dominus: Ero quasi ros — et sicut vinum Libani erit Ephraim.

Lectio Isaiae prophetae. (27, 11—13.)

Mulieres — Jerusalem.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Galatas. (4, 27 — 5, 1.)

Filii mei, scriptum est: Laetare sterilis — jugo servitutis contineri.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

Diaconus: Alleluja, Orthi.

Evangelium secundum Lucam. (1, 26—38.)

A Patre omnipotenti.

Et in mense sexto missus est angelus — Et discessit ab illa angelus.

Gloria tibi Domine Deus noster.

Praeconium.

Diaconus: Pro superna custodia animarum credentium et praedestinatorum in unitate Dominum deprecemur.

Oratio.

Sacerdos: Deus sempiterne et creator omnium, te rogamus et petimus a te, qui per misericordiam tuam prospicis creaturis tuis. Suscipe, clementissime Domine, deprecationes nostras. Et sicut priorum matrimonium secundum legem Moisis conjunxisti, et post resurrectionem Unigeniti tui, qui in coelum ascendit, praeceptum novum demonstrasti nobis sanctam crucem fixam ad uniendos in matrimonium fideles tuos in te et in Unigenito tuo: da et nunc, Domine, hanc crucem tuam*) ad fortitudinem et custodiam confidentium in te. Per potentissimum hoc signum tuum remove ab eis mentem falsam et severam et omnes alias insidias, custodi eos a turpitudine, a viis tenebrarum et ab adulterii immunditia. Computetur mutua crucis mutatio in solemnitatem et fundationem firmi fundamenti aedificii sancti matrimonii, ut accipiant coronam decoris in capitibus eorum, et benedictione sanctae Trinitatis, quam decet laus, virtus et gloria nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Pater sancte et benedicte ab omnibus, qui benedixisti et sanctificasti hanc crucem in nomine Unigeniti tui per manus peccatoris servi tui benedictione Spiritus Sancti, et nunc rogamus te, Domine, mitte Spiritum Sanctum tuum in encaenia aedificii mei, quod stabilio nunc, custodi eos invicem immaculatos, et te duce perveniant ad tempus, quo impones coronam gloriae capitibus eorum. Nam tibi soli est gloria, et te decet honor, virtus et gloria nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

---

*) Scito, veteres pro rebus saecularibus sanctam crucem dedisse in signum sponsalium. R.

Deinde dant sponsalia sponsae aut matri sponsae.

Diaconus: Per sanctam crucem deprecemur Dominum, ut per eam nos deliberet a peccatis et salvos faciat per gratiam misericordiae suae. Omnipotens Domine Deus noster, salva et miserere.

Sacerdos: Custos et spes credentium, Christe Deus noster, custodi hos servos tuos.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

Ordo benedicendi vestem nuptialem.

Ante omnia ferunt vestem coram sacerdote, et sacerdos benedici vestem sic:

Diaconus: Et etiam Dominum pacis oremus. Suscipe, salva et miserere. Benedic Domine.

Sacerdos: Benedictio et gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, nunc, et semper.

Et incensat.

Hymnus. Hodie coelites p. 454. Mater lucis Maria p. 455. Supra petram fidei p. 455. Amoris p. 455.

Psalmus 44.

Antiphona: Adducentur regi virgines post eam: et consortes ejus adducent ei.

Psalmus: Eructavit cor meum verbum bonum.

Alleluja, Alleluja.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 10—62, 3.)

Gaudens gaudebo in Domino — in manu Dei tui.

Lectio epistolae Petri Apostoli inter catholicas primae. (3, 1—9.)

Similiter et mulieres — quia in hoc vocati estis, ut benedictionem haereditate possideatis.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Adducentur regi virgines post eam: et consortes ejus adducent ei.

Diaconus: Alleluja. Orthi.

Evangelium secundum Joannem (2, 1—11.)

De gloria Domini nostri Jesu Christi.

Et die tertia nuptiae factae sunt — et crediderunt in eum discipuli ejus.

Gloria tibi Domine Deus noster.

Diaconus: Et etiam Dominum pacis oremus. Suscipe, salva et miserere.

Sacerdos: Benedictio et gloria Patri et Filio.

Et signat sancta cruce sacerdos vestem, et dicit orationem:

Benedic Domine p. 456.

Et facit sacerdos signum crucis supra vestem dicens:

In nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Et induentes dicunt hymnum:

Hodie exsultant chori angelorum de fundatione tua in terra, o splendidum tabernaculum, coeli simile, sancta Ecclesia!

Exsulta petra venerabilis, umbra (refugium) nostra et spes.

Laetare sponsa immaculata, decenter velata.

Indue vestem gloriae et veni coram coelesti sponso.

Exsulta sterilis, mater multorum, ecce sponsus **venit ad te.**
Hic renovavit nos lavacrum baptismatis a ventre **matris, a spiritu** praegnantis, regenerans credentes in Christum.
Exsulta tu, quae antea non fuisti mater, ecce **Filius venit ad te.**
Diaconus: Per sanctam crucem.
Sacerdos: Custos et spes credentium.
Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.
Hic ordo persolvitur etiam in benedictione vestis sponsae, sed induunt eam secreto (proprie), in silentio, sine cantu.

Ordo faciendi Chatshpoch *)

Ante matrimonium accipiunt sponsum, eunt in domum sponsae et ducunt sponsam obviam sponso **) dicentes:
Inveni David servum meum: oleo sancto unxi eum.
Manus mea auxiliabitur ei: et brachium meum confortabit illum.
Et accipit sacerdos manum dexteram sponsae, et dat in manum dexteram sponsi dicens:
Accepit manum Evae, dedit in dexteram Adae. Dixitque Adam: p. 458.
Diaconus: Atque etiam Dominum pacis oremus. Suscipe, salva et miserere.
Sacerdos: Benedictio et gloria Patri et Filio.
Hymnus.
Inclinare p. 458.
Mater et virgo p. 458.
Victricem p. 458.
Deinde sacerdos imponit crucem capiti sponsi et sponsae, et dicit hanc orationem super eos:
Domine Deus aeterne, qui separatos et sejunctos conjungis in unionem, et unione colligas indissolubiles, qui benedixisti Isaacum et Rebeccam, eosque haeredes promissionum tuarum fecisti, et infallibili tuo verbo populos ab iis descendentes sicut arenam in littore maris multiplicasti. Et nunc benefice et misericors Deus, benedic hunc servum tuum et hanc ancillam tuam, quibus tuam sanctitatem tribuisti. Dirige eos, ut eant in operibus bonis et in via justitiae, inveniant gratiam coram te, et tuo mandato salvi fiant in hoc mundo, et videant filios filiorum suorum, pleni dierum, et in altero (mundo) bona aeterna et immarcescibiles coronas percipiant, per Jesum Christum Dominum nostrum, quem decet gloria, potestas et honor nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.
Pax omnibus. Deum adoremus.
Domine Deus, qui e gentibus desponsasti tibi sanctam Ecclesiam, ut appareat coram coelesti sponso, et dedisti coronam omnia vincentem sanctam crucem tuam, qui separatos conjungis in unum, eosque copulas vinculis pacti indissolubilis, qui benedixisti patriarchas, et haeredes tuae

---

*) Nome di una ceremonia nella benedizione del Matrimonio. Ciakciak. R.
**) Bodenstedt addit, sponsam hic coram sponso genuflectere.

repromissionis eos fecisti. Nunc benedic hunc servum tuum et hanc ancillam tuam per virtutem tuae crucis, nam tu es misericors et clemens, et te decet honor, virtus et gloria, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus: Per sanctam crucem.

Sacerdos: Custos et spes credentium Christe Deus noster, custodi servos tuos sub umbra.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

Ordo benedicendi virginis coronam.

(H. e. Benedictio primi matrimonii).

Postea veniunt in ecclesiam sponsa et sponsus, confessi peccata sua, et dicitur psalmus 121. Laetatus sum in his.

*Deinde faciunt funiculum *) trium colorum.*

Dum sponsi funiculum faciunt, dicunt psalmum 20. Domine in virtute tua.

Et cum sponsae funiculum faciunt, dicunt psalmum 44.

Antiphona: Adducentur regi virgines post eam: consortes ejus adducent ei.

Psalmus: Eructavit cor meum.

Deinde sacerdos accepta cruce admonet sponsum et sponsam eorumque consensum postulans dicit praecipiens:

Promittite coram Deo, custodire cum timore Dei mutuam firmitatem (constantiam) amoris divini, et hoc amore propter timorem Domini libenter ferre mutuum onus, praecipue corporales molestias, claudicationem, caecitatem, longum et incurabilem morbum, et alias molestias, sicut lex divina praecipit. Promittitis, recipitis in vos, studete exequi dicta?

Et hi dicunt: Ita **).

Et deinde dat sacerdos dexteram manum sponsae in manum dexteram sponsi dicens:

Juxta divinum mandatum, quod Deus dedit primoribus, ego N. sacerdos hanc sponsam do tibi nunc in obedientiam. Visne esse patronus?

Et sponsus dicit: Volo esse patronus voluntate Dei.

Et dicit sacerdos sponsae: Visne esse huic subdita?

Et respondet sponsa: Subdita sum juxta mandatum Dei.

Et haec interrogat sacerdos ter, et ter responsum dant ii.

Et deinde dicit sacerdos:

Si ergo hoc modo p. 454.

Deinde dicit:

Deus in medio eorum, et ipsi non commovebuntur, adjuvavit eos Dominus de diluculo in diluculum.

Et deinde dicunt psalmum 117. Confitemini Domino *usque ad versum:* Aperite mihi portas justitiae.

---

*) Narod, fili, cordoni, cordelle di varj colori. Drappi, vesti, ornamenti di varj colori. Ciakciak, R.

**) Cf. p. 454.

Et aperta porta intrant ecclesiam, dicentes psalmum 99. Jubilate Deo omnis terra.

Gloria Patri. Nunc et semper.

Praeconium.

Diaconus: Per hanc sanctam Ecclesiam ejus rogemus Dominum, ut per istam liberet nos a peccatis et salvet gratiâ misericordiae ejus, omnipotens Dominus Deus noster, salva et miserere.

Ter: Domine miserere.

Oratio.

Sacerdos: Ad portam sancti templi tui, et coram Deum ferentibus et clarificatis signis et sancto loco humiliati nos cum timore adoramus, sanctam, mirificam et victricem dominationem tuam laudamus, et tibi referimus virtutem et gloriam cum Patre et cum Sancto Spiritu, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et ducit sacerdos sponsum et sponsam, eosque ponit coram bemate.

Et dicunt Introitum Ecclesiae:

Pacem largire p. 459.

Diaconus: Et etiam Dominum pacis oremus. Suscipe, salva et miserere.

Sacerdos: Benedictio et gloria Patri et Filio.

Psalmus 92.

Dominus regnavit.

Hymnus.

Laetare p. 460,

Et si missa est post coronam, diaconus dicit: Benedic Domine. *Et sacerdos indutus dicit:* Nam tua est potestas, et virtus.

Diaconus: Proschume (Πρόσχωμεν).

Et dicunt simul ter: Sanctus Deus, sanctus et fortis, sanctus et immortalis, miserere nobis.

Et sponsus et sponsa osculantur crucem.

Diaconus: Et etiam Dominum pacis oremus.

Clerici: Domine miserere.

Pro pace totius mundi, et firmitate et caetera.

Diaconus: Benedic Domine.

Sacerdos: Quia misericors et hominum amator es, cum sis Deus, et te decet gloria, principatus.

Psalmus.

Domine in virtute tua laetabitur rex: et super salutare tuum exsultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Alleluja. Alleluja.

Lectio libri Genesecos (1, 26.)

Gen. 1, 26—28. Et ait Deus: Faciamus hominem — subjicite eam.

Gen. 2, 18. Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum — sibi.

Gen. 2, 21—24. Immisit — in carne una.

Lectio e Proverbiis (4, 20 — 5, 14.)

Fili mi, ausculta sermones meos — Pene fui in omni malo in medio ecclesiae et synagogae.

Lectio Isaiae prophetae. (61, 9 — 62, 6.)

Et scient in gentibus semen eorum — Dominum, nam non est similis tibi.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Ephesios. (5, 22—33.)

Mulieres viris suis subditae sint — virum suum.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.

In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exsultavit ut gigas ad currendam viam.

Diaconus: Alleluja. Orthi.

Evangelium secundum Matthaeum. (19, 1—9.)

Dominus noster Jesus Christus.

Et factum est, cum consummasset — dimissam duxerit, moechatur.

Laus tibi Domine Deus noster.

Credimus in unum Deum T. I. p. 431.

Et diaconus proclamat:

Ut dirigantur gressus nostri in viam pacis, Dominum deprecemur. Domine miserere.

Ut dispergantur a nobis omnes malae cogitationes, Dominum deprecemur.

Ut donentur nobis sanae cogitationes et integri mores, Dominum deprecemur.

Ut nos custodiat sub umbra omnipotentis dexterae ejus, Dominum deprecemur.

Ut conteratur adversarius subito sub pedibus nostris, Dominum deprecemur.

Pro animabus requiescentium, qui cum vera et recta fide dormierunt in Christo, Dominum deprecemur. Memento. Atque etiam unanimiter.

Animas nostras. Miserere.

Et ponunt coronam coram bemate, et sacerdos benedicit coronam, et dicit orationem:

Domine Deus exercituum p. 461.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Benedictus es omnipotens Deus, qui fecisti omnes creaturas tuas, coelestes et terrestres, vivifico verbo tuo, et formasti hominem manibus tuis ad imaginem divinae formae tuae, ordinasti et sociasti ei rationis (verborum) participem et vitae sociam illud os, quod sumpsisti ab ossibus ejus, et caro a carne ejus, et facti sunt duo in carnem unam.

Tu solus es misericors, qui humanitati nostrae coelestes et terrestres praeparasti coronas, coelestes sanctarum virginum et terrestres ad conjugium sponsorum. Benedic Domine matrimonium eorum tua misericordia, sicut benedixisti matrimonium Abrahae et Sarae, Isaac et Rebeccae, Jacob et Rachel. Et sicut dixisti per Apostolum tuum „honorabile connubium in omnibus et thorus immaculatus“ ita sanctum conserva lectum matrimonii eorum et largire iis semen secundum beneplacitum tuum, ut benedicantur per verbum tuum vivum, quod dixisti „crescite et multiplicamini, et replete terram“; et auge eos in augmentum sanctitatis, ut multiplicetur semen eorum supra terram, et digni efficiantur adoptione

haereditatis tuae, laudare Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Deinde accipit coronam, et signat sancta cruce et ponit in capite sponsi et sponsae, et dicit orationem.

Sacerdos: In nomine tuo vivo, Deus et Domine, creator coeli et terrae, qui mandato verbi tui fecisti omnes res, formasti primum hominem Adam, et firmasti in eo matrimonium Evae, coronasti eum gloria tua, et dixisti: Ecce boni (bona)*) sunt valde.

Benedixisti matrimonium Seth, et ab eo populata est terra usque ad Noe.

Benedixisti matrimonium Noe, et ab eo haereditata est terra usque ad Abraham.

Benedixisti matrimonium Abrahae et Sarae, Isaac et Rebeccae, Jacob et Rachel, et multiplicati sunt in terra, et in coeli coronati sunt. Benedixisti e tribu Judae David, et e semine David Mariam Virginem, et ex ea natus est Salvator mundi, nam tu eras coronator omnium Sanctorum. Eadem benedictione benedicatur corona haec et matrimonium eorum, ut hic servus tuus et haec ancilla tua in pace regant vitam suam omni pietate, ut amoveatur ab iis Satanas et misericordia tua fiat super eos. Et tibi referimus virtutem et gloriam cum Patre et Spiritu Sancto, nunc, et semper.

Deinde diaconus proclamat: Atque etiam cum fide; *et offertur missa, et communicantur sacro Sacramento. Et post missam.*

Hymnus: Orbis terrarum imperio etc. p. 463.

Diaconus: Per sanctam crucem deprecemur.

Sacerdos: Custos et spes credentium, Christe Domine noster, custodi servos tuos sub umbra.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

Et missa finita domum revertuntur.

Si vero sine missa coronam perficis, (i. e. matrimonium benedicis) post hymnum Laetare *dic psalmum* In virtute tua, *et lectiones lege, et ordinem coronae fac usque ad finem.*

Domum autem euntes dicunt hymnum.

Rex dum esses in mundo, ingressus es urbem Jerusalem, sedens super terrenum novum pullum, ut vocares gentes ad adorationem.

Senes cum ramis olivarum, infantes cum ramis palmarum et gregatim turbae clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.

Exsultavit sancta Sion, laetatae sunt sanctae ecclesiae et multo cum gaudio obviam venerunt et adventum tuum in mundum, Redemptor, benedixerunt.

Ordo benedicendi calicem nuptialem.

Et domum ingressi faciunt sedere sponsum in pulvinari et sponsam ad dexteram ejus. Et infuso vino in aliquod vas dicunt psalmum 22.

---

*) Genus enim non distinguitur. R.

Dominus regit me.

Gloria Patri. Nunc et semper.

Praeconium.

Diaconus: Petamus cum fide unanimiter a Domino, ut misericordine gratiam suam faciat super nos Dominus omnipotens, salvet et misereatur.

Ter: Domine miserere.

Oratio.

Sacerdos: Domine Deus noster, qui omnes res cum sapientia creasti et universum fundasti, et ornasti nuptias in Cana Galilaeae, et calicem in coenaculo benedixisti: benedic Domine † calicem hunc per sanctam crucem tuam ad conjugium horum servorum tuorum et ad medelam spirituum et corporum, ut digni efficiantur laudare Patrem et Filium et Sanctum Spiritum, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Et sancta cruce signat calicem iisque dat bibendum.

Diaconus: Per sanctam crucem deprecemur.

Sacerdos: Custos et spes credentium, Christe Deus noster, custodi hos servos tuos sub umbra.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

Et populus remittitur in pace in tecta sua.

Sed coronati vivant octo dies casti, aut quantum superiorum gratia definitum est.

Orto tollendi coronam.

Ferunt sponsam et sponsum, et ponunt caput ad caput, et dicunt:

Per signum potentissimae crucis tuae, Christe, custodi nos clementer ab invisibili inimico, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

Qui supra eam extendisti immaculata brachia tua, et effudisti sanguinem tuum ad redemptionem mundi, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

In secundo adventu tuo, quando apparebit hoc signum, dignos fac servos tuos iterum renovatione, nam tu solus es rex gloriae, benedictus in aeternum.

Psalmus 44.

Antiphona: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Et concupiscit rex decorem tuum.

Psalmus: Eructavit cor meum verbum bonum.

Deinde sacerdos tollit coronam de capitibus eorum et dicit hanc orationem:

Domine Deus omnipotens, a te benedictae sunt coronae hujus servi

tui et hujus ancillae tuae in templo gloriae sanctitatis tuae, in tabernaculo sanctae mensae tuae coram Deum portante et veneranda cruce tua. Eadem benedictione, Domine et Creator, benedic † eos et impera mihi, tollere coronas de capitibus eorum. Tu pro coronis obtinendis, quod mandatum est a tuo praecepto, angelum pacis tuae mitte, qui veniens custodiat eos sanctos et immaculatos, unius animi et unius cogitationis cum pavore et timore vivere ad glorificationem sanctissimae Trinitatis usque ad diem Domini nostri Jesu Christi. Et in constituto tempore laetentur seminibus suis, salvati ab insidiis Delatoris et fiant tibi populus et glorificatores sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Diaconus: Per sanctam crucem deprecemur Dominum. *Ter:* Domine miserere.

Sacerdos: Custos et spes credentium, Christe Deus noster, custodi hunc novum sponsum et sponsam sub umbra sanctae et venerandae crucis tuae in pace; libera eos a visibili et invisibili inimico et fac eos dignos, gratias agentes laudare te cum Patre et Spiritu Sancto, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

Benedicti estote a gratia Spiritus Sancti, ite in pace, et Dominus sit vobiscum. Amen.

---

b. *Ordo secundi matrimonii.*

Ordo secundae coronae, hoc est matrimonii viduarum.

Ferunt eos in ecclesiam, et sacerdos audit eorum confessiones, deinde dat manum in manum et interrogat praecipiens:

Promittitis p. 472.

Et hi dicunt: Ita.

Et deinde dat sacerdos dexteram manum sponsae in manum dexteram sponsi dicens:

Juxta divinum mandatum, quod Deus dedit primoribus, ego N. sacerdos hanc sponsam do tibi in obedientiam. Visne esse patronus?

Et sponsus dicit: Volo esse patronus voluntate Dei.

Et dicit sacerdos sponsae: Visne esse huic subdita?

Et respondet sponsa: Subdita sum juxta mandatum Dei.

Et haec interrogat sacerdos ter, et ter responsum dant ii.

Et deinde dicit sacerdos:

Si ergo hoc modo p. 454.

Deinde dicit:

Deus in medio eorum, et ipsi non commovebuntur, adjuvabit eos Dominus de diluculo in diluculum.

Deinde dicitur psalmus 20.

Domine in virtute tua laetabitur rex: et super salutare tuum exsultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Alleluja. Alleluja.

Lectio epistolae Pauli Apostoli ad Ephesios (5, 22—33.)

Mulieres viris suis subditae sint — virum suum.

Alleluja, Alleluja, Alleluja.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

Diaconus: Alleluja. Orthi.

Evangelium secundum Matthaeum (19, 1—9.)

Dominus noster Jesus Christus.

Et factum est, cum consummasset — dimissam duxerit, moechatur.

Laus tibi Domine Deus noster.

Praeconium.

Ut dirigantur gressus nostri in viam pacis, Dominum deprecemur. Domine miserere.

Ut dispergantur a nobis omnes malae cogitationes, Dominum deprecemur.

Ut donentur nobis sanae cogitationes et integri mores, Dominum deprecemur.

Ut nos custodiat sub umbra omnipotentis dexterae ejus, Dominum deprecemur.

Ut conteratur adversarius subito sub pedibus nostris, Dominum deprecemur.

Pro animabus requiescentium, qui cum vera et recta fide dormierunt in Christo, Dominum deprecemur.

Memento. Atque etiam unanimiter. Animas nostras. Miserere.

Deinde sacerdos legit hanc orationem:

Domine Deus noster, qui es Verbum p. 466.

Praeconium:

Diaconus: Exaudiat Dominus vocem deprecationum nostrarum. Omnipotens Domine Deus noster salva et miserere.

Et sacerdos imponit coronam capiti eorum, et dicit orationem:

Deus sempiterne p. 466.

Pax omnibus. Deum adoremus.

Domine Deus noster p. 466.

Praeconium.

Diaconus: Per sanctam crucem deprecemur Dominum, ut per eam liberet nos a peccatis et salvet gratia misericordiae suae. Omnipotens Domine Deus noster salva et miserere.

Oratio.

Sacerdos: Custos et spes credentium, Christe Deus noster, custodi hos servos tuos sub umbra sanctae et venerandae crucis tuae in pace, libera eos a visibili et invisibili inimico, fac eos dignos, gratias agentes laudare te cum Patre et Sancto Spiritu, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Benedictus Dominus. Pater noster, qui es in coelis.

3. Ordo matrimonii Armenorum ex Serpos.
(Tom. III. p. 165. sqq.)*).

Cum venerit dies celebrando matrimonio statutus**) aliquanto prius ad domum sponsae sacerdos cum suo diacono accedit et benedicit arrham sponsalem et vestes nuptiales, devotissimasque orationes recitat ad Dominum orans, ut sponsos velit felicitate donare, totamque dotalem supellectilem sponsae benedicere, ut ornamenta corporalia ipsam magis ac magis excitent, ut animam coram angelis virtutibus statui matrimonii propriis adornet. Venit interea sponsus magna pompa et magno parentum, amicorum et notorum comitatu stipatus, ditissimis, quas habet, vestibus indutus et gladio accinctus, et domum sponsae ingressus ipsam invenit in decentiori camera domus paternae cum matre aliisque propinquis mulieribus, a capite ad pedes velo rubro coopertam, quod circa

---

*) Haec, quae sequuntur, sunt sponsalia de praesenti. Quoad sponsalia de futuro ab omnibus testibus: Tavernier p. 196. Tournefort p. 167. et Serposio traditur, ab Armenis desponderi liberos quin unquam se viderint, pueros etiam duorum vel trium annorum; imo etiam a matribus prolem, quam adhuc utero gerunt, desponderi ea conditione, si utriusque sexus sint. Res tota a matribus conciliatur et matre defuncta in ejus locum propinquior cognata cedit. Accedit autem mater sponsi prior ad matrem sponsae et conjugium proponit. Quae quum de negotio convenerint, ad maritos referunt et sponsi ea sequuntur, quae a parentibus statuta sunt. Sponsus, teste Serposio, mittit sponsae donum nuptiale plus minusve pro status conditione pretiosum, communiter vero gemmis et pecunia magna compositum; sponsa etenim invicem, praeter vestiarium et ornatum muliebrem suum etiam suppellectilem thalami marito affert i. e. lectum, lecticulam, sedilia, tabulas, candelabra et alia hujusmodi. Tempore, quod coronationem seu formalem celebrationem matrimonii antecedit, non familiariter agunt sponsus et sponsa, imo ne quidem se vident invicem. Quodsi longiori tempore matrimonium differatur, ex Tavernier et qui eum sequitur Tournefort, sponsus quotannis in festo Paschae sponsae vestem cum omni ornatu statui suo conveniente tradere debet. Ritus autem sponsalium ab his duobus ita describitur. Mater sponsi cum duabus matronis aetate provectis et sacerdote in domum sponsae venit, eique sponsi nomine annulum tradit. Post vero supervenit sponsus, sacerdosque ad eum benedicendum aliquid ex evangelio legit, tunc ei aliqua pecunia pro patris sponsae fortuna traditur. Denique potus praebetur coetui. Iisdem testibus die, quae nuptias antecedit, sponsus sponsae vestes mittit et ipse paulo post id quod ipsi a matre sponsae donatur, sumturus accedit. Quodsi sponsa matrem vivam non habeat, una ex propinquis aetate provecta sponsum vestit.

**) Ex Serposio nuptiae solemnes non fiunt in diebus jejunii et abstinentiae, neque in Dominicis, neque in festis Domini nec tempore Paschali. Plerumque feriam secundam nuptiis destinari. Ita et Ricaut, qui saec. XVII. partes illas peragravit (in libro Cérémonies religieuses T. III. p. 230. et ap. Bodenstedt in libri sui appendice) tradit, feria secunda mane benedici nuptias apud Armenos, solemnitatem die Dominica vespere ordiri.

ipsam quasi tentorium repraesentat. Ipsa aliquot passus sponso obviam procedit illumque aliquibus inclinationibus salutat. Tunc sacerdos, qui adest, dicto psalmo 88: Misericordias Domini in aeternum cantabo, sumit manum dexteram sponsae, ipsamque porrigens assumendam manui item dexterae sponsi, dicit: Tenente Deo manum Evae p. 458. Postea appropinquans caput sponsae ad sponsi caput usque ad mutuum contactum et ponens super ambo capita parvam crucem*) orat ita: Domine Deus noster p. 458.

Qua oratione dicta cum aliis devotissimis, sponsus et sponsa cum suo comitatu procedunt ad ecclesiam, in qua desponsandi sunt**): et cum ad portam pervenerint, sive ad atrium, ter genuflectunt et interea recitatur psalmus 121: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi etc. Tunc faciunt professionem fidei coram sacerdote, et etiam confitentur . . . . Tunc nectuntur duo serta et dum formatur illud, quod sponso inserviet, recitatur psalmus 20: Domine, in virtute tua laetabitur rex etc. et dum componitur illud, quod sponsae inserviet, recitatur psalmus 44: Eructavit cor meum verbum bonum etc. Quibus psalmis recitatis sumit sacerdos manu crucem et conversus ad sponsos ipsis omnia officia

---

*) Haec capitum junctio, quae secundum Serposium et ordinem a nobis ex rituali Constantinopoli impresso editum hic et ad depositionem coronae fit, ex relatione Taverneri usurpatur, cum in ecclesiam pervenerint et de mutuo consensu interrogantur.

**) Accessum ad ecclesiam ita describit Tavernier (p. 196.) Die nuptiali equos ascendunt quos meliores habent vel commodant, praecedit sponsus tectus vel velo ex lino rubro confecto, vel reti argenteo vel aureo usque ad ventrem pertingente. Manu tenet finem zonae trium vel quatuor ulnarum longitudinis, cujus alterum finem tenet sponsa, quae equo vecta et velo albo, usque ad pedes pertingente mediumque equum tegente, sequitur. Equorum frena tenent duo hinc inde comitantes, vel si infantes sint, qui nubant (nam et trium vel quatuor annorum infantes nonnunquam matrimonio jungunt) tres vel quatuor homines, qui equos ducant puerosque sustentent. Sequuntur cum magna plebis copia, amici et propinqui, pedites vel equites cereosque deferentes, et post eos musici tubis, tympanis aliisque instrumentis sonantes. Ecclesiam sponsi ingrediuntur zonam jugiter retinentes. Ex opere illo Cérémonies religieuses de tous les peuples (p. 229.) addendum, nonnunquam etiam pedites ad ecclesiam procedere. Sponsam tunc a duabus matronis deduci; sponsum incedere comitante paranympho puero, qui ejus gladium defert. Idem opus ad haec insuper addit (p. 230): Julfae, quae ex adverso est Ispahan, propriae istae sunt ceremoniae. Die nuptiarum sponsus unicuique convivorum cereum tradit. Puellae onustae vestibus aliisque donis, sonantibus instrumentis musicis, et sequentibus mulieribus quibusdam intrant et crucem viridem ex serico in pectus sponsi figunt; a sacerdote benedicuntur vestes sponsi et sponsae iisque statim vestiuntur. Sponsus vestitus cum amicis suis ad sponsam accedit eamque salutat et ab ea salutatur. Tunc puellae eaedem alteram crucem rubram super priorem affigunt. Mulieres strophiolum afferunt, cujus finem alterum utrique assumunt sponsi, itaque ad ecclesiam accedunt. Paranymphum et paranymphammatrimoniis Armenorum etiam interesse, alibi memorat Serposius.

matrimonii diffusius exponit, alta voce inculcans, istud magnum esse sacramentum in Ecclesia Jesu Christi; quod ejus vinculum est indissolubile etc. Et quaerit ab ipsis, utrum parati sint ad satisfaciendum omnibus oneribus et officiis matrimonii; et respondent ambo, se cum divina gratia paratos esse. Tunc sacerdos iterum sumens manum dexteram sponsae et sponso eam porrigens dicit: Juxta divinum mandatum, quod Deus dedit primoribus, ego N. sacerdos hanc sponsam do tibi nunc in obedientiam: visne esse patronus? Respondet sponsus manum sponsae tenens:. Voluntate Dei volo esse patronus. Postea interrogat sponsam, utrum velit suo marito subjecta esse: Visne esse huic subdita? Et ipsa respondet: Subdita sum juxta mandatum Dei. Tribus vicibus interrogationes istae a sacerdote fiunt, et totidem vicibus respondetur modo supra dicto *); post haec eis dicit: Si ergo p. 454. Tunc tribus vicibus repetit: Deus in medio horum, et ipsi non commovebuntur, adjuvabit eos Deus de diluculo in diluculum. Tunc recitatur psalmus 117: Confitemini Domino, quoniam bonus etc. et ad versum: Aperite mihi portas justitiae, ingressus in eas confitebor Domino; aperiuntur portae ecclesiae, et ingrediuntur cum universo comitatu dicendo psalmum 99: Jubilate Deo omnis terra etc. Sacerdos sponsos ad pedem sacri altaris conducit, et inchoatur missa pro nuptiis: ...., in qua recitantur aliquae lectiones ex Vetere et Novo Testamento, quae ad sacramentum matrimonii referuntur, et evangelium sancti Matthaei c. 19: Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, usque ad: et qui dimissam duxerit, moechatur. Post evangelium sacerdos benedicit coronas supra dictas, et multum orat, ut ita benedicatur matrimonium novorum conjugum a Deo Domino, sicut benedictum fuit illud patriarcharum et justorum utriusque Legis **). Quibus precibus completis imponit coronas capitibus sponsorum, iterum eis implorans omnia bona spiritualia et corporalia, et signat eos cruce. Dum coronatur sponsus, recitatur psalmus: Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Dum coronatur sponsa, recitatur psalmus 44: Eructavit cor meum verbum bonum etc. Postea

*) Tavernier p. 196. haec ita describit: sponsus et sponsa cum in ecclesiam pervenerint, usque ad gradus sanctuarii progrediuntur. Ibi frontibus se tangunt eorumque capitibus sacerdos tergo ad altare verso sacram scripturam imponit, impositamque relinquit, dum consensus exquiritur. Sacerdos a sponso exquirit: assumisne talem in uxorem? et a sponsa: assumisne talem in maritum. Qui capitis nutu respondent. Ex libro Cérémonies religieuses p. 230 Julfae haec propria fiunt. Post interrogationem sacerdotis et ante benedictionem paranymphus puer sponsorum manus et capita strophiolo illo, de quo supra, juncta tenet. Tunc cruce, de qua etiam in nota praecedente mentio facta, cooperiuntur et cooperti remanent usque ad finem orationum.

**) Formula benedictionis nuptialis ex P. Monier haec est: Benedic Domine, hoc matrimonium benedictione perenni, et concede ipsis per istam gratiam, ut servent fidem, spem et charitatem, da ipsis sobrietatem, inspira ipsis pias cogitationes, serva ipsorum torum sine macula. (Cérémonies religieuses p. 229.)

recitantur duae lectiones, una ex libro Proverbiorum c. 5, v. 15, quae incipit: Fili, bibe aquam de cisterna tua etc et finem habet: Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera etc. c. 6, v. 3. Altera sumpta est ex epistola I. sancti Petri cap. 3, vers. 1, quae incipit: Similiter et mulieres subditae sint etc. et terminatur: ut benedictionem haereditate possideatis v. 9. Tunc legunt evangelium sancti Joannis c. 2. Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae etc. usque ad: et crediderunt in eum discipuli ejus. Lecto hoc altero evangelio, iterum sacerdos super sponsos multas devotas orationes pronuntiat, et pluries cruce signat, et precatur Dominum, ut ex alto throno suo benedicat eorum matrimonio et eos omni bono adimpleat: et dicto Pater noster, absolvitur ritus coronationis et prosequuntur missam, in qua novi sponsi sacram communionem recipiunt. Missa finita cum toto comitatu ex ecclesia discedunt et ad domum sponsi procedunt, et per viam cantantur hymni et alia cantica sacra. Quum ad domum sponsi pervenerunt*), maritum in conopaeo jam praeparato sedere faciunt et ad dexteram ejus uxorem ponunt; et scyphum pulchrum sumentes vino implent, quod a sacerdote benedicitur, qui in oratione, quae hac occasione dicitur, memorat miraculum a Christo in nuptiis in Cana factum. Cujus vini ita benedicti ipse aliquantulum bibendum porrigit sponsis, et praeberi solent etiam ipsis amygdala et cibus confectus ex butyro, saccharo et melle. Interea dum haec collatio sumitur, cantatur rhythmus plenus auguriis prosperitatum aeternarum et temporalium, quae Ecclesiae nomine ad sponsos diriguntur, et dicta a sacerdote in fine brevi oratione et Pater noster, pro ea die terminantur functiones ecclesiasticae et omnes adstantes sponsorum coronas cum devotione osculantur. Quae coronae ab ipsis per octo dies in capite deferuntur vel per tres saltem, et per hoc temporis spatium separati et omnino continentes vivunt**). Hoc tempore elapso iterum venit sacerdos cum diacono ad tollendas coronas, et primo quidem sacerdos eorum capita ad invicem usque ad contactum appropinquat, et ipsis gladium evaginatum imponit, tunc crucem, et multas orationes recitat, quibus a Deo sponsis precatur pacem, concordiam, dilectionem, castitatem conjugalem, fecunditatem, prosperitatem, vitam aeternam; ipsisque ultricem iram Dei minatur, si alter alteri infidelis fiat, ad quod alludit cerimonia gladii supra dicta. Denique implet scyphum vino et benedicit et bibendum praebet sponsis, et dicto Pater noster et benedictione sacerdotali eis data, eos in pace relinquit, et deinde coire eis conceditur et sponsa magnum velum deponit, de quo supra mentio facta est.

---

*) Bodenstedt inter usus quosdam non scriptos etiam hunc memorat, sponso gladium porrigi, quem ad portam stans in altum extendit sponsamque subter ipsum transgredi sinit. Vidit etiam dari sponso scutellam, quam confregit et pedibus calcavit.

**) Ricaut in Cérémonies religieuses p. 230. tradit, solemnitatem nuptiarum per tres vel quatuor dies protrahi cum magno gaudio. Sponsa per id tempus jugiter fere in sella sedet neque eam obdormire sinunt. Neque, eodem teste, consummatur matrimonium, nisi feria quarta vel quinta mane.

RITUS EXTREMAE UNCTIONIS.

Ritus extremae unctionis ecclesiae Alexandrinae Coptitarum.

1. Ex rituali Gabrielis patriarchae*).

(Gallice edidit Renaudot Perpétuité l. 5. c. 2. col. 921. sq.)

Impletur oleo exquisito Palaestinae**) lampas septem brachia habens, quam lampadem collocant ante imaginem B. Mariae sanctissimae, prope quam evangelium et crux adsit. Conveniunt presbyteri septem: nihil tamen vetat, quin major aut minor horum numerus sit. Horum prior exordium ducit ab ea gratiarum actione, quam habet liturgia S. Basilii; thus adolet, antequam epistolam S. Pauli perlegat. Tum omnes recitant Kyrie eleison, orationem Dominicam, psalmum 31, precem pro aegris, quae pariter in liturgia extat, aliasque peculiares, quas habet extremae unctionis officium. His ad finem deductis accenditur unum ellychnium in uno lampadis brachio, crucis signo super oleum facto. Interea reliqui psalmos concinunt. Postquam reliquis precibus pro aegrotis fusis finis impositus est, legitur portio epistolae catholicae S. Jacobi in Cophtam linguam conversae: quae pariter epistolae portio Arabum lingua expressa recitatur. Sequuntur Sanctus, Gloria Patri: oratio evangelii, psalmus, qui alternatim recitatur. Exinde evangelium Cophta et Arabica lingua ennunciatum: tres quoque preces, quae in liturgia describuntur, quarum prior ad Patrem dirigitur, altera pro pace assequenda recitatur,

*) Teste Renaudotio confirmatur hic ordo testimonio Ebnassali c. 20. suae collectionis.

**) Echmimi, teste Renaudotio l. c., de benedictione hac olei infirmorum loquens, huic ait non immisceri chrisma, neque illi, quo in reconciliandis poenitentibus quibusdam utuntur.

generalis est tertia. Symbolum Nicaenum denique, et oratio, quae illud subsequitur.

Secundus presbyter portionem sibi assignatam exorditur a benedictione ellychnii, seu brachii lampadis sibi tributi, signum crucis super illud efformando, accendendoque ellychnium, recitat deinde orationem Dominicam, tresque alias liturgiae preces, lectionem unam ex sancto Paulo desumens, alteram ex evangelio, peculiarem denique pro aegroto. Reliqui presbyteri juxta eorum gradum ejusdem generis preces recitant, adeo ut officium istud *) septem lectiones ex epistolis apostolicis, totidem ex evangelio, septem quoque psalmos, et septem communes preces ex liturgia desumptas complectatur.

Postquam vero haec omnia completa sunt, is, pro quo officium benedictionis lampadis celebratur, si id per corporis vires licet, accedit, facie ad orientem conversa. Presbyteri evangeliorum librum et crucem super illius caput elatam tenent, illique manus imponunt: de his presbyteris senior orationes proprias recitat, iidem vero presbyteri aegrotum erigunt, illique libro evangeliorum benedictionem impertiunt, et Dominicam orationem recitant, tum librum aperiunt, recitantque precem illam, quae in libro, dum aperitur, forte obtigit. Symbolum recitant et tres preces. Post haec super aegroti caput crucem extollunt, statimque super eundem aegrotum generalem absolutionem in liturgia positam pronunciant. Post haec, si per tempus licet, alias preces recitant, fitque in ecclesia cum lampade benedicta et candelis accensis processio, qua scilicet petatur a Deo, ut per intercessionem martyrum aliorumque Sanctorum convalescat aegrotus. Quod si forte aegrotus ipse nequeat incedere, alter substituitur, qui aegroti vices agat. Imposito processioni fine presbyteri aegrotum ungunt: seque invicem postea ungunt, in qua tamen unctione ritum ab eo diversum, quo unctus est aeger, servant.

2. Ordo Kandil sive lampadis Alexandrinus ex Tukio.

(Hunc ordinem ex Tukiano Euchologio, ex optimis codicibus Vaticanis confecto traductnm, a Stephano Borgia, S. Congregationis de Propaganda Fide sibi exhibitum, edidit Joannes Chrysostomus Trombelli in tractatu de extrema unctione T. II. diss. 7. c. 2. art. 18. p. 187. sqq. Est autem apud Tukium duplex ordo, diffusior et contractior, ille est, quem vertendum selegerunt. Cum autem haec versio ex Arabica traductione Coptico originali addi solita confecta appareret, ex illo a Scholzio nostro novam institui curavimus. Sed et ordinem lampadis ex codice Vaticano procuravimus post hunc subjiciendum, ne cum Trombellio solum Tukium exhibeamus.)

Ordo (ἀκολουθία) olei sancti i. e. oratio (προσευχή) olei infirmorum, quam vocant lucernam (φανός); (Arabs. candela).

Congregentur septem presbyteri (πρεσβύτερος) *et impleant lucernam* (φανός) *oleo, et ponant in ea septem lina non accensa. Sacerdos magnus dicat gratiarum actionem. Imponat thus et dicant omnes psalmum 50, videlicet:*

---

*) Id expresse docet auctor Scientiae ecclesiasticae, teste Renaudotio.

Miserere mei Deus secundum . . . *usque ad finem.*

Sacerdos dicat orationem (εὐχή) *infirmorum.*

Iterum (πάλιν) igitur supplicemus Deo omnipotenti (παντοκράτωρ) et ita porro) Patri Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi. Suppliciter petimus et rogamus benignitatem (— ἀγαθός) tuam, amator hominum: reminiscere Domine aegrotorum populi (λαός i. s.) tui.

Diaconus dicit: (ὁ διακων λέγει·)

Orate pro patribus et fratribus nostris infirmis in infirmitate quacunque sive (εἴτε) in hoc loco (τόπος) sive (εἴτε) in omnibus locis, ut (ἵνα) Christus Deus noster donet nobis cum ipsis salutem et sanitatem, ut remittat nobis peccata nostra.

***Chorus* (χόρος) *dicit*:**

Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱερεὺς λέγει):

Quos visitasti in misericordiis et miserationibus, sana eos, tolle ab iis et a nobis morbos omnes et languores omnes, spiritum (πνεῦμα) infirmitatis persequere, qui diuturno tempore decumbunt in languoribus, erige eos et consolare eos; qui cruciantur a spiritibus immundis (πνεῦμα ἀκάθαρτον), fac eos omnes liberos. Qui sunt in carceribus sive metallis (μεταλως?) sive qui sunt in exsilio (ἐξωρηστια?) sive captivitate (αἰχμαλωσία) sive eos qui retinentur in servitute acerba: Domine, fac eos omnes liberos et miserere eorum, quia tu solvis vinctos, et erigis elisos, spes (ἐλπίς) eorum, quibus non est spes (ἐλπίς), auxilium (βοήθεια) eorum, quibus non est auxiliator (βοηθός), consolator eorum, qui pusillo sunt corde. Portus (λυμην = λιμήν) eorum, qui sunt in procella (χειμών): animae (ψυχή) omni afflictae et captivae: da eis Domine misericordiam, da eis requiem, da eis refrigerium, da eis auxilium (βηθια = βοήθεια). Nos autem (δέ) etiam, aegrotos in animabus (ψυχή) nostris, sana nos et corporibus (σῶμα) etiam nostris medere, medice vere animarum (ψυχή) et corporum (σῶμα) nostrorum, curator (ἐπίσκοπος) omnis carnis (σάρξ), visita nos in salutari tuo.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Et sacerdos (ἱερεύς) *dicit hanc orationem* (εὐχή).

Dedisti gratiam tuam, o (ὦ) misericors super manus (s. posuisti in manibus) Apostolorum tuorum, o (ὦ) amator hominum, ut sanarent in unctione tua sancta omnes plagas (μάστιγξ = μάστιξ) et languores omnes eorum, qui veniunt in fide ad donum (δωρεά) tuum: nunc igitur in dextera tua munda nos ab omnibus infirmitatibus, et fac nos dignos per benignitatem (ἀγαθός) tuam gaudio tuo indeficiente immarcescibili, et signa (σφραγίζειν) eos qui veniunt ad te in fide sua, ut sit ipsis, cum unxerint eos sacerdotes tui, salus ab infirmitatibus ipsorum animae (ψυχικόν) et corporis (σωματικόν), sicut (κατά) dixisti per os Jacobi discipuli (μαθητής) tui. Tu Domine annuntiasti ab initio per ramum olivae, quod recessisset inundatio (κατακλυσμός): in unctione tua sancta et in nomine tuo, o (ὦ) misericors, salva aegrotum credentem in te per intercessiones (πρεσβεία) Matris salutis.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit: (ὁ ἱερεὺς λέγει·)

O (ὦ) qui mandasti aegrotis, ut vocarent presbyteros (πρεσβύτερος) Ecclesiae (ἐκκλησία), ministros divinitatis tuae, ut ungerent se in oleo sancto in nomine tuo, ut salvarentur: salva, o (ὦ) bone (ἀγαθός), servum tuum in hac unctione per intercessiones (πρεσβεία) Virginis (παρθένος) Matris salutis.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit: (ὁ ἱερεὺς λέγει·)

O (ὦ) misericors meretricis (πορνή), quae rediit ad te, quae poenitentiam egit (μετανοεῖν) ab initio (Arabs: jam olim), et unxit pedes tuos (in) unguento, et lavit eos lacrymis poenitentiae (μετάνοια) suae, misertus es et remisisti ei peccata sua: hoc modo fac misericordiam cum servo tuo infirmo per intercessiones (πρεσβ.) Virginis (παρθ.) Matris salutis.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ο ἱερεὺς λέγει):

Sana Domine animas (ψυχή) nostras et corpora (σῶμα) nostra in signaculo (σφραγίς) divino tuo et manu tua excelsa, quia tu es Dominus nostrum omnium, per intercessiones Virginis Matris salutis.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱερεὺς λέγει):

O (ὦ) Salvator (σωτήρ) et amator hominum, tu dedisti gratiam prophetis (προφήτης), regibus et archisacerdotibus (ἀρχιερεύς): ita da in hoc oleo divino iis, qui unguntur in eo, et protege (σκεπάζειν) eos ab omni impugnatione diabolica (διαβολικόν), et inclina ad eos et veni ad eos in facie misericordiae tuae, et respice in oculo benignitatis (— ἀγαθός) tuae et benedic eis et extende manum potentiae tuae et da servis tuis salutem animae (ψυχικόν) et corporis (σωματικόν), per intercessiones (πρεσβ.) olivae plantatae in domo Dei, Matris salutis.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱερεὺς λέγει):

O (ὦ) medice infirmorum, remissor peccatorum, qui liberas ex tribulationibus omnes venientes ad te, portus (λιμήν) salutis ex motibus fluctuum: fac misericordiam afflictis in infirmitatibus et libera eos a morte mala et perfice orationem sacerdotum tuorum, servorum tuorum, et emitte ex alto pluviam misericordiae tuae, et lava sordes ejus et effunde oleum et vinum sanationis tuae super vulnera ejus, ut laudemus in cantico (συμφωνία) uno dicentes: Benedicite Domino omnia opera Domini, per intercessiones (πρεσβ.) ejus, quae portavit salutem, ejus, quam laudamus, cui benedicimus dicentes: Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui.

Deinde fundit sacerdos paululum olei in lucerna (φανός), *accendat linum et dicat*:

Pro pace (εἰρήνη) superna: Dominum deprecemur (Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν). Kyrie eleison.

Pro sanctificatione (ἁγιασμός) hujus domus et habitantium in ea: Dominum deprec. (ut supra).

Pro patribus et fratribus nostris christianis (χριστιανός): Dom. depr. (ut supra).

Pro servo tuo N. Dominum depr. (ut supra).

Deinde sacerdos dicat hanc orationem:

Domine, miserator revela misericordiam tuam omnibus, et ostende virtutem tuam in salute venientibus in fide ad unctionem sacerdotum tuorum, et sana eos in gratia tua, et omnes qui ceciderunt in dolores (πάθος), erue eos a sagittis inimici et afflictionibus sensuum et doloribus corporis (σῶμα) et omnibus rebus odibilibus occultis et manifestis, per intercessiones (πρεσβεία) Dei Genitricis (θεοτόκος) et deprecationes angelorum (ἄγγελος) et sanguinem martyrum (μάρτυρος) et orationes sanctorum et archisacerdotum (ἀρχιερεύς) et chori (χόρος) sacerdotum et populi universi christiani. Rogamus te, Domine, pro servo tuo N., ut (ἵνα) descendat super eum gratia Spiritus (πνεῦμα) Sancti tui, et remittas ei praevaricationes (παράπτωμα) ejus universas et liberes eum ab omnibus afflictionibus, et liberes nos omnes. Amen.

Sacerdos dicat hanc orationem (εὐχή) *super oleum. Invocatio* (ἐπίκλησις) *in secreto.*

Domine, miserator sanator vulnerum animarum (ψυχή) nostrarum et corporum (σῶμα) nostrorum, sanctifica (ἁγιάζειν) hoc oleum, ut sit omnibus, qui unguntur ex ipso, salus ex contaminationibus spiritus (πνεῦμα) et doloribus (πάθος) corporis (σῶμα), ut (ἵνα) et in hoc glorificetur nomen sanctum tuum.

Sacerdos (ἱερεύς) *clamat:*

Quia tua est gloria et salus et tibi (offerimus) mittimus sursum gloriam, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc et semper et in saecula. Amen.

Lege catholicam epistolam (καθολικὸν ἐπιστολή) *Jacobi 8. (Vulg. Jac. 5, 10—20).*

Dic Trisagion (τρισάγιον) *et orationem* (εὐχή) *evangelii* (εὐαγγέλιον)*:*

Dominator Domine Jesu Christe Deus noster, qui misisti sanctos (ἅγιος) discipulos (μαθητής) tuos, et Apostolos (ἀπόστολος) sanctos in mundum (κόσμος) universum, ut annuntiarent evangelium (εὐαγ.) regni tui, et erudirent omnes gentes (ἔθνος) in cognitione tua vera: rogamus te Domine noster, ut aperias aures cordium nostrorum ad auditionem evangelii sancti tui in oratione sanctorum tuorum.

Diaconus dicat:

Orate pro sancto evangelio. Προσεύξασθε ὑπὲρ τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. Kyrie eleison.

Sacerdos (ἱερεύς) *dicit* (λέγει)*:*

Et ut aperias sensus (αἰσθητήριον) animarum (ψυχή) nostrarum, et corporum (σῶμα) et spirituum (πνεῦμα) nostrorum, et simus (optativ.) digni, qui non solum (οὐ μόνον) auditores, sed (ἀλλά) etiam factores simus mandatorum tuorum sanctorum secundum (κατά) voluntatem Dei Patris tui boni (ἀγαθός), cum quo es benedictus et Spiritu Sancto vivificante consubstantiali (ὁμοούσιος) tecum, nunc . . .

Psalmus 6.

Miserere mei Deus, quoniam infirmus (ἀσθενής) sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Lectio (λέξις).

Domine ne in furore tuo arguas me neque in ira tua corripias me.

Evangelium secundum Joannem (εὐαγγ. κατὰ Ἰοάννην) *Cap. 10. (Vulg. 5, 1—17):*

Sacerdos dicat tres orationes magnas. Pacem (εἰρήνη), *quae est:*

Iterum (πάλιν) igitur rogemus Deum omnipotentem (παντοκρ.), Patrem Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi. Rogamus et obsecramus benignitatem (— ἀγαθός) tuam, amator hominum, memento, Domine, pacis (εἰρηνή) tuae unius, solius, sanctae catholicae (καθ.) et apostolicae (ἀποστ.) Ecclesiae.

Diaconus dicit:

Orate pro pace sanctae unius catholicae et apostolicae orthodoxae Dei Ecclesiae.

Προςεύξασθε ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τῆς ἁγίας μόνης καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ὀρθοδόξου τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)*:*

Quae pertingit a finibus orbis terrarum (οἰκουμένη) usque ad fines.

Populis (λαός) omnibus, et gregibus omnibus: benedic eis; pacem (εἰρήνη) de coelis da in corda nostra omnium, sed (ἀλλά) etiam aliam pacem (εἰρ.) hujusce vitae (βίος), dona (χαρίζεσθαι) nobis eam propitius. Reges (ἄρχων), consiliarios, populos, vicinos nostros, intrantes ad nos et exeuntes a nobis: consolare eos in omni pace (εἰρ.). Rex pacis (εἰρ.) dona nobis tuam pacem (εἰρ.)

Omnia enim (γάρ) donasti nobis: acquire nos tibi Deus, quia non cognoscimus alium extra te. Nomen sanctum tuum narramus. Vivant animae (ψυχή) nostrae per Spiritum (πνεῦμα) Sanctum tuum, et ne praevaleat super nos servos tuos mors peccatorum (abstractum) neve (οὐδέ) super populum (λαός) tuum universum.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Oratio (εὐχή) *pro patribus: Papa* (παπα) *et patriarcha* (πατριάρχης) *et episcopis* (ἐπίσκοπος).

Iterum (πάλιν) igitur rogemus Deum omnipotentem (παντοκρ.) Patrem Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi. Rogamus et obsecramus benignitatem (— ἀγαθός) tuam, amator hominum: memento, Domine, pontificis (ἀρχιερεύς) nostri Papa (παπα) Abba (ἄββα) N. et patriarchae (πατρι.) nostri patris gloriosi archiepiscopi (ἀρχιεπίσκοπος) Abba (ἄββα) N. *)

Diaconus dicit:

Orate pro pontifice nostro Papa Abba N., et patriarcha Domino N. archiepiscopo magnae civitatis Alexandriae et orthodoxis episcopis nostris. Kyrie eleison.

Προςεύξασθε ὑπὲρ τοῦ ἀρχιερέως ἡμῶν Παπα ἀββᾶ N. καὶ πατριάρχου Κυρίου N. ἀρχιεπισκόπου τῆς μεγάλης πόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν ἐπισκόπων. Κύριε ἐλέησον.

---

*) Haec formula uti est ap. Renaudot Lit. T. I. p. 10. ita sonat: Memento, Domine, beati Patris nostri et venerandi Archiepiscopi Papae N., ejusque in ministerio apostolico consortis venerandi Patris episcopi N. Caeteroquin orationes istae majores ejusdem sunt tenoris ac illae, quae in Liturgia S. Basilii Coptica et ordine communi Aethiopum et officii baptismi Coptico ponuntur.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)

In custodia custodi eum nobis multitudinem annorum et tempora tranquilla (εἰρηνικόν), ut perficiat sanctum quem commisisti ei a te pontificatum (— ἀρχιερεύς) secundum (κατά) voluntatem tuam sanctam et beatam (μακαρίον), ut dispenset („secare") verbum veritatis in directione, ut pascat populum (λαός) tuum in sanctitate et veritate. Et episcopis (ἐπισκ.) omnibus orthodoxis (ὀρθοδ.) et presbyteris (πρεσβ.) et diaconis (διακων) et multitudini universae tuae unius solius sanctae catholicae (καθ.) apostolicae (ἀποστ.) Ecclesiae (ἐκ.) concede (χαρίζεσθαι) ipsis nobiscum pacem (εἰρ.) et salutem undecunque (ex omnibus locis). Orationes (προςευχή) autem (δέ) eorum, quas faciunt pro nobis et pro populo (λαός) tuo universo, et nostras etiam pro ipsis suscipe super altare (θυσιαστήριον) tuum sanctum rationale (ἐλλόγιμον) in odorem suavitatis, et inimicos eorum quidem (μέν) visibiles et invisibiles, contere eos et humilia sub pedibus eorum celeriter, ipsos autem (δέ) custodi in pace (εἰρ.) et sanctitate et justitia (δικαιοσύνη) in Ecclesia tua sancta.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Oratio (εὐχή) *pro congregationibus nostris:*

Iterum (πάλιν) rogemus Deum omnipotentem (παντ.), Patrem Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri J. Ch. Rogamus et obsecramus benignitatem (— ἀγαθός) tuam, amator hominum, memento Domine congregationum nostrarum: benedic eis.

Diaconus dicit:	Ὁ διακων λέγει·
Orate pro sancta ecclesia hac et congregationibus nostris.	Προςεύξασθε ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ταύτης καὶ τῶν συνελεύσεων ἡμῶν.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Da ut sint nobis non impeditae (κωλύειν) non prohibitae, ut faciamus eas secundum (κατά) voluntatem tuam sanctam et beatam (μακάριον) domus orationis (εὐχή), domus sanctitatis, domus benedictionis. Concede (χαρίζεσθαι) nobis eas, Domine, et servis tuis, qui veniunt post nos usque in saecula. Surge, Domine, dispergantur inimici tui omnes, aufugiant ante conspectum tuum omnes, qui oderunt nomen sanctum tuum; populus (λαός) autem (δέ) sit in benedictione millium mille et decem millium decies mille, omnes qui faciunt voluntatem tuam in gratia, quae . . . Kyrie eleison.

Deinde (εἶτα) *dicitur fides, et haec oratio* (εὐχή):

Dominator Domine Jesu Christe, Rex saeculorum, qui eduxisti omnia, quae sunt, antequam erant, visibilia et invisibilia, qui exiisti in beneplacito tuo ipso (Arabs: solo) et misericordiam tuam magnam effudisti secundum dispensationem (κατὰ οἰκονομία), ut salvares nos a morte peccati et victoria adversarii (ἀντικείμενος), benefactor in festinatione, misericors in tentationibus (βάσανος), terrens saepissime propter bona (ἀγαθόν): memento Domine misericordiarum tuarum, et ne declines faciem miserationum tuarum a nobis, qui vocati sumus in benignitate (χρηστος) tua: sed (ἀλλά) ausculta ad deprecationes nostras et inopiam orationum nostrarum utique servorum tuorum peccatorum, et da sanitatem servo tuo N., qui confugit sub tegumentum (σκέπη) alarum tuarum misericordiarum tuarum, quia tu es amator hominum, et dimitte ei, quae habet super se (= peccata), quae fecit in tota vita (βίος) sua,

et remitte (συγχωρεῖν) ei praevaricationes (παράπτωμα) suas, quae fecit voluntarie et involuntarie, sive (εἴτε) per motus suos solus (sive: a se) sive (εἴτε) per alios alienos, sive (εἴτε) in cogitatione, sive (εἴτε) in opere (seu in operibus) propter ea, quae placuerunt tibi, quemadmodum remisisti, o (ὦ) Domine noster, usurario (δανειστής) talentorum, quae tibi apud ipsum erant (sive, super ipsum), remitte servo tuo huic, quae super ipsum sunt (= peccata), et indulge (συγχωρεῖν) ei praevaricationes (παράπτωμα) suas omnes; et quemadmodum mundasti leprosum in verbo tuo, et abstulisti lepram a corpore (σῶμα) suo secundum (κατά) voluntatem tuam: ita tolle infirmitatem a corpore (σῶμα) hujusce servi tui et sanctifica (ἁγιάζειν) eum, qui sanasti filiam Chananaeae (χαναναα = -αία) ab initio per deprecationes matris ejus solius: nunc igitur in orationibus sacerdotum tuorum, — nos utique audemus (τολμᾶν); non est nobis fiducia (παῤῥησία) a nobis, sed (ἀλλά) a gratia tua super nos — libera servum tuum hunc N. a consiliis (βουλή) omnibus et operibus omnibus diabolicis (διαβολικόν), qui suscitasti filium viduae (χήρα) et filiam principis (ἄρχων) a morte, imperans eis suscitationem, et suscitasti Lazarum, postquam mortuus est quattuor dies, ex inferno in potentia divinitatis tuae, suscita servum tuum hunc a morte peccati, et si praecepisti, ut sustineat aliud tempus (= diutius vivat) da ei auxilium et adjutorium (βοήθεια), ut placeat tibi in vita (βίος) sua omnibus diebus vitae suae; et si praecepisti, ut acciperes animam (ψυχή) ejus e manibus angelorum (ἄγγελος) lucis in virtute salvante eum a daemonibus (δαίμων) tenebrarum, transfer eum in paradisum (παράδεισος) laetitiae, ut sit cum omnibus sanctis in sanguine tuo, qui effusus est propter nostram salutem, qui emisti nos per eum, quia tu es spes (ἐλπίς) nostra peccatorum, per intercessiones (πρεσβεία) Virginis (παρθένος) Dei Genitricis (θεοτόκος) et orationes sanctorum omnium. Gloria et honor et adoratio (προςκύνησις) decet (πρέπει) Patrem et Filium et Spiritum Sanctum nunc et semper et in saecula. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos secundus accendat linum secundum, et dicat hanc orationem (εὐχή) *peregrinantium.*

Memento Domine patrum nostrorum et fratrum nostrorum peregrinantium.

Diaconus dicat:

Orate pro patribus nostris et fratribus nostris peregrinantibus, sive iis, qui cogitant proficisci quocunque, ut dirigantur viae eorum omnes sive (εἴτε) in mari sive in fluminibus sive in lacubus (λυμνη = λίμνη) sive in viis itineris (viis terrestribus) sive faciunt iter suum quocunque modo, ut Christus Deus noster reducat eos ad habitationes suas in pace (εἰρήνη), remittat nobis peccata nostra.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Sive qui cogitant proficisci quocunque, dirige vias eorum omnes, sive (εἴτε) in mari, sive in fluminibus, sive lacubus (λίμνη) sive in viis itineris, sive faciunt peregrinationem quocunque modo, omnes in omnibus locis restitue in portum (λιμήν) tranquillitatis, in portum (λιμήν) salutis. Dignare (καταξιόειν) comitare eos in navigatione, et comitare eos in via terrestri. Da eis ad quae tendunt (Arabs: patriam) in gaudio gau-

dentibus in incolumitate incolumibus. Cooperare cum servis tuis in omnibus operibus bonis. Nostram vero (δέ) etiam peregrinationem in hac vita (βίος) custodi incolumem (ἐβλαβή = ἀβλαβῆ), imperturbatam (χειμών), inconcussam usque (= semper).

Populus dicit: Kyrie eleison.

Deinde legitur Apostolus ad Romanos (ἀπόστολος προς Ρωμαίους). *Cap.* (κεφ.) ιη' = *18.* (*Vulg. 15, 1—7.*).

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem evangelii* (εὐαγγ.).

Psalmus ρα' = *101.*

Domine exaudi orationem (προςευχή) meam, clamor meus ascendat ad faciem tuam, in die invocationis meae tui velociter exaudi me.

Evangelium secundum Lucam (Εὐαγγ. κατὰ Λουκᾶν) *Cap.* ξδ' = *64.* (*Vulg. Cap. 19, 1—10.*).

Post evangelium diaconus dicat: Domino supplicemus (Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν).

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)

Domine miserator et amator hominum, qui suscipis, qui convertuntur (μετανοεῖν), qui cognoscis mentem hominis, inclinantem ad malum ab infantia sua, qui non vis mortem peccatorum, sed (quasi) ut convertantur et vivant, qui homo factus es propter salutem hominum, qui dixisti: Non veni vocare justos sed (ἀλλά) peccatores ad poenitentiam (μετάνοια), qui quaesivisti ovem errantem et drachmam perditam et invenisti eas, qui dixisti: Eum qui venit ad me non ejiciam foras; qui remisisti peccata meretricis (πόρνη) conversae ab initio, eodem modo iterum claudo (= paralytico) dedisti remissionem peccatorum suorum et sanitatem corporis (σῶμα), tu qui dixisti: Erit gaudium in coelo super peccatorem unum poenitentiam agentem (μετανοεῖν): iterum (πάλιν) dixisti, quoties cecideris, surge et salvaberis. Respice, o (ὦ) miserator, de altitudine sancta tua et redime servum tuum N., qui confessus (ὁμολογεῖν) est peccata sua, qui venit ad te in fide et spe (ἐλπίς), et dimitte ei delicta sua sive (εἴτε) in opere, sive (εἴτε) in verbo, sive (εἴτε) in cogitatione; munda eum ab omnibus peccatis et custodi eum per tempus vitae suae ambulantem in mandatis tuis (ἐντολή), ne (ἵνα) laetetur iterum in ipso inimicus. In hoc glorificetur nomen sanctum tuum, et te decet (πρέπει) gloria et potestas et adoratio (προςκύνησις), nunc et semper et in saecula. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos tertius accendat tertium linum et dicat orationem (εὐχή) *tertiam frugum* (καρπός). Dignare (καταξιοῦν) Domine aëribus (ἀήρ) coeli et frugibus (καρπός) in hoc anno benedicere.

Diaconus dicat:

Orate super aëres (ἀήρ) coeli et fruges (καρπός) fructuum terrae et vineas et arbores omnes fructiferas (— καρπός) in universo orbe terrarum (οἰκουμένη), ut (ἵνα) Christus Deus noster benedicat eis, ut maturescant in pace (εἰρ.) sine afflictione, remittat nobis peccata nostra.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Fac eas ascendere secundum (κατά) mensuram earum, secundum (κατά) gratiam tuam, laetifica faciem terrae, inebrientur valles ejus, abundent fructus ejus, praepara in semen et messem et dispone (οἰκονο-

μεῖν) vitam nostram secundum (κατά) utilitatem. Benedic coronae anni per benignitatem tuam (— χρηστός), propter pauperes populi (λαός) tui, propter viduas (χήρα) et orphanos (ὀρφανός) et peregrinos et peregrinantes et propter nos omnes, qui speramus (— ἐλπίς) in te et adoramus nomen sanctum tuum, quia oculi uniuscujusque nostrum sperant (— ἐλπίς) in te, quia tu das eis escam eorum in tempore opportuno. Fac nobiscum secundum (κατά) benignitatem (— ἀγαθός) tuam, qui das escam omni carni (σάρξ), imple corda nostra gaudio et laetitia, ut (ἵνα) sit nobis sufficientia (= suffic. cibus) in omnibus et semper, et abundemus in omni opere bono (ἀγαθόν).

Populus dicit: Kyrie eleison.

Deinde legitur Apostolus ad Corinthios I. (ἀπόστολος πρὸς Κορινθίους α′) *Cap.* ιε′ = *16. Vulg. 12, 28 — 13, 8. usque ad illa verba:* charitas nunquam excidit.

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem* (εὐχή) *evangelii.*

Psalmus λζ′ = *37.*

Domine ne in furore tuo arguas me, neque (οὐδέ) in ira tua corripias me. Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi et gravasti manum tuam super me.

Evangelium secundum Matthaeum (εὐαγγ. κατὰ Ματθαῖον κεφ. ιθ′=*19.* (*Vulg. cap. 10, 1—8*).

Post evangelium diaconus dicat:

Domino supplicemus. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Benedictus sis Domine Deus noster bone (ἀγαθός) medice animarum (ψυχή) nostrarum, et qui in livoribus tuis sanasti nos. O (ὦ) pastor bone, qui existi quaerere ovem errantem, qui dedisti fortitudinem pusillanimi, qui sanasti socrum Simonis in febri sua vehementi, et eam e qua sanguis fluxit (haemorrhoissam), ab infirmitate sua vetere (ἀρχαῖον), qui liberasti filiam Chananaeae (χαναναία) a spiritu (πνεῦμα) immundo (ἀκάθαρτον) malo, qui remisisti usurario (δανειστής = χρεώστης; Arabs ultimum vertit: creditori), qui remisisti meretrici (πόρνη) et claudo (= paralytico), qui justificasti publicanum (τελώνης), qui suscepisti confessionem (ὁμολογία) latronis in fine vitae suae, et donasti ei paradisum (παράδεισος), qui sustulisti (tollis) peccata mundi (κόσμος), qui clavis affixus es super crucem (σταυρός) in voluntate tua ipsa (Arabs: sola): rogamus et deprecamur te, et invocamus (επικαλισθε = ἐπικαλεῖσθαι) et obsecramus te, ut remittas huic N. et nobis quoque utique servis tuis iniquitates (ἀνομία) omnes aeternas (ἀίδιος) et non aeternas (— ἀίδιος), sive (εἴτε) in ignorantia (sc. commissas), noctis et diei (ad litteram: τὰς τῆς νυκτὸς καὶ τὰς τῆς ἡμέρας), quae exierunt a nobis et quae venerunt super nos ex aliis, quae ex sensibus („ἐσθεσις“ = αἴσθησις) manifestae et propositis (προαίρεσις) occultae, quae ex motibus spiritus (πνεῦμα) et corporis (σῶμα), quia tu es Deus bonus (ἀγαθός) et amator hominum. Purifica praevaricationes (παράπτωμα) nostras omnes et dirige nos et adjuva nos, ut ambulemus in viis vitae aeternae, neve (οὐδέ) viam mortis aeternae (αἰώνιον). Ita dominator Domine ignosce (συγχωρεῖν) servo tuo N. omnes praevaricationes (παράπτωμα) suas. Imple faciem ejus gratia tua et extende manus ejus ad facienda mandata (ἐντολή) tua. Dirige pedes ejus ad cursum salutis. Circumvalla membra (μέλος) ejus et

cogitationes ejus in tua potentia. Tu Domine dixisti nobis per Apostolos (ἀπ.) tuos sanctos: Quae ligaveritis super terram, erunt ligata in coelis, et quae solveritis super terram, erunt soluta in coelis. Et iterum dixisti: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Sicut (qui) exaudisti Ezechiam in afflictione animae (ψυχή) suae in hora mortis suae et non rejecisti deprecationem ejus: ita iterum exaudi me utique servum tuum minimum (ἐλάχιστος) in hac hora et miserere hujus servi tui N., etiamsi peccata ejus abundent vehementer, quia tu mandasti remittere peccantibus septuagies septies. Et mittimus gratiarum actionem miserationibus tuis et magnitudini tuae, et gloriam tibi et Patri tuo bono (ἀγαθός) sine principio (— ἀρχή) et Spiritui Sancto vivificanti nunc et semper et in saecula. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos quartus accendat linum quartum. Dicat orationem quartam regum Deum amantium terrae, videlicet:

Memento Domine regnantium in pietate (— εὐσεβής) et regum!

Diaconus dicit (ὁ δ. λ.)*:*

Orate, ut Christus Deus noster donet nobis misericordias et miserationes in conspectu potestatum (ἐξουσία) dominantium, ut emolliat („μαλαζιν" = μαλάσσειν) cor eorum super nos ad bona (ἀγαθόν) omni tempore, ut remittat nobis peccata nostra.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)*:*

Custodi eos in pace (εἰρήνη) et justitia et potestate. Subjice eis omnes barbaros (βάρβαρος) illas gentes, quae volunt bella. Intende (προςθῇ) in nostrum omnium salutem (εὐθήνεια), loquere ad cor eorum pro pace (εἰρ.) tuae unius solius sanctae catholicae (καθ.) et apostolicae (ἀπ.) Ecclesiae. Da eis, ut cogitent pacifica (εἰρηνικόν) erga nos et erga nomen sanctum tuum, ut (ἵνα) nos etiam vivamus in vita (βίος) tranquilla et quieta, ut inveniamur existentes in omni pietate (— εὐσεβής) et honestate (— σεμνός) omni erga te.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Deinde (εἶτα) *legitur Apostolus ad Romanos* (Ἀπόστ. πρὸς Ῥωμαίους) *Cap. 11. (Vulg. 8, 14—21.).*

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem* (εὐχή) *evangelii, et psalmum* ν' *= 50.*

Miserere mei Deus et secundum (κατά) magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates (ἀνομία) meas. Amplius lava me ab iniquitate (ἀνομία) mea et a peccato meo munda me.

Evangelium secundum Lucam Cap. **λδ'. (Εὐαγγ. κατὰ Λουκᾶν).** ***Vulg. Luc. 10, 1—9.*** **Post haec autem designavit Dominus alios septuaginta et misit etc.**

Post evangelium diaconus dicat:

Domino supplicemus. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Sacerdos dicit **(ὁ ἱ. λ.)*:***

Domine, qui castigas et sanas, qui suscitas pauperem de terra, et exaltas inopem de stercore (κοπρία), pater orphanorum (ὀρφανός) et judex viduarum (χήρα), portus (λιμήν) eorum qui versantur in procellis (χειμών), medice afflictorum, qui portasti infirmitates nostras et sustinuisti iniquitates (ἀνομία) nostras, qui prope es in auxilio (βοήθεια), misericors

in correptione (κολασις), qui insufflasti in faciem discipulorum (μαθητής) tuorum dicens eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, tu qui suscipis poenitentiam (μετάνοια) peccatorum, qui sanas infirmitates: propter paupertatem servi tui et deprecationem ejus, qui utique sum indignus, qui vocatus sum (est) in gratia tua ad sacerdotium in loco tuo sancto sanctorum, qui dignus sum (est) in gratia tua ad ministerium mysteriorum (μυστήριον) tuorum sanctorum, et offerre orationes (προςευχή) et oblationes (προςφορά) propter remissionem peccatorum populi (λαός) tui, et mediatione (— μεσίτης) in accessione (Nahebringen) ovium tuarum rationabilium (λογικόν) ad te, o (ῶ) pastor bone: suscipe orationem meam pro servo tuo N. et mitte ei sanitatem celeriter et dimitte ei iniquitates suas, et da salutem corpori (σῶμα) ejus toti et membris (μέλος) ejus omnibus et spiritui (πνεῦμα) ejus ab omnibus languoribus, et disperge omnes dolores ejus corporales (σωματικόν) et spirituales (πνευματικόν), et transfer necessitates (ἀνάγκη) ejus, o (ῶ) extra quem non est alius in quem speremus (ἐλπίς). Sicut declarasti duobus discipulis (μαθητής) Joannis: Ite, annuntiate Joanni, quae vidistis et audistis: Caeci vident, et surdi audiunt, claudi ambulant, aegri curantur, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, et beatus qui non scandalizatus (σκανδαλίζεσθαι) fuerit in eo. Non scandalizamur (— σκανδαλίζειν) in virtute divinitatis tuae, o (ῶ) Christe Fili Dei unigenite (μονογ.) agnus Dei, qui tollis peccatum mundi (κόσμος). Memento misericordiarum tuarum, quae ab initio sunt, et miserationum tuarum, quia cor hominis inclinat ad malum ab adolescentia sua et nullus homo invenitur sine peccato, etiamsi (κἄν) unius diei fuerit vita ejus super terram. Si iniquitates (ἀνομία) observaveris Domine, quis stabit in conspectu tuo, quia remissio a te est. Si judicaveris, quis inveniet causam, quia omne os obstructum est et non potest loqui. Domine ne memineris peccatorum ignorantiae nostrae. Refugium poenitentium, spes (ἐλπίς) eorum quorum non est spes (ἐλπίς), requies fessorum. Et mittimus tibi sursum gloriam et honorem et potentiam et adorationem (προςκύνησις) et Patri tuo bono (ἀγαθός) et Spiritui Sancto vivificanti nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos quintus accendat linum quintum. Dicat orationem (εὐχή) *quintam dormientium, videlicet:*

Memento Domine animarum (ψυχή) servorum tuorum, qui dormierunt, patrum et fratrum nostrorum!

Diaconus dicit:

Orate pro patribus et fratribus nostris dormientibus, requiescentibus in fide Christi a saeculo, patribus nostris sanctis archiepiscopis (ἀρχιεπίσκοπος), et (καί) patribus nostris hegumenis (ἡγούμενος) et (καί) patribus nostris presbyteris (πρεσβύτερος), et fratribus nostris diaconis, et patribus nostris monachis (μοναχός) et (καί) patribus nostris laicis (λαϊκός) et super requiem (ἀνάπαυσις) universam christianorum (χριστιανός) omnium, ut (ἵνα) Christus Deus noster donet requiem animabus eorum omnium; ut remittat . . .

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)*:*

Dignare (καταξιόειν) Domine, da refrigerium animabus (ψυχή) eorum

omnium in sinu patrum nostrorum sanctorum Abraham et Isaac et Jacob. Enutri eos in loco viridi (χλόη) super aquas quietis in paradiso (παράδεισος) laetitiae, in loco ex quo fugit dolor cordis et tristitia (λύπη) et gemitus, in lumine sanctorum tuorum. Resuscita carnem (σάρξ) eorum in die, quem constituisti, secundum (κατά) promissionem (ἐπαγγελία) tuam veram et non mentientem. Concede (χαρίζεσθαι) eis bona (ἀγαθόν) promissionum (ἐπαγγελία) tuarum, quae oculus non vidit neque (οὐδέ) auris audivit, neque (οὐδέ) in cor hominis descenderunt, quae praeparasti, Deus, diligentibus nomen sanctum tuum, quia non mors possidebit servos tuos, sed (ἀλλά) transferentur. Sive autem (δέ) negligentia (ἀμελής) apprehenderat eos sive inadvertentia (excessus? Arabs. segnities) utpote (ὡς) homines, qui portant (φορεῖν) carnem (σάρξ) et degunt in hoc mundo (κόσμος): tu vero (δέ) utpote (ὡς) bonus (ἀγαθός) et amator hominum Deus dignare (καταξιόειν) dimittere iis, quia nemo est mundus a macula, neque (οὐδέ) si (κάν) unius diei vita ejus fuerit super terram. Iis quidem (μέν) Domine, quorum animas (ψυχή) sumpsisti, da requiem et fiant digni regno coelorum. Nobis vero (δέ) omnibus concede (χαρίζεσθαι) finem christianum (χριστιανός) placentem in conspectu tuo, et da nobis cum ipsis partem (μέρος) et sortem (κλῆρος) cum sanctis tuis omnibus.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Deinde (εἶτα) *lege Apostolum ad Galatas* (Ἀπ. πρὸς Γαλάτας) *Cap.* γ' = *3. (Vulg. Gal. 2, 16—20.).*

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem* (εὐχή) *evangelii, deinde psalmum* ρμα' = *141.:*

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, Domine: me exspectant justi donec retribuas mihi.

Evangelium secundum Joannem (Εὐαγ. κατὰ Ἰοάννην) *Cap.* λγ' = 33. *(Vulg. Joann. 14, 1—19.)*

Post evangelium diaconus dicat:

Domino supplicemus. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.)

Gratias agimus tibi Domine Deus virtutum propter omnia, quae fecisti, quia tu in misericordia tua disposuisti (οἰκονομεῖν) vitam nostram, tu es curator. Sana servum tuum N. ab infirmitatibus suis, et libera eum ab omnibus malis, ut resurgat sanus, ut confiteatur (ὁμολογεῖν) etiam ipse misericordiam tuam et glorificet te cum populo (λαός) tuo in ecclesia tua omnibus diebus vitae suae in gratia et miseratione et humanitate (amore erga homines) unigeniti Filii tui, qui es benedictus cum ipso et Spiritu Sancto, vivificante et consubstantiali (ὁμοούσιος) tecum, nunc et semper et in saecula. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos sextus accendat linum sextum; dicat orationem (εὐχή) *sextam sacrificiorum* (θυσία) *videlicet:*

Memento Domine, sacrificiorum (θυσία), oblationum (προσφορά) gratiarum actionum eorum, qui offerunt (προσφέρειν) ad honorem et gloriam nominis sancti tui.

Diaconus dicit:

Orate pro iis, qui sustinent curam sacrificiorum (θυσία), oblationum (προσφορά), primitiarum (ἀπαρχή), vinorum, oleorum, incensorum, velorum (σκέπασμα), librorum legendorum, pretiosorum (κυμιλλιον = κειμήλιον)

altaris, ut (ἵνα) Christus Deus noster retribuat eis in Jerusalem coelesti, ut remittat.

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Suscipe eos super altare (θυσιαστήριον) tuum sanctum rationale (ἐλλόγιμον) coeleste in odorem suavitatis ad celsitudinem tuam in coelis, per ministerium angelorum et archangelorum (ἄγγελος — ἀρχιάγγελος) tuorum sanctorum. Quemadmodum suscepisti dona (δῶρον) justi Abel et sacrificium (θυσία) patris nostri Abraham et duos obolos viduae (χήρα), ita iterum etiam gratiarum actiones (oblationes gratiarum actionis) (εὐχαριστήριον) servorum tuorum suscipe, abundantes et parvas, ocultas et manifestas. Iis, qui voluerunt tibi offerre et nihil habebant, et iis, qui obtulerunt tibi in hac die de suo haecce dona (δῶρον), dona incorruptibilia in retributionem corruptibilium, coelestia in retributionem terrenorum, aeterna in retributionem temporalium, domos eorum, thesauros (ταμιον = ταμιεῖον) imple omnibus bonis (ἀγαθόν). Circumda eos, Domine, vi angelorum tuorum et archangelorum (ἀγγ. — ἀρχαγ.) sanctorum; sicut meminerunt nominis sancti tui super terram, memento etiam eorum, Domine, in regno tuo, et in hoc etiam saeculo (αἰών) ne derelinquas eos.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Deinde (εἶτα) *lege Apostolum ad Colossenses* (Ἀπ. πρὸς Κολοσσαίους) *δ' = 4. (Vulg. 3, 12—17.)*

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem* (εὐχή) *evangelii et psalmum δ' = 4.*

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi. Miserere mei et exaudi orationem meam.

Evangelium secundum Lucam (Εὐαγ. κατὰ Λουκᾶν) *Cap. κα' = 21. Vulg. 7, 36—50.*

Diaconus dicat post evangelium.

Domino supplicemus. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Deus spirituum (πνεῦμα) et corporum (σῶμα) Domine dominorum, Domine virtutum, Deus omnis consolationis et rex regum omnium, qui exaudis unumquemque invocantem nomen sanctum tuum, nos, utique servi tui, rogamus et deprecamur, ut reminiscaris servi tui N. in misericordia tua multa, visita eum in salutari tuo, aufer ab eo infirmitates cunctas, resuscita eum de lecto morbi sui, dona eum ecclesiae tuae sanatum corpore (σῶμα) et anima (ψυχή) et spiritu (πνεῦμα), suscita eum ut cantet gloriam tuam in humanitate (= amore erga homines) unigeniti Filii tui, cum quo es benedictus et Spiritu Sancto vivificante et consubstantiali tecum nunc et semper et in saecula saeculorum omnium. Amen.

Populus dicat: Kyrie eleison.

Sacerdos septimus accendat linum septimum. Dicat orationem (εὐχή) *septimam catechumenorum* (κατηχούμενος *i. s.*), *videlicet*:

Memento Domine catechumenorum populi (λαός) tui, miserere eorum, confirma eos in fide in te.

Diaconus dicit:

Rogate pro catechumenis populi (λαός) nostri, ut Dominus benedicat eis, confirmet eos in fide orthodoxa (ὀρθ.) usque ad extremum spiritum, ut remittat nobis. . . .

Populus dicit: Kyrie eleison.

Sacerdos dicit (ὁ ἱ. λ.):

Reliquias omnes cultus idolorum (εἴδωλον) ejice e cordibus eorum, legem (νόμος) tuam, timorem tuum, mandata (ἐντολή) tua, veritates tuas, praecepta tua sancta confirma in cordibus eorum, dona eis, ut cognoscant certitudinem verborum in quibus erudiuntur (καθηχεῖν), in tempore vero (δέ) constituto digni fiant lavacro regenerationis in remissionem peccatorum eorum. Praepara eos in templum Spiritus Sancti in gratia et miserationibus.

Deinde lege Apostolum ad Ephesios (Ἀπ. πρὸς Ἐφεσίους) *Cap.* ς′ = *6.* (*Vulg. Eph. 6, 10—18.* omni tempore in spiritu.)

Dic Trisagion (τρισάγιος) *et orationem* (εὐχή) *evangelii et psalmum* κδ′ = *24.* (*v. 18*): Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea. (v. 20) Custodi animam meam et erue me, non erubescam, quoniam speravi in te.

Evangelium secundum Matthaeum (Εὐ. κ. Μ.) *Cap.* ε′ = *5. Vulg. 6, 14—18.*

Diaconus dicit:

Domino supplicemus. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Sacerdos dicit:

Iterum (πάλιν) igitur rogemus te, Domine, Deus virtutum, miserator, potens super omnia, ut respicias super servum tuum N., ut resuscites eum de lecto infirmitatis suae et strato malo, sicut suscitasti socrum Simonis repente (ἐξάπινα) a febri vehementi, et dona eum ecclesiae tuae sanctae, ut ipse quoque glorificet nomen sanctum tuum. Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc . . .

Post haec ungendus se tradat, ut exeat coram lucerna (φανός). *Stent sacerdotes tres ad dexteram et tres ad sinistram ejus. Sacerdos magnus imponat evangelium super caput infirmi, sex imponant manus suas super eum, sacerdos magnus dicat:*

Domine miserator, multae misericordiae, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, qui imposuisti manum meam, qui utique sum peccator, super caput venientis ad te et supplicantis pro remissione peccatorum suorum per nos, qui utique sumus sacerdotes tui: sed (ἀλλά) in manu potenti evangelii, deprecamur humanitatem tuam, qui suscepisti poenitentiam (μετάνοια) David propter prophetam (προφήτης) Nathan; qui suscepisti poenitentiam (μετάνοια) Manassis: Salvator (σωτήρ) noster suscipe poenitentiam (μετάνοια) servi tui N. secundum (κατά) mandatum (ἐντολή) humanitatis tuae in mediatione (— μεσίτης) sacerdotis tui. Tu jussisti remissionem septuagies septies et mensura misericordiae tuae secundum (κατά) mensuram magnitudinis tuae. Te decet (πρέπει) gloria, Pater et Fili et Spiritus Sancte, nunc . . .

Deinde (εἶτα) *sacerdotes ungunt infirmum et singuli* (κατά —) *ex iis dicunt.*

Deus Pater, bone (ἀγαθός) medice corporum (σῶμα) et spirituum (πνεῦμα), qui misisti unigenitum tuum Filium Jesum Christum ad sanandas

omnes infirmitates et ad liberandum a morte, sana servum tuum N. ab infirmitatibus corporis (σωματικόν), et da ei vitam rectam, ut glorificet magnitudinem tuam et gratias (χάρις) agat gratiae tuae, ut perficiat voluntatem tuam. Propter gratiam Christi tui et intercessionem (πρεσβεία) Dei Genitricis (θεοτόκος) sanctissimae (παναγία) et orationes sanctorum, quia tu es fons salutis, et mittimus tibi sursum gloriam et honorem cum unigenito tuo Filio et Spiritu Sancto, nunc . . .

Iis adhuc (ἔτι) *eum ungentibus populus* (λαός) *cantet hymnum* (ὕμνος) *dicens*:

O (ὦ) sancti, qui habetis fontem salutis sine argento, date salutem omnibus rogantibus, quia ipse Dominus dixit vobiscum Apostolis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Populus dicit: (Ὁ λαὸς λέγει·)

Gloria Patri. Δόξα Πατρί.

Sacerdos dicit (ὁ ἱερεὺς λέγει):

Ecce dedi vobis potestatem super spiritus (πνεῦμα) immundos (ἀκάθαρτον), ut ejiciatis eos, et curetis infirmitates omnes et languores omnes. Gratis accepistis, gratis date.

Et nunc (καὶ νῦν):

O (ὦ) sancta Virgo (παρθένος) Dei Genitrix (θεοτόκος) sine complexu maritali (συνουσία), intercede (πρεσβεύειν) pro salute animarum (ψυχή) nostrarum.

Populus (λαός) *dicat hymnum* (ὕμνος) *angelorum* (ἄγγελος) *qui est*:

Cantemus cum angelis: Gloria in excelsis Deo, et pax (εἰρήνη) super terram, et bona voluntas in hominibus. Laudamus te, benedicimus tibi, servimus tibi, adoramus te, confitemur tibi, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine rex super coelos, Domine Pater omnipotens (παντοκρ.), Domine Fili sole unigenite (μονογ.) Jesu Christe cum Spiritu Sancto, Domine Deus, Agne Dei, Fili Patris, qui tollis peccatum mundi (κόσμος), miserere nostri, qui tollis peccatum mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nostri. Tu solus sanctus, tu solus altissimus, Domine mi Jesu Christe cum Spiritu Sancto in gloria Dei Patris. Amen. Benedicam te quotidie, quotidie benedicam nomen sanctum tuum in saecula et usque in saecula saeculorum. Amen.

A nocte praevenit spiritus (πνεῦμα) meus ire ad te Deus, quia lumina sunt mandata tua super terram, meditatus sum (μελετᾶν) super vias tuas, quia fuisti mihi adjutor (βοηθός). Mane, Domine, exaudies vocem meam, antequam adstabo apud te videbis me.

Dignare (καταξιόειν) Domine, ut custodias nos in hac die sine peccato.

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et superexaltatus es, plenum gloria nomen sanctum tuum in saecula. Amen.

Sit misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum (— κατά) speravimus (— ἐλπίς) in te, quia oculi omnium sperant (ἐλπίς) in te, quia tu dabis escam eorum ipsis in tempore suo.

Exaudi nos Deus salvator (σωτήρ) noster, spes (ἐλπίς) finium universae terrae.

Tu vero (δέ) Domine custodies nos, liberabis nos, salvabis nos a generatione hac usque in saecula. Amen.

Benedictus es Domine, doce me veritates tuas. Benedictus es, Domine, fac me intelligere veritates tuas. Benedictus es, Domine, illumina me in veritatibus tuis.

Domine, misericordia tua est usque in saecula, opera manuum tuarum, Domine, ne despicias, quia tu, Domine, factus es nobis refugium a generatione in generationem.

Ego rogavi ad Dominum et dixi: Miserere mei. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

Domine, ad te confugi, libera me, doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus, apud te est fons vitae, in lumine tuo, Domine, videbimus lumen. Veniat misericordia tua super cognoscentes te, veritas tua super rectos in corde suo. Decet te benedictio, decet te canticum, decet (πρέπει) te gloria, Pater et Fili et Spiritus Sancte, quae est a saeculo et nunc et in saecula omnia. Amen.

Bonum confiteri Domino, psallere (ψάλλειν) nomini ejus excelso, ad narrandam misericordiam ejus mane et veritatem ejus die (κατά) et nocte (κατά —).

Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri.	Ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς.
Dic ter:	
Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.	Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.
Sancta Trinitas, miserere nostri.	Ἁγία Τριάς, ἐλέησον ἡμᾶς.
Sanctissima Trinitas, miserere nostri.	Παναγία Τριάς, ἐλέησον ἡμᾶς.
Sancta Trinitas miserere nostri.	Ἁγία Τριάς, ἐλέησον ἡμᾶς.

Trinitas Sancta, miserere nostri.

Domine dimitte nobis peccata nostra.

Domine dimitte nobis iniquitates (ἀνομία) nostras.

Domine dimitte nobis praevaricationes (παράπτωμα) nostras.

Domine visita infirmos populi tui, sana eos propter nomen sanctum tuum.

Patres nostros et fratres nostros — refrigera Domine animas eorum.

Sine (qui es sine) peccato Domine, miserere nostri. Sine peccato, Domine, auxiliare (βοηθεῖν) nobis: suscipe deprecationem nostram, quia tua est gloria et potestas et Trisagion (τρισάγιος): Domine miserere, Domine miserere, (κύριε ἐλέησον, κύριε ἐλέησον), Domine benedic (κύριε εὐλόγισον). Amen.

Fac nos dignos, qui dicamus in gratiarum actione:

Pater noster qui es . . . a malo in Christo Jesu Domino nostro.

Dic doxologiam (δοξολογία) *Virginis* (παρθένος).

Salve (χερε = χαῖρε), deprecamur te o (ὦ) sancta, plena gloria, semper Virgo (παρθένος), Deipara, Mater Christi. Affer orationem (προσευχή) nostram sursum ad filium (Arabs addit tuum) dilectum, ut dimittat nobis peccata nostra. Salve (χαῖρε) quae genuisti nobis lumen verum, Christum Deum nostrum, Virgo (παρθ.) sancta. Deprecare Dominum pro nobis, ut faciat misericordiam animabus (ψυχή) nostris, ut remittat nobis peccata nostra. Virgo (παρθ.) Maria (Μαριάμ) Dei Genitrix (θεοτόκος) sancta,

antistes (προστάτης) fidelis totius generis (γένος) humani: intercede pro nobis apud Christum, quem peperisti, ut (ὅπως) donet nobis remissionem peccatorum nostrorum. Salve (tibi) o Virgo (ὦ παρθ.), regina vera, vera (ἀληθινέ), salve (χαῖρε) gloria generis (γένος) nostri, quae genuisti nobis Emmanuelem (ἐμμανουήλ). Deprecamur, memento nostri o antistes (ὦ προστάτης) fidelis apud Dominum nostrum Jesum Christum, ut remittat nobis peccata nostra. Exaltamus te (enim), Mater luminis veri, glorificamus te o (ὦ) Sancta et Dei Genitrix, quia genuisti nobis Salvatorem (σωτήρ) mundi (κόσμος) universi, (qui) venit et redemit animas (ψυχή) nostras, gloria tibi Domine noster rex noster Christe, gloria Apostolorum (ἀποστ.), corona martyrum (μάρτυρος), exultatio justorum (δίκαιος), firmamentum ecclesiarum, remissio peccatorum (concret.). Praedicamus Trinitatem (τριάς) sanctam in divinitate una, adoramus eam, glorificamus eam: Domine miserere, Domine miserere, Domine benedic (Κύριε ἐλέησον, Κ. ἐλ., Κύριε εὐλόγισον). Amen.

Deinde dicitur fides sancta in veritate: Credimus in unum Deum*).

Deinde sacerdos dicat absolutionem Filii, et dicat benedictionem, videlicet:

Deus misereatur nostri et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. Domine libera populum tuum (λαός), benedic haereditati (κληρονομία) tuae, pasce eos, extolle eos usque in saecula. Exalta cornu christianorum (χριστιανός) orthodoxorum (ὀρθοδ.) per virtutem crucis (σταυρός) vivificantis, per orationes et obsecrationes, quas facit pro nobis semper Domina nostra, Dominatrix omnium nostrum Deipara (θεοτόκος) sancta Maria, et trium magnorum illuminatorum sancti Michaelis et Gabrielis et Raphaelis et quattuor animalium (ζῶον) incorporeorum (ἀσώματον) et viginti quattuor Seniorum (πρεσβύτερος) et chori (χόρος) totius angelorum (ἄγγελος), et exercituum (τάγμα) coelestium (ἐπουράνιον); et preces patriarcharum (πατριάρχης) et prophetarum (προφήτης) et Apostolorum (ἀπόστολος) et martyrum (μάρτυρος) et cruciferorum (σταυροφόρος) et verorum et justorum (δίκαιος) et prudentium omnium virginum (παρθένος); et benedictionem Dei Genitricis (θεοτόκος) sanctae, sanctae (ἁγία) Mariae primum et postremum. Sit benedictio eorum sancta, et virtus eorum, et gratia (χάρις) eorum et auxilium (βοήθεια) eorum nobiscum in saecula. Amen. Fiat.

Infirmus ante unctionem oleo sancto confiteatur (ὁμολογεῖν) *peccata sua. Deinde* (εἶτα) *accipiat ex Mysteriis* (μυστήριον) *sanctis.*

Et dicuntur haec super animam, quae prope est, ut egrediatur e corpore (σῶμα). *Sacerdos accipit aquam benedictam et aspergat super locum. Deinde dicat: Pater noster, et absolutionem, et hanc orationem* (εὐχή).

Dominator Domine Deus omnipotens (παντοκρ.), Pater Domini nostri et Dei nostri et Salvatoris (σωτήρ) nostri Jesu Christi, qui vis omnes homines salvari, et ut veniant ad agnitionem veritatis tuae, rogamus et obsecramus te et benignitatem (— ἀγαθός) tuam, o (ὦ) amator hominum, pro anima (ψυχή) servi tui N., miserere ejus, sana eam ab omnibus

*) Est symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.

plagis et libera eam, quia tu Deus solvis vinctos omnes et elevabis eos a casibus eorum, spes (ἐλπίς) eorum, quibus non est spes (ἐλπίς), qui venit per te, miserere ejus per te, dimitte (συγχωρεῖν) animam (ψυχή) servi tui N. in pace (εἰρήνη). Et si sit voluntas tua, ut vivat, o (ὦ) Domine noster, dona ei salutem et fortitudinem, et sanitatem et sanationem, et ut perficiat vitam (βίος) suam in voluntate tua bona (ἀγαθός). Et si mandasti accipere spiritum (πνεῦμα) ejus, feratur per angelos (ἄγγελος) duces viae ad lucem in habitationes tuas aeternas (αἰώνων), ut cantet cum sanctis (ἅγιος) in regno coelorum in Christo Jesu Domino nostro. Te decet (πρέπει) gloria et honor et adoratio (προςκύνησις) cum ipso et Spiritu Sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum omnium. Amen.

3. Ordo lampadis sive extremae unctionis ex Codd. Vatic. Copt. 78. et 55.

(Ordinem lampadis ex codicibus Vatic. Copticis 78. et 55. descripsit et cum Tukiano Euchologio contulit R. P. Petrus Hamp, O. S. B. ex Abbatia S. Bonifacii Monacensi. Uterque codex eundem textum exhibet, nisi quod in paucis synonimis vocabulis differant et quod cod. 55. aliquas rubricas magis determinatas exhibeat, quas ad textum codicis 78., quem versio sequitur, addidimus. Codicis 78. textus, quem exhibemus, praeter particulas sparsas paucasque paginas totus arabicus est; in orationibus cum Tukiano est consonus, versio tamen arabica alia est. Transtulerunt autem ex Arabico et Coptico idem R. P. Petrus Hamp et R. D. A. Scholz.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Dei unius.

Liber orationis lampadis et ordo hujus.

Ponitur sedes coram altari et ponitur lampas cum septem linis, cum oleo olivarum mundo Palaestinensi, et liber quattuor evangeliorum sanctorum et crux et thuribulum et capsa suffitus et ea, cui ministratur lampas ad dexteram altaris *) *et major sacerdotum dicit orationem gratiarum actionis, imponit thus et dicit orationem:*

Κύριε ἐλέησον, Κύριε ἐλέησον, Κύριε ἐλέησον.	Kyrie eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison.
Ἀββᾶ ἄξιος (?)	Pater dignus.
Δόξα Πατρί.	Gloria Patri.

Usque ad finem (Arabice).

*) Ex Vanslebio, qui ritum hunc describit Hist. part. 4. sect. 3. c. 4. p. 212., septem sacerdotes in ecclesia adunantur, parant lampadem, quae septem brachia et septem lina habet, eamque sedili imponunt Ex Bernato ap. Legrand. diss. 12. p. 337, si episcopus adsit, cum sex presbyteris officium peragit; ipsius est septem ellychnia accendere et orationes recitare, sacerdotes autem lectiones tantum recitant. Sed et unus sacerdos cum diacono extremae unctionis ritum celebrat. Ex eodem Bernato et Sollerio p. 146. unctioni plerumque confessio praemittitur, quae fit ante totius ritus initium.

Pro Patribus (*Coptice*).

*Dicitur psalmus 31**) *integer et postea:* Kyrie eleison, *ter; elevatur incensio et postea dicit sacerdos orationem infirmorum* (*Coptice*) *pro infirmis***).

Sequitur oratio: Posuisti, Domine, gratiam tuam in manibus Apostolorum etc. p. 485.

Dicit clerus: Deus meus***). *Dicunt:* Rogamus te, o Christe (Copt.)

*Tunc accendit sacerdos candelam, quae est ad orientem*****) *et dicit:* Pro pace superna a Domino oremus. Kyrie eleison etc. p. 486.

Tunc dicit sacerdos sequentem orationem super oleum secreto pag. 487 †).

Tunc dicit diaconus ex ep. cath. Jacobi Apostoli p. 487 ††).

Dicitur Agios *ter. Dicitur oratio evangelii et psalmus* (*Copt.* ut p. 487.)

Evangelium secundum Johannem: Post haec fuit festum Judaeorum etc. p. 488.

Gloria Deo semper in saecula. Amen, Amen, Amen.

Sequitur (*Copt.*)*:* Adoramus te.

Tunc dicit orationem pro pace, pro patribus et pro congregatione: symbolum fidei †††) *et sequentem orationem:* Domine Deus, Jesu Christe, rex saeculorum, factor omnium creaturarum etc. p. 489.

Oratio secunda.

Accedit secundus sacerdos et facit signum crucis super lampadem et accendit candelam secundam, dum caeteri cantant ἐλέησον ἡμᾶς (miserere nostri) *usque ad finem.*

Pater noster. *Sacerdos dicit orationem peregrinantium* (*Copt.*) *Peregrinantes.*

Tunc dicit diaconus ex epistola Pauli ad Romanos, p. 491.

Dicitur Agios *ter; et oratio evangelii. Dicitur psalmus* (*Copt.*) ut p. 491.

---

*) Uterque codex habet psalmum 31, cum Tukius et Vanslebius 50. praescribant.

**) Istae orationes communes in codicibus tantum indicantur, praeter illas, quae sunt pro rege, pro catechumenis.

***) Versus hic paucorum verborum, uti est in codice Vaticano, legi non potest.

****) Item ex Vanslebio sacerdos senior post orationem pro infirmis oleum in lampadem immittit et accendit ellychnium, quod est ex parte orientis.

†) Desunt rubricae: Populus dicit, sacerdos dicit.

††) Ita etiam secundum Vanslebium legitur caput 5. epistolae S. Jacobi.

†††) Ex Vanslebio legitur Joh. c. 5. ante evangelium Ps. 6. et post ipsum tres illae orationes, quae post evangelium dici solent, symbolum fidei et septies Kyrie eleison.

Dicitur Astatina (σταθῆναι) *et evangelium ex Luca Evangelista:* Et ingressus perambulabat Jericho etc. p. 491. Gloria Deo semper in saecula. Amen.

Dicent (*Copt.*) Benedictus es vere (ἀληθῶς). *Dicet diaconus:*

Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν (Dominum deprecemur).

Κύριε ἐλέησον (Kyrie eleison).

Tunc dicit sacerdos hanc orationem: Domine, miserator, amator generis humani etc. p. 491.

Oratio tertia.

Accedit tertius sacerdos, facit signum crucis super lampadem et accendit tertiam candelam, dum caeteri cantant ἐλέησον ἡμᾶς ὁ θεός (miserere nostri Deus) *usque ad finem.* Pater noster, qui es in coelis etc. *Et dicit sacerdos orationem pro aqua, sive pro fructibus, sive pro coeli serenitate.*

Diaconus legit ex epist. I. Pauli ad Corinthios: Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia sua, primum Apostolos etc. p. 492.

Dicitur Agios *ter. Oratio evangelii et psalmus* (*Copt.* p. 492).

Dicitur Astatina (σταθῆναι) *et evangelium secundum Matthaeum Evangelistam:* Et vocavit discipulos suos duodecim et dedit eis potestatem etc. (Matth. 10, 1—9.) Gloria Deo semper in saecula. Amen.

Cantant: Benedictus es.

Dicit diaconus: Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Κύριε ἐλέησον. (Dominum deprecemur, Kyrie eleison.)

Dicit sacerdos hanc benedictionem: Benedictus es Domine, Deus noster etc. p. 492.

Oratio quarta.

Sacerdos quartus facit signum crucis super lampadem et accendit quartam candelam, dum celeri cantant ἐλέησον ἡμᾶς *usque ad finem.* Pater noster, qui es in coelis etc. *Tunc dicit sacerdos orationem pro rege.*

(Copt.) Iterum (πάλιν) denuo deprecemur Deum omnipotentem (παντοκράτωρ) Patrem Domini et Dei et Salvatoris (σωτήρ) J. Ch. Rogamus et deprecamur benignitatem tuam (ἀγαθός) amator hominum, memento regis terrae nostrae servi tui. *Dicit diaconus:* (Copt.) Orate etc. p. 493. *Sacerdos dicit:* (Copt.) Custodi eum etc. p. 493.

Tunc dicit diaconus ex ep. Pauli ad Romanos: Quicunque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei etc. p. 493.

Dicitur Agios *ter, oratio evangelii et psalmus* p. 493.

Dicitur Astatina (σταθῆναι) *et evangelium secundum Lucam Evangelistam*: Post haec vocavit Dominus alios septuaginta duos et misit eos binos p. 493.

Cantant: Benedictus es.

Dicit diaconus: Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Κύριε ἐλέησον. (Dominum deprecemur, Kyrie eleison.)

Dicit sacerdos hanc orationem: Domine . . . qui erigis pauperem de terra p. 493.

Oratio quinta.

Sacerdos quintus facit signum crucis et accendit candelam quintam, et ceteri cantant ἐλέησον ἡμᾶς (miserere nostri) *usque ad finem. Dicitur* Pater noster, *sacerdos dicit orationem pro mortuis, quae est (Coptice) Animarum* (ψυχῇ).

Diaconus legit ex ep. Pauli ad Galatas: Et nos scimus etc. p. 495.

Dicitur Agios *ter, oratio evangelii et psalmus (Coptice)* p. 495.

Dicitur Astatina (σταθῆναι) *et evangelium secundum Joannem Evangelistam:* Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum et in me credite etc. p. 495.

Cantant: Benedictus es.

Dicit diaconus: Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Κύριε ἐλέησον. (Dominum deprecemur, Kyrie eleison).

Dicit sacerdos hanc orationem: Gratias agimus tibi Domine Deus Sabaoth p. 495.

Oratio sexta.

Sacerdos sextus facit signum crucis et accendit candelam sextam, dum ceteri cantant ἐλέησον ἡμᾶς (miserere nostri) *usque ad finem.* Pater noster. *Sacerdos dicit orationem pro adstantibus, quae incipit (Copt.)* Sacrificiorum (θυσία).

Diaconus legit ex ep. Pauli ad Coloss.: Induite ergo nos, sicut electi etc. p. 496.

Dicitur Agios *ter, oratio evangelii et psalmus* p. 496.

Dicitur Astatina (σταθῆναι) *et evangelium Lucae Evangelistae:* Rogabat autem illum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum illo etc. p. 496.

Cantant: Benedictus es.

Dicit diaconus: Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Κύριε ἐλέησον. (Dominum deprecemur, Kyrie eleison).

Dicit sacerdos hanc orationem: Deus spirituum et corporum, Domine virtutum p. 496.

Oratio septima.

Sacerdos septimus facit signum crucis et accendit candelam septimam, dum caeteri cantant ἐλέησον ἡμᾶς (miserere nostri) *usque ad finem.* Pater noster.

Dicit sacerdos orationem pro catechumenis)* p. 496.

Legit diaconus ex ep. Pauli ad Ephesios: De cetero confortamini fratres in Domino nostro et in potentia virtutis ejus p. 497.

Dicunt Agios *ter; oratio evangelii, psalmus (Coptice)* p. 497.

*Sacerdos dicit evangelium coptice et postea diaconus faciat explicationem arabice, et ille primum coptice**). Evangelium:* Et si hominibus ignoscetis peccata eorum, ignoscet etiam Pater coelestis peccata vestra p. 497 (Copt. et Arab.).

Cantant: Benedictus es.

Dicit diaconus: Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Κύριε ἐλέησον. (Dominum deprecemur. Kyrie eleison.).

---

*) Haec oratio in codice integra est.

**) Cod. 55. Si sacerdos finierit lectionem Copticam evangelii, diaconus postea ipsum legat arabice.

Dicit sacerdos hanc orationem: Et iterum oramus te, Domine, Deus virtutum, miserator omnipotens, ut respicias super servum tuum N. N., et erigas eum a lecto morbi sui et a strato doloris, sicuti erexisti socrum Simonis illico a febri sua gravissima, ostende misericordiam super servum tuum, ut iterum glorificet nomen tuum sanctum, Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

(Finita est oratio per auxilium Dei supremi.)

Post haec accedit infirmus ad sanctum altare, et sedet ante pontificem (episcopum). Tenent sacerdotes super caput ejus evangelium sanctum (quatuor flumina vitae), et ostendent ei crucem benedictam, et imponunt ei omnes manus suas. Tres sacerdotes sint a dextris ejus, tres a sinistris. Si vero infirmus gravius infirmetur, loco ejus adsit alius. Et sacerdos superior (episcopus) incipiat sequentem orationem vultu ad orientem verso, et sacerdotes ceteri omnes voce eum sequantur:

Domine, miserator, multum misericors, qui non vis mortem peccatoris etc. p. 497.

Tunc ungunt infirmum oleo in nomine Domini et dicant sacerdotes singuli, ad orientem versi, hanc orationem).* Deus, Pater, curator et sanator corporum aeque ac spirituum, qui misisti Filium tuum unicum Jesum Christum, ut sanaret omnes morbos et liberaret a morte, sana Domine servum tuum N. N. a morbis tam spiritus quam corporis, et dona illi vitam rectam, ut laudet magnitudinem tuam et impleat tuam voluntatem per gratiam Christi tui et per intercessionem Genitricis Dei sanctae et immaculatae virginis Mariae et per preces angelorum etc.**)

Tum dicunt sequentia coptice:

O sancti etc. p. 498.

Postea cantant hymnum angelorum usque ad finem. Symbolum fidei. Sacerdos dicit Absolutionem pro filio integram, crux in manu sacerdotis imponatur capiti infirmi. Et si finita est absolutio, tollat crucem, et omnes extensis manibus dicant: Kyrie eleison***) *per quadraginta vices, et post haec accenduntur cerei, et episcopus portat lampadem benedictam et procedit ipse cum ceteris sacerdotibus ad altare, quod ter circumeunt,*

*) Bernatus l. c. ait, sacerdotem frontem ungere et dicere: Deus te sanet in nomine Pat. et F. et Sp. S. Describit autem ipse ritum uti ab uno sacerdote peragitur. Haec forma forsan adhibetur, cum peracta in ecclesia sollemnitate aegrotus ad ecclesiam accedere non valens domi ungitur ab uno sacerdote.

**) Septem orationibus absolutis septem sacerdotes ex Vanslebio aegrum ad lampadem admovent, tres ex uno aegroti latere, tres ex altero stant, et senior ipsius capiti evangelium imponit, caeteri ipsi manus imponunt, senior primam strophen sequentiae ad hunc finem compositae recitat, tunc aegrotum ungit, post quae ceteri sacerdotes alteram strophen inchoant.

***) Altera strophe cantata chorus hymnum canit tono Resurrectionis, et tunc alterum canunt tono Obsequiarum. Dicitur Pater noster, sacerdos, qui postremam orationem recitabit, orationem absolutionis Filii dicit, tunc dicitur quadraginta vicibus et una Kyrie eleison. Ita Vanslebius.

dum cantatur sub sono tabulae ligneae Nakus):* Misericordiae tuae Deus. *Progredientes inde ab altari faciant circuitum per ecclesiam usque dum ad altare pervenerint. Lampas deinde in mensa, loco suo solito deponatur. Sacerdotes pacem dent inter se primum, et postea capita sibi invicem osculentur. Post haec ungant populum omnem oleo sancto**). Quod si finitum est, sacerdos legit benedictionem***), et si infirmus est in domo sua, vadat ad eum unus ex sacerdotibus ecclesiae et ungat eum oleo et imperet ei, ut se ipsum ungat per septem dies****). Et si nullum obstet impedimentum, recipiat sancta sacramenta.*

Laus Deo semper in aeternum. Amen.

Ordo extremae unctionis Syrorum Jacobitarum.

(Ex Trombellii tractatu de extrema unctione T. II. diss. 7. c. 2. art. 18. Tit. 2. p. 206, qui a Stephano Borgia S. Congregationis de Propaganda Fide acceperat traductum ex codice bibliothecae Collegii de Propaganda Fide exarato 1686. ab Athanasio Saphar, Syro civitatis Mardini et Nisibis in Mesopotamia episcopo secundum rituale Michaelis Magni patriarchae.)

Ope Trinitatis sanctae consubstantialis, Patris et Filii et Spiritus Sancti incipimus scribere ordinem lampadis.

Primum. Oratio initii.

Deus magne et stupende, ille, qui dedisti promissionem gratiae tuae et multarum miserationum tuarum, Dominum nostrum Jesum Christum: ille, qui renovasti nos ex vetustate peccatorum: tu, qui sapientes fecisti energumenos et dedisti caeco visum, ac amasti justos, peccatoribus propitius fuisti eosque eduxisti e tenebrositate umbrae mortis ad lucem tuam divinam et non tenebrosam, et scidisti vincula eorum, qui conclusi erant, et eduxisti in refrigerium et laetitiam sempiternam, quia orta est lux cognitionis Christi tui, qui venit et apparuit in terra inter homines: et illis, qui receperunt eum, dedit ipsis, ut essent filii Dei in baptismo sancto, quem dedit eis ad expiationem debitorum et veniam peccatorum, Domine noster, et Deus noster in saeculum saeculorum. Amen.

Responsorium: Miserere mei, Deus, cum cantico. Primum coelestes tuam gloriam canunt: poenitentiam offero tibi, ut Ninivitae illo tempore: et lacrymas cum passione fundo, uti peccatrix, quae in domo Simonis: uti peccatrix clamo, et tamquam publicanus supplico: et sicut

---

*) Nakus tintinnabulum ligneum.

**) Ex Bernato l. c. unctionem in omnibus adstantibus peragunt, ne, ut aiunt, spiritus malignus ad eorum quendam transeat.

***) Ex Vanslebio sacerdos, qui postremam h. e. septimam orationem recitavit et orationem absolutionis ad Filium, benedictionem dat aegroto.

****) Ex Vanslebio etiam ungunt infirmum per septem dies.

ille filius, qui dissipavit bona sua. Suscipe me in poenitentia. Veni in adjutorium meum, tu, clemens, et corrobora me ad mandata tua, et inveniam, Domine mi, miserationes coram te in illa hora decisionum. Deus, cujus porta aperta bonis et malis aequaliter, aperi mihi portam clementiae tuae, et suscipe me in poenitentia. Deus, te invocamus in adjutorium imbecillitatis nostrae, audi, bone, vocem petitionis nostrae, et annue per tuas miserationes deprecationibus nostris. Deus in misericordia corripe nos, et a virgis irae libera nos, et aperi portam tuam orationi nostrae, et annue per tuas miserationes deprecationibus nostris. Laqueis mali vinctus sum, et mundus seduxit me suis concupiscentiis, et nunc, cum redii ad tuas miserationes, ne avertar moestus. Sorores et omnis status, ac patres, ad quos confugi, offerte pro me petitionem Deo, ut misereatur mei.

Christe, qui propter peccatores super lignum immolavit se ipsum, cruce tua, Domine mi, custodi me, quia ecce inclinatus sum coram majestate tua.

Deipara Virgo, et prophetae, Apostoli ac martyres sint tibi murus et comes (Obscura haec locutio est) a malo, et virtutibus ejus.

Incipiunt Cyclion rhythmo primo: „Beatus, cui remissa est iniquitas sua, alleluja, et tecta sunt peccata sua.

„Beatus, cui non imputabit Dominus peccatum ejus, alleluja, et non est dolus in corde ejus.

„Quia tacui, inveterata sunt ossa mea, alleluja, cum vociferarem tota die.

„Quia nocte et die gravata est super me manus tua, alleluja, et conversus est in pectus meum dolor ad occidendum me. Gloria. Et Antiphona (Clausula).

Prophetam Jonam tu redemisti.

Prooemium.

Illi januae miserationum, quae aperta est peccatoribus, et portui vitae, qui obvius est mortalibus: illi hyssopo mundatori, qui emundat pollutos, et rori dealbatori, qui dealbat inquinatos: illi perfecto, qui desiderat poenitentes, et saluti perfectae, quae prope est victis, bono, quem commemoramus et glorificamus.

Ordo.

Suscipe, Domine mi, incensum nostrum, quemadmodum accepta fuit oblatio Abelis, primogeniti primi: et quemadmodum placuit tibi Henoch in suo ministerio, placeat tibi, Domine mi, ministerium nostrum, et placare in fructu labiorum nostrorum, uti odore victimae Noe justi: et suavis tibi sit, Domine mi, oratio nostra, uti suavis tibi fuit fides patris nostri Abrahae dilecti tui. Et confundatur malus inimicus Ecclesiae tuae, uti confusus fuit a Job justo. Avertantur a nobis mala, uti prohibita fuit mortalitas a populo Israelis per incensum Aaron sacerdotis veri: et sit nobis spes in ministerio nostro, sicuti annunciatus fuit Zacharias sacerdos in suo ministerio de Joanne praecone suo. Condona peccata nostra verbo oris tui, sicuti Zachaeo publicano; et suscipiatur deprecatio nostra coram te, uti Simonis capitis Apostolorum: et dimitte peccata nostra multa, sicut dimisisti debita illius peccatricis: effundantur super nos miserationes tuae, sicuti effusae fuerunt super illam infirmam, quae sanata fuit a suo morbo difficili. Expelle a nobis virtutem adversarii

sicuti Danieli, viro desiderii. Et solve a nobis vincula consuetudinum malarum, uti domus Ananiae in fornace ignis ardentis. Et sacerdotes tui, Domine mi, faciant voluntatem tuam, sintque fideles super thesaurum tuum coelestem: et pastores tui pascant oves tuas in timore tuo, ut ambulent in semitis tuis et custodiant mandata tua: et misericordiam et clementiam petunt a te pascua tua coram te: et Ecclesia tua exaltetur in filiis suis, et populus tuus redimatur in victoria, et agni tui pascantur in pratis tuis, et oves tuae saturentur bonis tuis, et omnes clementiam obtineamus a te, qui clemens es peccatoribus, ac vis poenitentes: clemens esto nobis per multam tuam misericordiam, et miserere mei, et placeat tibi, Domine, ac suscipe incensum nostrum et orationes nostras, et expia nos ac defunctos nostros fideles, ac sanctifica animas et corpora nostra, et attollemus tibi gloriam et confessionem.

Cantus. Regnum altitudinis. *(Post receptam, ut puto, Eucharistiam.)* Rex Christe, ad portam clementiae tuae quavis hora pulso, et e thesauro tuo diviti clementiam et misericordiam peto: ad te, Domine mi, confugio: adjuva me, quia confessus sum te. Ne confundas me, quia tu es spes mea et fiducia mea valida. Misericordiam peto, clementiam peto a te, Fili bone: libera me, Domine mi, a gehenna, quia latet in me Corpus tuum et Sanguis tuus, et quia non negavi crucem, ne abneges me in ea die, in qua judicabis omnes tribus. Anima mea infelix usquequo oblivisceris diei judicii? Diligens esto in poenitentia, pete misericordiam et remissionem: constitue tibi viatica bona et elige vestes ad convivium, ut non stes nuda coram sponso. Quis autem dabit mihi fontem lacrymarum et cor compunctionum, quia sedi et ploravi super me ipsum cum suspirio amaro pro annis vitae meae, qui transierunt in vanitate, quae sine utilitate est, et factus sum fragilis in operibus meis.

(Ad incensum.) Ad thurificationem suffitus. Ita Domine, Deus noster, suscipe incensum hoc de manibus meis vilibus, et sanctifica unguentum hoc, et operare per ipsum mysterium sanitatis animae et corporis et eductionis ex diluvio peccati, uti ad illos, qui fuerunt in arca Noe pii, columbam misisti, quae apprehendit ore suo folium olivae, signum reconciliationis redemptionisque e diluvio, et signum gratiae per illos, quos tunc praesignasti tu, dator fructuum olivarum, ad perfectionem mysteriorum tuorum divinorum et sanctorum, ille, qui per ipsum et eos: tu itaque et hoc unguentum benedic virtute et illapsu Spiritus Sancti, ut sit gratia incorruptibilis, armatura justitiae, et renovatio animae et corporis ab omnibus efficientiis diabolicis, liberatio ab omnibus malis, illis, qui eo perunguntur cum fide aut accipiunt ex eo: Pater, et Fili, et Spiritus Sancte, nunc etc.

Legunt Apostolum ex epistola ad Romanos (in Vulg. 15, 1—5. 7.). Fratres mei: debemus itaque nos fortes ferre aegritudines infirmorum, etc. *usque ad:* propterea estote offerentes et ferentes invicem in laudem Dei.

Et dicunt laudationem.

Antiphona. Miserere mei Deus secundum gratiam tuam.

Evangelium Lucae (18, 35—43). Cum appropinquasset Jesus Jericho, caecus unus sedebat super latus viae etc. *usque ad:* et secutus est eum et glorificavit Deum.

Et dicit diaconus litaniam: Stemus omnes recte etc. Kyrie eleison. Ut sit, o Domine, unguentum hoc unguentum laetificans, et unguentum sanctificans, indumentum regale, scutum destruens et debellans omnem virtutem Inimici: Domino supplicemus. Kyrie eleison. Laetitia cordis, gaudium aeternum, ut ungatur eo, tamquam unguento innovante, quod non terreat illos, qui sumunt ex eo, et resplendeant tamquam stellae, quae in coelo nitent; sit ad expiationem debitorum, ad veniam peccatorum: Domino supplicemus.

Kyrie eleison. *Et dicit hanc orationem:*

Domine miserator et misericors erga creaturam manuum tuarum, qui nosti occulta, qui sanas infirmitates, qui propter charitatem tuam erga figmentum manuum tuarum sanctarum homo factus es et salvasti Adam et generationem ejus a gehenna: tu, qui dicis in evangelio tuo sancto: non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. Tu misericordia tua sollicitus invenisti drachma perditum, et non est Adam perditus: tu, Domine mi, dixisti: omnem, qui venit ad me cum fide, non ejiciam eum foras, sed erit ei vita aeterna in saeculum: tu, Domine mi, dixisti peccatrici, quando lavit suis lacrymis pedes tuos sanctos: dimissa sunt tibi peccata tua, vade in pace; et dedisti ei sortem et portionem in horto deliciarum; tu, Domine mi, Jesu Christe, dixisti in evangelio tuo puro: gaudium magnum erit in coelo super uno peccatore, qui poenitentiam agit, magis, quam super nonaginta novem justis: o benigne, ex altitudine sanctuarii tui parce nobis famulis tuis peccatoribus immerentibus, qui vocemur tibi servi; et infunde nobis, Domine, Spiritum tuum Sanctum, vivificantem, et benedic servum tuum hunc (talem), qui jam mersus est in mare peccatorum ac debitorum, et suscipe eum per praecipuam tuam in homines charitatem, et dimitte ei omnia peccata, quae admisit sermone, aut opere, aut cogitatione, et munda eum ab omnibus peccatis ejus, et esto cum eo, et protege eum ab omni diabolo maledicto et ab omnibus oppressoribus, et ne praevaleat in eum incursus aut noxa, sed sit benedictus: et munda servum tuum hunc (talem) et esto cum eo cunctis diebus vitae ejus, ut glorificet nomen tuum sanctum, amodo, et omni momento, et in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit ministerium primum.

Item ministerium secundum.

Initio ministerii dicat: **Sanctus es Deus:** ***ter.*** **Et Pater noster, qui es in coelis.** ***Et incipit orationem secundam super unguentum et facit tres cruces, et accendit lychnum orientalem.***

Oratio initii.

Domine, qui multitudine miserationum tuarum sanas infirmitatem animarum et corporum nostrum, tu † bene † dic † unguentum hoc, ut sit illis, qui eo perunguntur, ad sanitatem et salutem ab omnibus passionibus et infirmitatibus et contaminationibus animae et corporis et ab omnibus malis, ita ut in hoc glorificetur nomen tuum honorabilissimum: Pater et Fili et Spiritus Sancte.

Cyclion secundum:

Ad te, Domine, animam meam levavi, alleluja: Deus meus, in te speravi, non confundar. Ne glorientur super me inimici mei, alleluja,

et omnes quoque, qui sperant in te, non confundentur. Confundantur iniqui in vanitate sua, alleluja; vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas notas mihi fac, alleluja: dirige me in veritate et doce me. Gloria.

Sordes reatuum nostrorum, et inquinamenta, quae ab inimicis nostris hodie per lavacrum ex aqua et Spiritu dealbavimus, et ad viam directi sumus novam, quae non veterascit, spiritualem, quae nec errat, nec foedatur, et est in cogitationibus illi, quem Deus amat.

Prooemium:

Illi Domino bono, qui vult conversionem peccatorum, qui pulsant ad ejus portam, neque cohibet ab eis miserationes ac pietatem suam; supplices te rogamus, Christe Deus et Salvator noster, ut cures et sanes animam servi tui talis, hic, qui projectus est in angustia peccati et dolorum, et propitius sis omnibus nobis per supplicationes Genitricis tuae, et omnium Sanctorum tuorum in hoc.

Ordo.

Nunc etiam te supplices rogamus, Domine Deus, per suffitum hunc aromatum, quem offerimus nos peccatores et exigui pro servo tuo hoc (tali), qui inclinatus est coram te, et a te petit expiationem debitorum et remissionem peccatorum, et reliquis fidelibus, qui steterunt coram te in hoc instanti, dimitte debita eorum et condona peccata ac defectus eorum, sive peccaverint voluntate, aut sine voluntate, sive cum cognitione, sive adjurationibus, sive anathemate, sive mendacio, sive ebrietate, sive crapula, sive cibo immundo, sive potu, sive visu oculorum, sive odoratu narium, sive auditu aurium, sive loquela linguae, sive cogitationibus cordis, aut accessu ad magos, sive commixtione haereseos, sive vigilantia, sive dormitione, sive qualibet praevaricatione peccatorum, quibus potest Satan seducere genus nostrum imbecille; divinitas tua, Domine, expiet, deleat et absolvat, ac auferat et dimittat peccata, etiam transgressiones omnium hominum, qui confessi sunt Filium tuum dilectum, Dominum nostrum Jesum Christum, magis autem et principaliter servorum tuorum horum, qui procumbunt coram te, et petunt a te expiationem debitorum et remissionem peccatorum. Ita, Domine Deus fortis, expia eos gratia tua per Amen Igneorum, et per Amen Angelorum et Archangelorum. Ita, Domine Deus, parce eis gratia tua per Amen Virtutum, et per Amen Potestatum. Ita, Domine Deus, propitius esto eis gratia tua per Amen Cherubim, et per Amen Seraphim. Ita, Domine Deus, condona eis gratia tua per Amen coetuum supernorum, et clament omnes justi et patres in tabernaculis suis, Amen; et audiamus vocem remissionis peccatorum eorum et nostrorum cum eis ex throno glorioso honoris tui et curru illo Cherubim, in quo conjugati sunt quatuor vultus animalium, leo, qui rugit, et bos, qui mugit, et aquila, quae garrit, et homo, qui est imago et similitudo tua, qui adorat te et glorificat, qui sedes super currus et rotas vivas, ut per te sit nobis et illis expiatio debitorum et venia peccatorum, et laudem, confessionem, ac adorationem attollemus tibi, Domine mi, et Patri tuo, et Spiritui Sancto.

Cantus. Ego sum lux vera.

Per unguentum, quo unxerat Samuel Davidem regem, filium Isai, fecit illum principem, imperatorem et rectorem Israelis: eodem unxit

Moyses Aaronem, ut ministraret in Sancto Sanctorum, et unguentum hoc benedicatur, uti cornu unctionis, et uti pyxis peccatricis.

Deus, qui benedixit sua clementia pyxidi peccatricis eique dixit: dimissa sunt debita tua, et deleta est tota ignorantia tua, ipse benedicat unguento huic et habitaculo offerentium ipsum: et illorum, qui eo perunguntur cum fide veritatis, eodem expientur debita.

Deus, qui non cohibet miserationes suas. Ne, Domine mi, sileam a laude tua.

Ex epistola Jacobi (5, 13—16 omissa illa particula: Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.)

Charissimi mei, si quis vestrum sit in tribulatione, sit orans; etc. usque ad: magna est enim virtus orationis illius, quam justus orat.

Antiphona. Sit super nos, Domine mi, gratia tua, quemadmodum expectavimus te.

Evangelium Lucae (Vulg. 10, 25—37.).

In illo tempore: et ecce scriba unus surrexit, ut tentaret Jesum etc. *usque ad:* Dixit ei Jesus: Vade, tu quoque similiter fac.

Et dicit diaconus litaniam. Stemus omnes recte.

Pacem et salutem, quae a te est, Deus Pater, et remissionem peccatorum nobis et servo tuo: propter quem tibi supplicamus et a te petimus.

Kyrie eleison.

Et pro eo, ut benedicatur unguentum hoc virtute et gratia Spiritus tui Sancti, Domino supplicemus.

Kyrie eleison.

Deinde legit hanc orationem:

Dominator Deus, et Domine noster Jesu Christe, qui tua pietate et misericordia sanasti infirmitates animarum et corporum nostrorum, sanctifica hoc unguentum et fac in eo mysterium misericordiae tuae abundantis, et sana per ipsum infirmitates servi tui hujus (talis); infirmitates animae et corporis, et munda eum ab omni pollutione et inquinamento peccati: et ita, quicunque eo perungetur, inveniat sanitatem et medelam ac remissionem peccatorum, et multitudinem miserationum, propitiationis et benignitatis, et gratiam Spiritus Sancti, et per intercessionem prophetarum tuorum ac Apostolorum tuorum et Genitricis tuae, quae est Mater salutis in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit ministerium secundum.

Item ministerium tertium.

Primum oratio initii:

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Domine Deus, fortis et potens saeculorum, ac sanctissime, benedic et sanctifica unguentum hoc et illos, qui eo perunguntur. In nomine Patris Amen † et Filii Amen † et Spiritus Sancti in vitam aeternam † Amen.

Cyclion tertium.

Domine Deus meus salutis meae, alleluja, die clamavi et nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea, alleluja: inclina aurem tuam ad precem meam. Quia satiata est anima mea malis, alleluja, et vita mea ad infernum pervenit. Reputatus sum cum descendentibus in lacum, alleluja; et factus sum tamquam vir sine adjutorio.

Gloria et clausula.

Anima sterilis, et quae non producis, posside tibi fructus in Deo tuo, et laetabunda clama ac dic: corroborata sum et confortata sum virtute tua, Domine omnium, quia non est alius extra te, neque justus uti tu; peccavi tibi, amator hominum Deus.

Prooemium.

Illi magno ac sublimi Domino omnium, illi, qui adoratur ab omnibus creaturis; fons sapientiarum, abyssus bonorum, et profunditas, cujus miserationes non mensurantur; tu es, Domine Deus, amator hominum, convertere et audi nos servos tuos exiguos, et ille, propter quem stamus, mitte ipsi medelam et salutem ac veniam peccatorum, et sana eum secundum multitudinem miserationum tuarum, ut te adoret et honoret in hoc.

Ordo.

Domine noster, Jesu Christe, ad portam misericordiae tuae pulsamus, et a thesauro tuo pleno omnibus bonis remissionem debitorum et peccatorum petimus; veni, Domine mi, in adjutorium servorum tuorum in hoc instanti, et audi orationes nostras secundum voluntatem tuam bonam, quia dedisti potestatem Apostolis tuis sanctis et dixisti eis: Si detinueritis peccata hominum, retenta sunt eis, et si dimiseritis, dimissa sunt, et si ligaveritis, ligata sunt in coelo et in terra; et si solveritis, solvo ego in coelo et in terra: tu itaque, Deus purus, et rectus solus, expia et dele ac dimitte defectus servorum tuorum, qui stant coram te in hoc instanti, quemadmodum suscepisti peccatricem Mariam, quae unxit unguento pedes tuos et tersit eos capillis suis, ac dixisti ei: dimissa sunt peccata tua, quia dilexisti multum (Luc. VII. 47); ita, Deus omnium, supplices te rogamus, ut dimittas peccata nostra et peccata servorum tuorum, quae peccavimus voluntate et sine voluntate, cum scientia, sive per adjurationes, sive per mendacium, sive in dissidio, sive in contumacia, sive in oppressione, sive in quavis causa, qua Satan ducit ad peccatum genus hominum: tu, Domine, qui extendisti manus tuas in patibulo propter expiationem et salutem hominum, expia debita nostra, dimitte defectus nostros, et concede nobis, ut stemus a dextera tua cum electis tuis, qui fecerunt voluntatem tuam, et attollemus.

Cantus. Christe, custodi Ecclesiam tuam.

Unguentum principale tulit peccatrix ab aromatorio, et in domum Simonis ivit, ut reciperet remissionem debitorum suorum: increpavit eam Simon et dixit ei: I e porta, discede e via, novit te omnis creatura, quod mulier sis fornicaria. Gloria illi, qui dixit: I, mulier, dimissa sunt débita tua, et ipse dimittit peccata omnium nostrum per gratiam suam: gloria ei, et illi, qui misit eum. In parabolis locutus est Salvator noster, Unicus, Verbum Patris. Assimilatum est regnum altitudinis.

Paulus ex epistola ad Corinthios (II. Cor. 6, 16—7, 1.) Fratres mei: Vos enim estis templum Dei vivi, sicuti dictum est, habitabo in eis, etc. *usque ad:* et colamus sanctitatem in timore Dei.

Laudatio.

Convertere Domine, et miserere mei.

Evangelium Matthaei 10, 1. 5—8.

In illo autem tempore vocavit Jesus duodecim discipulos suos, et dedit eis potestatem super spiritus immundos, ut educerent eos, et ad sanandum omnem dolorem et omnem aegritudinem, et praecepit eis ac dixit eis: in viam ethnicorum non abieritis etc. *usque ad:* daemones ejicite, gratis accepistis, gratis date.

Et dicit diaconus litaniam:

Stemus recte omnes etc.

Pro servo Dei (tali), et receptione poenitentiae ejus Domino supplicemus.

Kyrie eleison.

Gloria tibi, Deus, cui complacuit in peccatoribus: dimitte servo tuo (tali), qui accipiat veniam peccatorum et vitam aeternam, a Domino petamus.

Kyrie eleison.

Deus misericors et multarum miserationum, benedic sacerdotes et diaconos tuos et omnes filios Ecclesiae sanctae, a Domino petamus.

Kyrie eleison.

Et dicit hanc precem:

Domine, Salvator sancte, dominator, omnitenens, rex gloriae, o qui corripit et non mortificat: o qui erigit lapsos et evertit sedes superborum, virtute sapientiae tuae aeternae, pius esto erga servos tuos pauperes consignatos signaculo baptismi tui sancti, qui acceperunt Corpus tuum Sanctum; et propitius sis eis et huic servo tuo tali, qui deprecatur te et tuam misericordiam uberem: demitte in eum benedictiones, misericordiam et benignitatem, et sana corpus ejus ab omnibus infirmitatibus animalibus et corporalibus: et ne praevaleat ei oppressor, cohibe ab eo spiritus diabolicos, nec sit eis potestas laedendi eum, per virtutem Spiritus Sancti et crucis tuae magnae, et per orationes prophetarum, et martyrum, et Sanctorum, et Matris vitae, quae est Domina nostra, Maria pura; concedat nobis Dominus intercessionem ejus in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit ordo tertius.

Item ministerium quartum.

Primum. Ordo super unguentum.

Domine Deus fortis, qui dimittit iniquitates humanas, ille, qui non vult mortem peccatoris, extende dexteram tuam et benedic unguentum hoc ut cornu unctionis, et fac per ipsum medicinam animae et confirmationem membrorum iis, qui eo perunguntur: in nomine Patris Amen †, et Filii Amen † et Spiritus Sancti in vitam aeternam. Amen †.

Cyclion.

Eructavit cor meum sermones bonos, alleluja, et dixit opera mea Regi. Lingua mea calamus scribae periti; alleluja: qui speciosus est forma sua prae filiis hominum. Diffusae sunt gratiae super labia tua, alleluja, propter hoc benedixit te Deus in saeculum. Mitte gladium tuum in femore tuo potens, alleluja. Species tua et gloria tua vincit.

Gloria et clausula.

Filii lucis, surgite, glorificate; quia pervenit lux, et date laudem illi, qui creavit lucem.

Prooemium.

Illi factori et conditori creaturarum, illi, cujus miserationes sunt effusae super peccatores, qui invocant eum: complaceat etiam nunc tibi in remissionem debitorum et peccatorum nostrorum et servi tui hujus, qui stat coram te in timore et tremore, ut attollat tibi gloriam et confessionem grex tuus universus redemptus cruce tua in hoc.

Ordo.

Supplices te rogamus, Domine Deus, sanes morbos nostros et infirmitates nostras, occultas et manifestas, et servi tui hujus (talis), qui expectet miserationes a te, ad remissionem peccatorum ejus: effunde, Domine, misericordiam tuam super eum et super genus humanum, quod plasmavit dextera tua: et paca reges ac principes, et da eis, Domine, amorem fidei, quae in te, et dita eos eleemosynis, et supple indigentias eorum: aegrotis et angustiatis mitte refrigerium et solatium; orphanos et viduas visita tamquam Pater misericors: illis, qui propinqui sunt, et remoti, ac projecti in tribulatione maris aut aridae, da quietem et pacem: et illos, qui distant a fide veritatis, trahe ipsos ad annunciationem evangelii tui sancti: et illis, qui in confessione recta, da tolerantiam et patientiam et omnes mensuras christianorum verorum, et custodi ac benedic sacerdotes et diaconos tuos, et servum tuum hunc, (talem) propter quem deprecamur te; et expia ac quiete dona per tuas miserationes omnes defunctos fideles, qui obdormierunt in spe tua et expectant diem manifestationis tuae, et attollemus.

Domine vesperarum. Miserere mei propter gratiam tuam, et dimitte debita mea per misericordiam tuam: medice, qui sanasti foeditates Adami, sana foeditates meas per miserationes gratiae tuae. Quia peccavi, deprecor te, expia debita mea per amorem Genitoris tui, et ne, Domine mi, abjicias me in illa hora tremenda, quia Corpus tuum et Sanguis tuus est in me pignus. Intra portam cubabat Satan, ne relinqueret fornicariam ingredi. Posuit sinum suum super collum ejus et intravit, et ubi ingressa fuit, accepit remissionem. Obdormierunt Moyses et Aaron Levitae propter unguentum sanctificationis a populo: unguentum hoc benedicatur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Suffitus. Suscipe, Domine mi, incensum servorum tuorum, et acquiesce ministerio adoratorum tuorum, et amove a terra et ab habitatoribus ejus omnia flagella et virgas irae, et fac miserationes tuas super nos omnes, Domine noster, et Deus noster.

Paulus ex epistola ad Corinthios (II. Cor. 1, 8—11.).

Fratres mei; volo autem vos scire, fratres mei, tribulationem, quae fuit nobis in Asia etc. *usque ad:* qui confiteantur pro nobis.

Antiphona.

Sperans speravi in Domino, qui conversus est ad me, et exaudivit precem meam.

Evangelium ex Matthaeo (15, 21—28).

Venit Jesus in fines Tyri et Sidonis, et ecce mulier Cananaea ex finibus illis egressa clamans etc. *usque ad:* et sanata est mulier ex illa hora.

Et dicit diaconus litaniam:

Stemus recte omnes etc.

Pro expiatione debitorum et remissione peccatorum servi tui (talis) Domino supplicemus.

Kyrie eleison.

Et pro filiis Ecclesiae sanctae, et sacerdotibus ac diaconis, qui in ea, Domino supplicemus.

Kyrie eleison.

Pro memoria bona patrum, fratrum et magistrorum nostrorum: propitiationem obtineant in tabernaculis lucis in regno coelorum, Domino supplicemus.

Et dicet hanc precationem:

Domine bone, multarum miserationum, et amator hominum, ille, qui sanasti infirmitates et languores in populis, nobis quoque fidelibus da potestatem super omnes spiritus immundos, quemadmodum dedisti Apostolis tuis albis, qui praeceperunt nobis, ut benedicamus oleum, et eo perunguntur aegroti ac peccatores, qui sanentur ex omnibus infirmitatibus suis, corporalibus et animalibus: verbo tuo, Domine et Deus noster, benedic hoc oleum et sana per misericordiam tuam omnem eum, qui eo perungitur, eumque munda et sanctifica animam et corpus ejus, neque praevaleat adversus eum oppressor nec quidpiam noxium et molestum, et haereditare fac eum delicias Eden in saeculum saeculorum. Amen.

Explicit quartus.

Item ordo quintus.

Primum oratio.

Domine Deus fortis, adorande et bone, solus ille, qui non vis mortem peccatoris, benedic unguentum hoc, et sanctifica illud, ut sit per ipsum remissio peccatoribus et sanitas infirmis et omnibus illis, qui eo perunguntur: in nomine Patris Amen †, et Filii Amen †, et Spiritus Sancti in vitam aeternam Amen †.

Et dicunt cyclion.

Dominum in tribulatione mea invocavi, alleluja, et exaudivit me Dominus et liberavit animam meam. A labiis iniquorum, alleluja, et a linguis dolosis. Quid dabunt tibi, et quid addent sibi, alleluja, linguae dolosae? Sagittae viri acutae, alleluja, uti carbones glandis.

Clausula.

Invocavi te, Domine, clamore magno a turbatione mundi, in quo animal corrumpens peccatum devoravit me: ne despicias, bone, clamorem meum, sed respice de altitudinibus sanctificationum tuarum et audi gemitum captivitatis meae et fac liberationem vitae meae, tu amator hominum.

Prooemium.

Illi sancto et sanctificanti omnia, quem exaltant vigiles et angeli, et eum adorant, et universa creatura ab ipso adducitur ad existentiam et naturam, et accipit plenitudinem et perfectionem, eumque adorat in hoc.

Ordo.

Coram te, qui abditus es a vigilibus et ab angelis, Deus Pater; et coram Filio tuo dilecto, qui charitate sua apparuit mundo, et coram

Spiritu tuo vivo ac Sancto, qui suo accubitu mundum expiavit, et coram altari tuo sancto, in quo praedicatur divinitas tua, et quod obumbrat Trinitas sancta et laudabilis, ponimus suffitum hunc suavitatum pro consecratione unguenti hujus; sit, Domine mi, ad expiationem debitorum et remissionem peccatorum, et ad sanitatem morborum, et ad confirmationem membrorum illis, qui eo unguntur in fide veritatis, et attollemus tibi.

Definitionem fidei.

Desiderabilis fuit vox peccatricis, cum dicebat aromatario: da mihi unguentum, et sume auro pretium ejus, unguentum principale da mihi, et permisceam cum eo lacrymas oculorum meorum, et ibo, ungam *Primogenitum* Altissimi; et confido in Deo, quod hoc unguento, quod tuli a te, expiabuntur debita et peccata mea. Et cum tulit unguentum et ivit, vidit Dominus noster fidem ejus, alleluja, et dimisit ei debita ejus. Zachaeus qublicanus, et zizania, qui fuit frumentum, sua voluntate ascendit in ficum, ut videret Christum; et respondit Dominus noster ac dixit ei: festina et descende Zachaee, quia hodie in domo tua manebo. Et festinavit ac descendit Zachaeus, vidit Dominus noster fidem ejus, alleluja, et dimisit ei debita ejus.

Desiderabilis fuit vox Salvatoris nostri, cum dicebat ipsis peccatoribus: venite, delectamini in annunciatione, ac vivite: quia ego sum cultor veritatis, qui semino in terra sitienti pluviam vivam et potum spiritualem: et omnis, qui sitit, veniat ad me, et bibet de fonte vitae, alleluja, et haereditabit regnum. Tu, Domine noster, respice ad imbecillitatem meam, quia peccavi valde et te ad iram concitavi, neque scio, ad quem confugiam: accessi ad medicos, et defecerunt in me pharmaca eorum, quia vulnus amarum, et non est ei alligator: audivi de te, medice bone, quod habeas multa pharmaca, et qui accedit ad te, accipit auxilia per amorem Patris Genitoris tui, et per orationem illius, quae te genuit, alleluja: dimitte mihi debita mea.

Paulus ex epistola ad Corinthios. (II. Cor. 4, 6—10).

Fratres mei: Deus ille, qui dixit, quod ex tenebris lumen in cordibus nostris resplendeat etc. *usque ad:* ut vita quoque Jesu in corporibus nostris manifestetur.

Laudatio.

Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.

Evangelium Matthaei. (Vulg. 9, 18—26.)

In illo tempore venit princeps quidam, adoravit Jesum et dixit etc. *usque ad:* et exiit fama haec in universam terram illam.

Precatio divi Jacobi:

Domine mi, mihi propitius esto, ac vivam per miserationes, quae a dextera tua, et non cruciabor, uti dives in gehenna, in navi aquarum ignis da mihi, ut transeam, ut non denigret super me regio aspersa flammae. Baptismus protegat me ibi ab incendio, et expandat alas suas super ardorem, quando transeo: hic fons aquarum viventium comitetur me: ne, Domine mi, sim indigus ibi inter sites. Ne, Domine mi, petam aquas ibi ab Abrahamo, quia expertum est ac exploratum, quod petenti non dabitur: si accidat mihi via ignis ob iniquitatem manuum mearum, videam te ibi, ut Ananias quartum. Glorificet te lingua mea cum pueris Beth-Aniae, et confiteatur tibi os meum cum Daniele ex intimo lacus:

et a cruciatu illius divitis libera nos, Domine mi, et cum Lazaro illo paupere gloriam tuam canam.

Et dicit hanc precationem:

Domine Deus et Dominator noster, Jesu Christe, secundum promissionem tuam pretiosam, ubi dixisti: imponite manus vestras super aegros et peccatores, et sanabuntur ex infirmitatibus suis: et ecce ponimus super servum tuum hunc (talem) manus nostras nos servi tui peccatores, et petimus a tua misericordia abundanti, ut suscipias poenitentiam ejus, ut suscepisti poenitentiam David prophetae, et dimisisti ei peccata ejus.

O Domine sanctissime, qui sanas animas et corpora, o qui misisti Filium tuum unicum Dominum nostrum Jesum Christum, ut sanaret omnes infirmitates nostras et redimeret nos de morte; sana servum tuum hunc (talem) ab infirmitatibus ejus animalibus et corporalibus, et concede ei, Domine, opus rectitudinis, et da ei veniam peccatorum huic servo tuo (tali), et praesta ei, Domine, sortem et partem in horto deliciarum: o Domine noster Jesu Christe, tibi gloria et honor et adoratio in saeculum saeculorum. Amen.

O Domine, suscipe poenitentiam servi tui hujus pauperis peccatoris, qui confugit ad tuam misericordiam et poscit remissionem: suscipe, Domine, poenitentiam ejus, sicuti suscepisti poenitentiam peccatricis in domo Simonis: suscipe, Domine, poenitentiam ejus, qui accessit ad te et confessus est sua peccata. Suscipe, Domine, poenitentiam ejus, ut suscepisti oblationem Abel: suscipe, Domine, poenitentiam ejus, ut suscepisti orationes et oblationes Martyrum et Sanctorum, et habitare fac illum cum eis in paradiso, in generationem generationum. Amen.

Domine, suscipe poenitentiam ejus, ut suscepisti poenitentiam Simonis Cephae, postquam negavit et blasphemavit ter, et poenitentiam egit ad te et acceptasti poenitentiam ejus: similiter suscipe poenitentiam servi tui fratris nostri (talis), et dimitte omnia peccata ejus: et parce nobis ac miserere defunctis nostris, et parce, Domine, ei qui habet nobiscum laborem in hac supplicatione, et benedic ei ac filiis ejus et omnibus possessionibus ejus, et miserere defunctis ejus per orationes Dominae Matris lucis, et omnium martyrum, et prophetarum, et Sanctorum. Amen. Et misericordia Dei super omnes fideles, et super scriptorem pauperem.

Ritus a Nestorianis in infirmis usurpati.

1. Confectio Hananae (Pietatis).

(Ex codice Syriaco Vaticano 18. fol. 20, apud Assemanum Bibl. Orient. Tom. III. P. II. p. 278.)

Tollito, Domine, pulverem*) loci, in quo martyres coronati fuere: illudque in vasculum, in quod nihil omnino praeter aquam et oleum im-

*) Pulverem in infirmis forsan ex imitatione Christi Joh. 9, 6. adhibent.

missum infusumque fuerit, componito: superfusa deinde aqua pulchre subigito. Modicum interim olei in vasculo paratum habeto, quo delibuto manu massas singulas in modum ellychniorum acuito: easque mox ad formam sigillorum Pietatis concidito. Singulas deinde particulas indice manus dexterae in vola sinistrae subigito, donec ad fili tenuitatem deducas: ita in linteolo, quod antea coram te explicatum habere oportet, omnes praedictas particulas disponito, quotquot ipse confeceris; ibidemque ad alteram diem noctemque relinquito, donec exsiccentur. Postremo Gratiam S. Thomae tollito, quam in formam crucis in illud vasculum immittito, in quo massas modo confectas reposuisti, dicens: Signatur et sanctificatur hic Hanana (pulvis) cum hac Taibutha (gratia) Sancti Thomae Apostoli in sanitatem et medelam corporis et animae in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

2. Ordo auctionis Gratiae (Hanana s. Taibutha) et Ablutionis.

(Ex cod. Syriac. Vatic. 18. fol. 8. apud Assemanum Bibl. Orient.T. III. P. II. p. 277.)

Cum Gratiam augere vis, pone novam coram cruce et pone Gratiam (id est pulverem vel reliquias alicujus Sancti, aut veterem massam hoc modo jam confectam et benedictam) in vase, et oleum in altero vase, eaque pone super novam et incipe. Sanctus et Pater noster qui es in coelis. Dignos nos fac qui sanctificemus. *Canticum.* Tanquam ignis. Mitte Domine in corda nostra ignem amoris tui etc. *Et dic.* Tibi Domine. *Et* Sanctus Deus. *Et.* Inclinate capita vestra. *Et dic canticum aliquod ex canticis Sacramentorum et* Gloria Patri *et* A saeculo *eodem tono. Et dic.* In principio. *Tres priores versus. Et dic hanc orationem consecrationis Gratiae.* Benedic eam, Domine Deus fortis, benedictione tua, eamque sanctitate tua sanctifica et habitare in ea fac dexteram misericordiae tuae et virtutem Spiritus Sancti, et largire ex ea, sumentibus illam, corporis animaeque sanitatem, in nomine gloriosae Trinitatis Patris etc. *Et mitte Gratiam in oleum et dic.* Signatur et sanctificatur et commiscetur hoc oleum cum hac Gratia Sancti talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. *Atque hoc eodem modo fac ablutionem* *).

3. Oratio super aegrotum.

(Hanc orationem, quae pars videtur ritus extremae unctionis, uti quondam apud Nestorianos erat, ex codice Collegii de Propaganda Fide Lit. C. 8 fol. 144. edidit Stephanus Borgia, S. Congregationis secretarius, in dissertatione apud Trombellium P. III. p. 111.)

Deus, dator omnis sanitatis et collator omnium bonorum, ille, cui omni tempore cura est de genere humanitatis neque prohibet a nobis

*) Hoc est aquam benedictam, ad quam tamen non sumitur oleum.

auxilia sua, ipse demittat super te dexteram misericordiae suae et dispellat a te morbum et aegritudinem et nocumenta atque contraria et concedat tibi vitam bonam et sanitatem corporis et animae, et persolvas gloriam et confessionem Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc et omni tempore.

Ritus extremae unctionis apud Armenos.

1. Ordo benedictionis olei a sacerdotibus peragendae et extremae unctionis apud Armenos.

(Ex codice Armeno Bibliothecae Barberiniae Romae inter Orientales 89, exarato a quodam Stephano librario a. 1415, qui ad ecclesiam cathedralem Armenam Tarsensem pertinuit, usuique fuit Stephano archiepiscopo Tarsensi, descripsit et latine reddidit Georgius Bagdadius Anteply, sacerdos Armenus, Summi Pontificis interpres Armenae linguae et in Collegio de Propaganda Fide magister, edidit autem Trombellius tract. de extrema unctione T. II. diss. 7. c. 2. art. 18. p. 223.)

Ordo benedictionis olei juxta institutionem Sanctorum Apostolorum.

Convocentur septem sacerdotes, pareturque altare, oleum purum, lampas, septem ellychnia, septemque Mixi. Si infirmo vires sufficiant, olei benedictio facienda est in ecclesia: si vero debilis est, praedicta omnia paranda sunt prope lectum. Sacerdotes locum occupant juxta suum ordinem infirmumque circumdantes, primus in ordine sacerdos thurificans altare dicit: „Benedictus Dominus Deus noster, nunc et semper, et in saecula saeculorum Amen.

Postea dicitur psalm. L. Miserere: *et juxta tonum diei cantantur hymni poenitentiales, quibus finitis:*

Diaconus: Pro pace Dominum rogemus.

Adstantes respondent: Domine miserere.

Diaconus: Pro pace coelesti et pro salute animarum nostrarum Dominum precemur.

Adstantes: Domine miserere.

Diaconus: Pro pace et remissione peccatorum hujus servi tui N. Dominum precemur.

Adstantes: Domine miserere.

Diaconus: Sanctissimae, illibatae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae, Deiparae et semper Virginis Mariae, necnon SS. Apostolorum, prophetarum et martyrum memoriam recolentes Dominum precemur.

Adstantes: Domine miserere.

Diaconus: Nosmetipsos et totam vitam nostram Jesu Christo Deo nostro commendemus.

Adstantes ter dicunt: Domine miserere.

Primus in ordine sacerdos dicit: Domine Deus noster, per misericordiam et pietatem tuam sana infirmitates animae et corporis nostri.

Tu, Domine, sanctifica altare hoc, ut custodiat omnes, qui unguntur ex eo, ut sit salus omnium infirmitatum animae et corporis, et conglorificetur nomen sanctum tuum: quia tua est miseratio et salus, Christe Deus noster: tibi gloria, Pater, Fili, et Spiritus Sancte, nunc et semper etc.

Hac finita oratione aliquantulum olei infundit in lampadem; eamdemque orationem dicunt alii sex sacerdotes, unus post alium; oleum in lampadem infundunt, quousque impleatur, suumque unusquisque ellychnium in ea ponit.

Deinde primus sacerdos incensat altare, et thuribulum alteri tradit, dicitque alta voce: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel: Psalm. LXVII. v. 36. *Antiph.* In ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel. Psalm. eodem, v. 27.

Lectio epistolae B. Pauli Apostoli ad Corinthios I. 12, v. 27: Vos autem estis corpus Christi et membra de membro = *finis*: = Charitas nunquam excidit: cap. 13, v. 8. Alleluja: Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum Ps. 132, 1. *Evangel. ex Matth. cap. 10. v. 1.* Et convocatis duodecim discipulis suis etc. = *finis* = (gratis accepistis, gratis date).

Diaconus: Pro pace Dominum rogemus.

Sacerdos: Deus, qui es magnus in misericordia, et inscrutabilis in beneficentia; qui es pater pietatis, et Deus omnis consolationis; qui per Apostolos tuos docuisti, in oleo et orationibus sacerdotum concedi populo tuo salutem ab omnibus malis; tu, Domine, fac, ut oleum istud sit in salutem omnibus illis, qui eo unguntur, ut liberati a tribulationibus, quod pro salute petunt, laeti consequantur. Rogamus te, omnipotens Deus noster, Deus salutis nostrae, medicus animae et corporis nostri, sana servum tuum N. oleo misericordiae et dulcedinis tuae; et sic experiamur amorem tuum erga genus humanum, et glorificemus te, qui fecisti mirabilia magna, quia Deus es et hominum amator: gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, nunc etc.

Postea accendit unum ex ellychniis, quae sunt in lampade.

Interim secundus sacerdos thurificat ecclesiam, sive domum, et qui praesentes sunt: finitaque thurificatione tradit thuribulum tertio sacerdoti, accipit librum a primo (quod idem faciunt reliqui sacerdotes suo quisque tempore), incipitque Mesodiam: Mirabilis Deus etc.

Antiph.: In ecclesiis etc.

Lectio epistolae catholicae S. Jacobi Apostoli cap. V, v. 14: „Fratres, exemplum accipite laboris et patientiae etc. = *finis* = et operiet multitudinem peccatorum. Alleluja: Justus ut palma florebit etc. *Evang. ex Joannis cap. 5*: Post haec erat festus dies Judaeorum etc. = *finis* = quia Jesus erat, qui fecit eum sanum (v. 15).

Diaconus: Adhuc pro pace rogemus.

Sacerdos: Pater Sancte, servator animarum et corporum, qui misisti unigenitum Filium tuum D. N. J. C., ut sanaret infirmitates nostras, et nos a morte liberaret, sana servum tuum (N.) ab infirmitatibus suis per Christum tuum, et libera eum secundum voluntatem tuam, ut tibi semper offerat debitum adorationis suae, et tibi gratias agat, quia tua est potentia, et virtus, et gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, etc.

Hinc tradit librum tertio sacerdoti, suumque accendit ellychnium. Tertius sacerdos accepto libro dicit Mesodiam.

Antiph.: Clamaverunt justi etc.

Psalm.: Benedicam Dominum in omni tempore etc.

Lectio epistolae B. Pauli Apostoli ad Romanos cap. 15:

Debemus autem nos firmiores etc. = *finis* = Sicut et Christus vos suscepit in honorem Dei. v. 7. Alleluja: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

Evangel. Lucae cap. 19: Et ingressus perambulabat Jericho etc. = *finis* = et salvum facere, quod perierat. v. 10.

Diaconus: Adhuc rogemus pro pace: Benedic Domine.

Sacerdos: Tu, qui es benefactor et amator generis humani, dulcissime et misericordissime Domine, sana infirmitates omnes servi tui N., et fac, surgat e lecto doloris: respice in eum misericordia et pietate tua: expelle ab eo omnes infirmitates, ut surgat, et sanetur potenti dextera tua, et serviat tibi semper gratias agens et una nobiscum benedicens magno et adorabili nomini tuo. Gloria Patri, et Filio etc. *Traditoque alteri sacerdoti libro, tertium accendit ellychnium.*

Quartus sacerdos tradit thuribulum quinto sacerdoti dicitque Mesodiam. Antiph.: Exultate justi in Domino: rectos decet collaudatio.

Lectio epist. I. B. Pauli ad Timoth. cap. I, v. 18.: Hoc praeceptum commendo tibi etc. = *finis* = et ad agnitionem veritatis venire. II. 4. Alleluja.

Psalm. XC. Qui habitat in adjutorio Altissimi etc.

Evangel. ex Matth. cap. VI. v. 14.: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum etc. = *finis* = (ibi est et cor tuum. v. 21).

Diaconus: Adhuc rogemus pro pace. Benedic, Domine.

Sacerdos: Omnipotens, aeterne Deus, amator animarum et servorum tuorum, salvator omnium, sanator et medicus animarum nostrarum; qui humilias et exaltas, percutis et iterum sanas, respice in misericordia et pietate tua infirmum hunc fratrem nostrum: appropinqua ei invisibilem dexteram tuam, quae plena est misericordia, et sana servum tuum N.: fac, ut surgat e lecto doloris; ejice ab eo spiritum infirmitatis suae: tolle ab eo peccata omnia, plagas, dolores et angustias, tribulationes et febres: dimitte ei, et dele iniquitates omnes propter amorem tuum erga genus humanum. Miserere, Domine, creaturarum tuarum per Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo te decet gloria, honor et virtus, nunc et semper etc.

Tradit librum quinto sacerdoti, aliudque accendit ellychnium.

Quintus sacerdos tradit sexto thuribulum, dicitque Antiph.: Vovete et reddite Domino Deo *etc. Psalm.*: Notus in Judaea Deus, in Israel magnum nomen ejus.

Lectio epistolae B. Pauli Apostoli ad Romanos cap. 8, v. 12. Ergo, fratres, debitores sumus non carni etc. = *finis v. 21* = in libertatem gloriae filiorum Dei. Alleluja: Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Evangelium ex Lucae cap. 10. Post haec autem designavit Dominus etc. = *finis* = quam illi civitati. (v. 12.)

Diaconus: Adhuc pro pace rogemus. Benedic, Domine.

Sacerdos dicit: Domine Deus virtutum, respice misericordia et pietate tua servum tuum fratrem nostrum; redde ei salutem, et libera eum ab omnibus malis et infirmitatibus animae et corporis: fac, surgat e lecto infirmitatis suae: dirige eum ad templum sanctum tuum et redde sancto et rationabili gregi tuo in oratione per Dominum N. J. C., quocum tibi offerimus gloriam cum Spiritu Sancto nunc et semper etc.

Dicta oratione tradit librum sacerdoti, qui eum sequitur; sextus vero sacerdos tradit thuribulum septimo, dicitque Mesodiam. Psalm. Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?

Lectio epistolae B. Pauli Apostoli ad Galatas cap. 2, v. 6.: Scientes autem quod non glorificatur homo ex operibus etc. *finis:* non abjicio gratiam Dei. v. 21. Alleluja: Cor mundum crea in me, Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Evangelium Marci cap. 6. v. 6.: Circuibat castella in circuitu docens, etc. *finis v. 13*: et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.

Diaconus: Adhuc rogemus pro pace. Benedic Domine.

Sacerdos: Rogamus te, Domine Deus noster, ut respicias misericordia super hoc oleum et super omnes, qui eo unguntur in nomine tuo, ut sit eis in salutem et in remedium animae et corporis; avertat quoque ab iis, qui sani sunt, omne malum, et sanet dolores omnes atque infirmitates per sanctum nomen tuum: gloria Patri et Filio etc.

Finita oratione tradit septimo sacerdoti librum, suumque accendit ellychnium.

Septimus vero sacerdos tradit thuribulum primo sacerdoti; qui thurificatis adstantibus illud tradit diacono. Post haec septimus sacerdos dicit Mesodiam. Antiph. Magnus Dominus noster et magna virtus ejus. *Psalm.* Laudate Dominum, quoniam bonus etc.

Lectio epistolae B. Pauli Apostoli ad Colossenses cap. 3, v. 12. Induite vos ergo, sicut electi Dei etc. = *finis* = in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Alleluja: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelis.

Evangelium Lucae cap. 7, v. 36.: Rogabat autem illum quidam ex Pharisaeis etc. = *finis* = fides tua te salvam fecit. v. 51.

Diaconus: Adhuc pro pace rogemus. Benedic Domine.

Sacerdos: Domine, cui nomen magnum, et qui facis mirabilia et inscrutabilia, exaudi preces nostras et sanctifica oleum istud per Filium tuum unigenitum Jesum Christum cum Spiritu Sancto, ut ab infirmo hoc et ab omnibus illis, qui unguntur cum eo, expellat infirmitates omnes: sit eis in remissionem peccatorum, in salutem corporis et animae, in communionem cum Spiritu Sancto, in haereditatem regni coelorum, in adventum gratiae, propter misericordiam tuam, pietatem et amorem erga genus humanum, per unigenitum Filium tuum, quocum sis benedictus, Pater omnipotens cum Spiritu Sancto, nunc etc.

Finita oratione suum accendit ellychnium; quo accenso septem sacerdotes una simul librum evangeliorum capiti infirmi imponunt et postea etiam manus.

Diaconus: Pro aegrotis et afflictis Dominum precemur Salvatorem nostrum Jesum Christum, ut misereatur secundum magnam misericordiam

suam, et curet omnem immunditiam et infirmitatem animarum et corporum servorum suorum, et in perfecta salute perducat omnes ad sempiternam et ininquinatam vitam, qui missus est a Patre ad curandum genus humanum. Unigenitus Filius Dei, Dominus noster et Salvator Jesu Christe, salva et miserere.

Primus sacerdos: Dissipa dolores, et cura infirmitates populi tui, Domine Deus noster, et concede omnibus perfectam salutem in signo victricis crucis tuae, per quam sustulisti infirmitatem generis humani et condemnasti inimicum vitae et redemptionis nostrae. Tu es vita et redemptio, benefice et multum misericors Deus, qui solus potes dimittere peccata et expellere inquinamenta et infirmitatem a nobis: cui manifestae sunt necessitates nostrae, donator bonorum, dona abundantem misericordiam tuam creaturis tuis secundum indigentiam uniuscujusque, quibus semper glorificatur sanctissima divinitas tua nunc et semper etc. Christe Deus noster, custodi servum tuum N. sub umbra sanctae et pretiosae crucis tuae in pace: libera a visibili et invisibili hoste: dignum fac, qui gratiarum actione glorificet te cum Patre et Sancto Spiritu, nunc, et semper etc. Amen.

Suscipe, Domine, orationes nostras per intercessionem Sanctae Deiparae immaculatae Genitricis unigeniti Filii tui, et precibus omnium Sanctorum tuorum, et illorum, quorum hodie memoria recolitur. Exaudi nos, Domine, et miserere, indulge, propitiare et dimitte peccata nostra: dignare nos cum gratiarum actione glorificare te cum Filio et Spiritu Sancto, nunc et semper etc. Amen.

Benedictus Pater Sanctus, Deus verus: in nomine tuo concede salutem huic servo tuo N. Benedictus Filius Sanctus, Deus verus: in nomine tuo concede salutem huic servo tuo N. Benedictus Spiritus Sanctus, Deus verus, in nomine tuo concede salutem huic servo tuo N. Sit salus huic servo tuo N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti nunc, et Jesu Christo amatori generis humani gloria in aeternum. Amen.

2. Ritus inungendi episcoporum et sacerdotum cadavera apud Armenos schismaticos usitatus.

(Refertur hic ritus ex codice Barberiniae Bibliothecae inter Orientales num. 89, qui codex continet Mascedoz sive Rituale Armenum, exaratus anno 1415. apud Trombelli in dissertatione Francisci Borgiae saepius laudata tit. V. tom. III. p. 113. Oratio: Benedictus sis, Domine, edita etiam est a Serposio T. III. p. 351. sqq.)

In fine missae tollunt sacerdotes defunctum et adducunt ad tribunam ponuntque coram sacro altari et dicunt psalmum 22. *voce funebri.*

Antiph. Parasti in conspectu meo mensam.

Alternatio. Dominus pascit me (usque in finem).

Et accipiens episcopus vel sacerdos sanctum unguentum ungit prius frontem, deinde caput ac dexteram manum in modum crucis.

Et ungendo dicunt unctionis benedictionem; ter in fronte, ter in capite, ter in manu.

Benedicatur, ungatur et sanctificetur frons aut vertex aut manus hujus sacerdotis, per signum istius sanctae crucis, per hoc evangelium et hoc sanctum chrisma in nomine Patris etc.*)

Deinde praeconizat diaconus:

Unanimiter rogemus philanthropum Deum pro hoc sacerdote N., ut misereatur hujus, et recipiat in lucea tabernacula, in supernam Hierusalem, et concedat huic partem ac portionem cum Sanctis et diligentibus nomen suum: nos autem dignos faciat obtinere partem haereditatis Sanctorum in luce: per Christum Jesum Dominum nostrum. Salvet et misereatur. *Ter.* Domine miserere.

Et sacerdos dicit hanc orationem:

Benedictus es[1] Domine Deus noster, qui sanctissima unguenti unctione elegisti prophetas et sacerdotes, ut ministrarent tibi et sacrificia offerrent, Spiritu tuo Sancto requiescente in eis: adhuc magis implevisti beatos Apostolos gratia tua, invisibiliter ungens Spiritu tuo[2] eos, qui illuminarunt orbem terrarum regeneratione lavacri: tu igitur, Domine omnipotens, qui elegisti famulum hunc tuum ad honorem glorificati nominis tui, et ad ministerium sancti altaris tui, corroborans divina unctione ad probationem certaminis contra adversarium. Respice nunc quoque, quaesumus te, ad preces nostrum unitim congregatorum in templum gloriae sanctuarii tui; et ponentibus nobis coram sacro hoc altari famulum hunc tuum, dona huic large misericordiam tuam per hoc sacrum unguentum initiationis hodie[3]: et dum miseris Spiritum tuum Sanctum ad renovandos sanctos tuos, cum ipsis hunc quoque dignum efficias nobiscum renovatione et resurrectione; elevari nubibus[4] in occursum tuum in aëra; et ingredi tabernacula lucea coram electis ab initio mundi et audire beatificam vocem: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; et cum ipsis gratiarum actione glorificare Patrem et Filium Sanctumque Spiritum nunc et semper et in saecula saeculorum.

3. Oratio ad benedicendum oleum Feria V. majoris hebdomadis.

(Haec oratio refertur a Galano T. III. p. 647. sq. ut iisdem fere verbis concepta ac illa, qua ab episcopis oleum infirmorum benedicendum est. Tunc post lotionem pedum ab episcopo peractam, fideles omnes presbyteri in ecclesia sine ulla verborum formula inungunt in pedibus hoc oleo, sive potius butyro, quod pro oleo adhibent.)

[1] Serp. sis. — [2] S. addit Sancto. — [3] S. per gratiam hodiernae unctionis hujus sacri unguenti. — [4] S. deest nubibus.

*) Haec eadem ungendi formula memoratur integra a Gregorio Dattevensi apud Galanum T. III. p. 633. Ex his sequitur, Armenos etiam hic chrisma oleo suffecisse, sicut quoad oleum catechumenorum sese gerunt.

Domine Deus noster, qui prae magna tua misericordia voluisti a muliere meretrice unguento inungi, atque hujus rei memoriam per universum mundum in tuo sancto evangelio praedicari; quapropter et Apostoli tui, a Spiritu Sancto edocti, hoc ipsum benedictionis unguentum suscipientes, omnibus fidelibus tradiderunt, ut scilicet idem Spiritus gratiarum per sacerdotale ministerium veniat ac sanctificet illud in remedium omnium aegrotantium . . . . Sanctifica, Domine, hoc butyrum, ut sit medicamentum omnium aegritudinum et sanitatem afferat animabus corporibusque illorum, quibus applicatur.

SUPPLEMENTA.

I. Consecratio chrismatis apud Syros Jacobitas.

(Hunc ritum ex codice Vaticano 51., olim Echellensi 4., qui Rituale a Michaele patriarcha ordinatum continet, ex autographo ejus desumtum, collato etiam, in locis praesertim laesis, codice 304., qui apographon est Echellensis 4., latine transtulit R. P. Pius Zingerle O. S. B., ex Tyrolensi Abbatia Marienberg, linguae Arabicae in Universitate Sapientiae Romana professor et bibliothecae Vaticanae scriptor.)

Ordo consecrationis chrismatis divini.

Primum quidem de praeparatione rerum ad sanctum hoc divinumque ministerium necessariarum. Quinta hebdomadis mysteriorum die praeparatum esse debet purum olivae oleum et oleum balsami simulque urceus pro oleo aptus. Parati porro sint duodecim sacerdotes cum Phainis et duodecim thuribula, duodecimque diaconi cum orariis et duodecim flabella duodecimque candelabra cum cereis et duodecim pueri hypodiaconi. Paratum porro ad hoc ministerium sit tabernaculum) ex lignis confectum veloque tectum. Tum tempore horae tertiae secundum adorandum Trinitatis mysterium summus sacerdos candido ornatu ut in mysterio vestitur et in sanctuario in throno summi sacerdotii considet; adstant autem sacerdotes et diaconi dispositi in tres series, quarum una juxta summum sacerdotem, altera ad januam altaris, tertiaque super bema. Deinde summus sacerdos orationem initii incipit dicuntque responsorium* Miserere mei, *ut scriptum est, posteaque canonem de consecratione chrismatis, octo cantica in Octoecho tertio in mysterio eodem. Cumque haec octo cantica absolverunt, quorum initium est:* In brevi incipit decerni, *summus sacerdos responsorium incipit:* Laudate Dominum de coelis; cum turbis coelestibus Dominum laudemus. *Et cum absolverunt, incipiunt illud bene-*

---

*) Ita vertit Assemanus in catalogo MS. Apud Barhebraeum ab J. A. Assemano vertitur quidem arca (cf. T. I. nostrum p. 362.), sed ibi vocabulo altero syriaco simili recti loco per errorem posito.

dictionum, dum singulas orationes, quae inter cantica (recitandae sunt), solus peragit ille, qui ad consecrandum chrisma paratus est. Quae postquam absolutae sunt, primus ordo (Sedra) dicitur, qui infra scriptus est, hunc ordinem summo sacerdote, siquidem ei placuerit, uni ex paratis imperante, qui deinde ordinem ponit. Post ordinem unus ex praeparatis thuribulum accipit, summus sacerdos nempe aut caput monasterii, et juxta eum duo sacerdotes ad dexteram et ad sinistram adsint, episcopi baculum pastoralem portantes, sintque cum eis duo diaconi, duo flabella super thuribula ferentes. Ante illos vero duo adsint, qui cereas candelas lucentes teneant, et dum omnes sacerdotes adstantes thus in thuribulum imponunt; thuribulum in sanctuario circumferatur eoque inferatur, ubi urceus cum oleo repositus est, indeque exeant, ubi tabernaculum paratum ad exeundum est, et canticum de peccatrice et supplicationem dicentes primum atrium in tota ecclesia placide honestoque ordine circumeant, donec ad altare redeant, ubi summus sacerdos cum reliquis sacerdotibus versatur, statimque Voces) dicant; tum ille qui ordinem posuit, scriptam dicat thuris orationem, posteaque psalmum**) recitent:* Dominus refugium nostrum. *Statim deinde lectiones prophetarum tantum, quae in ordine scriptae sunt, legantur. Post lectionem vero omnium prophetarum archidiaconus primam litaniam praedicet, dumque litania recitatur, summus sacerdos solus eo introeat, ubi urceus positus est, neque sacerdotum quisquam aut diaconorum cum eo sit. Quodsi patriarcha adest, episcopique prope eum versantur, cum eo unus aut duo in mysterio introeant. Eodem modo, si ille, qui consecrat, metropolita est, et episcopus apud eum est paratus, hic cum eo sit. Caeteri autem omnes ex clero foris stent. Summus vero sacerdos occulte olea commisceat ex iisque unum conficiat oleum, tempore unionis canticum Genitricis Dei recitans:* Misit Deus gratiam suam et veritatem***), *idque ob verbum illud, quod in eo dictum est in Spiritu Sancto:* super te autem, Maria, mons rationalis, leniter et quiete et misericorditer descendit. *Et dum canticum absolvit, oleum in urceum et in fistulas, quae in ore urcei sunt, mittit, urceumque manibus suis super pectore suo recondit, eumque veste sua contegit, ne ab ullo videatur. Deinde statim porta aperitur clericique intrant tabernaculumque afferunt paratum, ipsumque supra summum sacerdotem portant, velo demisso eumque usque ad talos tegente. Diaconi autem, qui flabella circa tabernaculum tenent, stant idque his duodecim flabellis contegunt, ne conspiciatur. Illi etiam, qui lumina thuribulaque ferunt, ante tabernaculum hinc illincque statuuntur, atque in medio ante tabernaculum chrismatis baculus pastoralis summi sacerdotis et crux et evangelium. Tum clamat archidiaconus:* Exeant illi, qui dimissi sunt etc., *et post haec summus sacerdos ter* Alleluja *canit respondentque cum eo:* Gloria Deo in excelsis. *Deinde cantus cyclicos scriptos unum post alterum cantant, placide omni ordine incedentes. Absolutis cyclicis*

---

*) Vox (Kolo) modo ponitur pro tono, modo pro versibus, uti dicere solemus; sive brevioribus cantibus. De his vide Assemanum Cod. liturg. T. IX. p. XCII. et 232. ex Morino.

**) Psalm. 45.

***) Psalm. 57, 4.

cantibus canticum Domini Severi dicunt, illud silicet: Chrisma ut oleum. *Dum deinde per portam gazophylacii septentrionalem ecclesiae exeunt, et in mediam ecclesiam perveniunt, in ecclesiae parte septentrionali consistunt, et archidiaconus dicit clamorem fortem* σοφία, θεῷ προςκύνημα *), *respondentque post eum omnes:* Kyrie eleison, *flabella in timore moventes, et hoc modo tribus vicibus. Postea in processione ambulant, canticum cantantes, usque dum ad septentrionalem ecclesiae portam in media ecclesia perveniant, ibique denuo eodem modo archidiaconus clamat, respondentque post eum tribus vicibus, pergentes usque ad australem partem ecclesiae, ubi consistunt. Hic quoque eodem modo clamat archidiaconus et post eum respondent. Deinde, cum circuitum hunc alterum perfecere et ad mensam vitae introeunt, tabernaculum attollunt, detegiturque summus sacerdotum et urceus, quem postea super tabulam* **) *ponit, quae in mensa vitae est, anaphoraque alba contegit, flabellaque mensam a parte orientali circumdant, thuribula vero luminaque a lateribus. Postea summus sacerdos initium secundi ministerii incipit, et clericorum coetus psalmos in ordine descriptos vocibus constitutis antiphonisque statutis decantant. Post psalmos et glorificationes et post ordinem psalmum dicunt:* Confiteantur coeli ***). *Legunt Actus Apostolorum et laudationem* ****) *dicunt; tum evangelium legitur, et post evangelium archidiaconus litaniam praedicat alteram, quibus absolutis summus sacerdos caput suum detegit et consecrationem inchoat. Dum preces vocum et inclinationes dicit, crucesque ter, ut praescriptum est, laudationesque absolvit. Et dicitur:* Iterum iterumque, *in bemate. Perficitur tota acoluthia scripta. Tum summus sacerdos urceum aperte portat, et circumdantibus eum flabellis luminibusque et thuribulis ingrediuntur coram eo et in bema sacrum ascendunt, chrismatisque sancti urceum versus quatuor partes (mundi) circummovet, ut scriptum est, et interpretatur explicatque de mysterio et populo preces solvit. Tum decenti ordine ad altare descendunt.* Absolutum est auxilio Domini.

Oratio initii ministerii consecrationis chrismatis.

Respice, Domine, misericorditer in populum tuum, hilariterque in foedus †) tuum oculos defige, et placide gregem tuum rege, ac sollicite oves tuas pasce, atque partem tuam assidue vivifica, haereditatemque

---

*) Voces graecae syriacis characteribus scriptae.

**) De his tabulis earumque consecratione vide Renaudotium Lit. Or. T. II. p. 56. sq.

***) Psalm. 88, 6. Z.

****) Indicantur hac voce, Hulolo, quam laudationem vertimus, Alleluja, vel versus cum Alleluja. Confer Barhebraeum in directione, quae supra. Glorificatio autem est, quae Sciubeho syriace audit, quae vox etiam in doxologia est.

†) Foedus hic est populus Deo foedere junctus; nonnunquam tamen ponitur etiam pro clero, uti est apud Ebedjesum et in Actis SS. Martyrum. Z.

tuam valde laetifica, et studiose Ecclesiam tuam conserva et omnino gregi tuo benedic, ut in nobis nomen tuum sancte celebretur, vereque in nobis honor tuus promoveatur, penitusque in nobis voluntas tua perficiatur et salus tua glorificetur, nunc.

Altera initii. Responsorium τοῦ Miserere mei.

Dignos fac nos, Domine misericors, ut coram te hoc tempore in nitore animi corporisque sanctitate adstemus, tibique pura laudis cantica spiritu humili menteque imperturbata cantemus, et ut ora nostra linguaeque citharae sint pro gloria tua. Atque dum animorum nostrorum colla coram te inclinamus laudisque dona a terra in coelum tibi offerimus, preces nostrae alis spiritualibus in altitudinem illam gloriosam gloriae tuae eleventur, et a te expiationem pro peccatis nostris et remissionem pro culpis nostris obtineant nunc etc.

Finis τοῦ *Miserere nostri.*

Laetifica nos, Domine, in festo illo tuo, quod non praeterit nec unquam desinit, et cum ovibus, quae ad dexteram tuam statuentur, laudem tibi ac gloriam vocibus gloriosis illustribusque offeramus, quibus divinitas tua, Domine ac Deus noster, acquiescit in saecula etc.

Preces, quae inter glorificationes recitantur

Canonis. Perfectos absolutosque in omni divina mutatione redde nos, Domine, hominum amator, ut ex corporeis spirituales atque ex terrestribus coelestes evadentes digni efficiamur, ut laudis cantica angelorum et laudationes Seraphim omnibus vitae nostrae diebus tibi offeramus, Domine ac Deus noster in saecula etc.

Copiam donorum tuorum spiritualium coelestiumque servis tuis mitte, qui in atriis tuis sacerdotalibus divinisque stant et psallunt festaque tibi celebrant, ut te angelicis laudis cantibus omni tempore exaltent, Domine ac Deus noster in saecula.

Christe, Deus noster, qui dulcis odor in eorum es cordibus, qui in te credunt tuoque amore percussi sunt, pro tuo in humanum genus amore nos mansiones ad inhabitationem tuam redde atque dignos nos fac, ut et mente et animo cunctis vitae nostrae diebus coram te serviamus in saecula.

Imple nos, Domine, dulcedine odoris donorum tuorum divinorum, et mitte nobis de gratia Spiritus Sancti, atque suavitatis contemplationis tuae nos redde participes, nosque coram te puros et immaculatos siste, sanctis ornatos moribus, qui nomen sanctum tuum, Domine noster, placant. Christe, Deus noster, qui dator unctionis es divinae, sanctitate illa, quae a te est, nos sanctifica, et gratiae Spiritus Sancti tui fac nos participes, ut officio huic sancto chrismatis sancti, Domine noster, satisfacere possimus. Exorna nos, Domine, ornatibus nuptialibus convivii tui, vestibusque splendidis nuptiarum tuarum nos decora, ac halitus nobis suavis esto odorque dulcis, qui divinis nos aromatibus suis attrahat, atque dignos nos redde, ut cum sponsa, filia diei, lucide luce mandatorum tuorum illuminemur, atque ad celebrandas laudes tuas parati simus, et ad promissionum tuarum divitias perveniamus, Christe Deus noster, nunc etc.

Delecta animos nostros, Christe, sponse vere, unguentis tuis intelligibilibus, quae et divinas reddunt naturas intelligentia praeditas, id est specula lumine super lumen excelso resplendentia in sufficientia

propria (quantum sufficiunt), mentemque nostram unctione tua divina unge, quae effusa omnesque ad imaginem ac similitudinem paternam perficit, ut, dum hac resplendemus, odor dulcis suavisque ex nobis ad te et Patrem tuum Spiritumque Sanctum ascendat nunc etc.

Puritatem et sanctitatem et perfectionem spiritualem accende in animis nostris, Domine Deus noster, nosque odore suavi tuo reple, qui effusus est et benedictus, atque in nobis unctionem sacerdotalem propheticamque abundantibus donis revelationibusque Spiritus Paracliti fac splendere, atque nos etiam ostende unctos sanctos, unctos regio modo, renovatione unctionis illius, quam ex baptismo accepimus, nosque contemplationibus*) angelicis coelestibusque illis deliciis delecta, et offeremus tibi gloriam et laudem, Pater et Fili, et Spiritus Sancte nunc etc.

Domine, qui se ipsum pro nobis exinanivit et ex sua plenitudine in animos nostros effudit, et qui ob humiliationem suam pro nobis oleum effusum**) nominatus est, effunde in corda nostra excelsa Spiritus Sancti tui dona, participesque nos donorum tuorum sanctificantium redde, quia tu chrisma es purum et incorruptibile, quod assidue in animis Sanctorum tuorum spirat, teque decent laudationes non materiales nunc etc.

Nullius rei egens, neque inops, omniaque divinitus implens, qui pro nobis exinanitus et in humanitate sua unctus est, miserationibus a te copiosis unge nos, atque alacres fortesque nos contra pugnam certamenque et occultorum et manifestorum inimicorum nos redde. Tu enim Christus es, Deus noster, qui in humanitate nostra secundum dispensationem unctus est; tibique debetur gloria et honor et adoratio cum Patre tuo benedicto et Spiritu Sancto.

Verbum et Spiritus, causae a causa prima, Patre, simul celebrantur sine tempore et sine divisione et in unam unitatem et aequalitatem unitatis substantiae vitaeque et actionis junguntur sine confusione, delectanturque salute nostra, qui***) substantiae rationales et mentes primae post primam assidueque splendorem in se trahentes radiorum bonitatis, initii bonorum. Perfice et consumma nos servos dominationis tuae, ut in nobis gloria divinitatis tuae augeatur nunc etc.

Prooemium Ordinis (Sedro) I.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, Trinitati adorandae et gloriosae, regiae in substantia, uni in gloria et natura, supra saecula et tempora, excelsae super omnem intellectum, increatae, invisibili, impalpabili, quae in una aequalitate adoratur et a nobis in eadem aequalitate colitur et sola in sancta sanctorum intrat, creaturam omnem foris extra scrutationem et investigationem de se relinquens, creditur tamen et cognoscitur et glorificatur, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Eum adoremus eumque glorificemus et laudemus et exaltemus hoc tempore, quo chrisma divinum consecratur, cunctisque temporibus.

*) Vox graeca θεωρίαις.

**) Cantic. Canticor. 1, 2.

***) Videntur haec referri ad Verbum et Spiritum S. Nam homines esse non possunt, cum angeli dignitate et tempore potius mentes primae post primam dicendae essent. Z.

Sedro.

Christe, Deus noster, essentialis Sapientia, illuminator mentium coelestium, intellectualium et sensibilium, qui essentialiter nimirum et perpetuo supra naturam et illustratio suavitatis es, passionibus non obnoxiae, et desiderium incessabile, et halitus odorque beatus adolescentularum*) intelligibilium, id est animarum justorum et proborum, qui divinam suam apparitionem et manifestationem in carne propter nostram redemptionem patribus suis sanctis revelavit ostenditque per typos et imagines, quae adventum suum salutarem figurabant, qui (adventus) genus nostrum infirmum renovavit; qui Altissimus in persona sua Veteris Foederis mysteria ad initiationem et firmitatem templi unctione intelligibili complevit; qui hoc oleum sanctum, quod per manus summi sacerdotis hodie conficitur, typice per ramum olei, qui per columbam probo justoque Noae missus est, nobis praefiguravit. Hoc oleum sanctum adumbravit et Jacob, caput tribuum, et tertius inter patriarchas, cum per lapidem, quem cervical suum posuit, et in quem oleum mysticum effudit, initiationem et unctionem spiritualem hujus templi, quod integre aedificatum est, nobis adumbraret. Hoc oleum nobis praefiguratum est illo oleo, quod per Mosen primum prophetarum ope unguenti principalis et myrrhae et cinnamomi suavi odore confectum est. Hoc oleum sanctum, quod nunc conficitur, primum praefiguravit nobis illud ipsum cornu propheticum, cujus ope reges et summi sacerdotes et prophetae typice ungebantur cum vasis ministerii tabernaculi, quod per Mosen constitutum erat. Hoc oleum sanctum, quod modo conficitur, praefiguravit nobis unguentum illud, quod a peccatrice super caput effusum est nostri Salvatoris, qui peccatores recipit. Hoc oleum sacrum, quod nunc consecratur, conficit et perficit Christus suavis in omnibus chrisma divinum et sanctificans filios divinae gratiae, Ecclesiaque sancta, sponsa intelligibilis in gloria adstans et in vestimentis auri**) ex Ophir et cum bracteis ex argento***) spirituali, Davidice ad sponsum sibi desponsatum clamat dicens: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae sociis tuis****), quo et nunc praeuncti filiisque spiritualibus annumerati sumus, dum in festo hoc sancto renovationis ejus gaudio spirituali delectantes nos una voce plena exultationis exclamamus dicentes: O oleum suave, quod ex virtute in virtutem mutatur; o chrisma divinum renovans Novi Testamenti; o oleum sanctum secundorum quoad ordines†); mysterium divinitatis et humanitatis, o chrisma divinum, quo filii gratiae divinae unguntur; o oleum sanctum, altare sanctum sanctificans; o chrisma divinum, quod divinam perfectionem nobis arcano modo communicat. Precamur et supplicamus divitias illas inenarrabilis benignitatis tuae, Domine; corde contrito et poenitente coram te obsecramus: Parce, Domine, parce Domine populo et haereditati tuae verae. Convertere Domine et in multitudine

*) Cant. 1, 2.
**) Psalmus 45, 9. Peschito.
***) Cantic. 1, 11. Peschito.
****) Psalm. 45, 7.
†) Ita dici videntur Christiani, qui alteram post Judaeos legem accipientes secundi sunt quoad ordines, ritus religionis. Z.

gratiae tuae culpas nostras condona. Respice Domine, in foedus tuum (populum) et a nobis tempora afflictionis annosque, quibus ob iniquitates nostras vidimus mala, averte, ut mare abundans misericordiae tuae super nos effundens atque multitudinem gratiae tuae, quam non poenitet, super nos peccatores descendere faciens dignos nos reddas confidentia ante tremendum majestatis tuae tribunal, ut cum coetibus Vigilum *), in festis non transitoriis, et in aeternum manentibus cum eis in gloria nova gaudeamus, nosque et defuncti nostri et omnes Ecclesiae sanctae filii tibi, sponse vere et spes sanctorum, adorationem et gloriam et exaltationem offeramus Patrique tuo adorando atque abscondito, qui te ad salutem nostram misit, et Spiritui Sancto et vivificanti et beatam vitam donanti, offeramus nunc etc.

Post Sedrum thuribulum circumfertur, ubi tabernaculum ad circumferendum est paratum, dum in primo hoc atrio canticum et orationem de illa peccatrice dicunt, circuitumque perficientes voces consecrationis chrismatis dicunt, posteaque hanc orationem thuris.

Chrisma **) purum et immateriale, tu, qui suavitatem odoris donorum tuorum divinorum super animas adolescentulas et dilectas tuas effundis, effunde et super nos imbecilles peccatoresque donum gratiae tuae atque tuis sacris nos imple remissionemque peccatorum et abundantes suavitatis tuae divitias nobis tribue nunc etc.

Hic psalmum hunc dicunt: Quia Dominus spes nostra et Sanctus Israel rex noster ***). Tunc in visionibus cum electis suis locutus est, et exaltavi electum de plebe ejus ****). Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae et suavitatis prae participibus sociis tuis †).

Tum lectiones prophetarum tantum, quae in libro Lectionum scriptae exstant, legunt, et dum lectionem Isaiae prophetae perficiunt, summus sacerdos surgit atque in gazophylacium, quod et sanctum sanctorum appellatur, ad chrisma in urceo, ut supra notavimus, renovandum ingreditur, dumque summus sacerdos solus ibidem est, archidiaconus hanc litaniam in medio coetus proclamat.

Stemus nos omnes decenter. Christe, Deus noster, qui ob suum in homines amorem semetipsum exinanivit nobisque passionibus obnoxiis ex sua plenitudine dedit, ideoque oleum effusum nominatus est, supplicamus.

Deus, qui nos unxit atque signavit, nobisque pignus Spiritus sui in cordibus nostris dedit; ille, qui oleo sancto Davidem unxit unctionemque veram et intelligibilem significavit, oramus.

Ille, qui per oleum Legis expiationem gratiae nobis praefiguravit; ille, qui per unctionem chrismatis misericordias copiosas nobis donas, oramus.

---

*) Daniel 4, 12.

**) Vox syriaca, quae significat unguentum, oleum, sicut chrisma nostrum nomini Christi, ita syriaco nomini respondet, Christusque uti supra oleo comparatur.

***) Psalm. 89, 18. Peschito

****) V. 19.

†) Psalm. 45, 7.

Ille, qui unctionem Legis abrogavit chrismaque gratia nobis suave reddidit, oramus.

Ille, qui per adventum Spiritus Sancti chrisma sanctificat suaveque facit Ecclesiae*), oramus.

Ille, qui oleo laetitiae prae consortibus tuis ex dispensatione unctus es, unctionemque veram Spiritus nobis dedisti, oramus.

Ille, qui per unctionem hanc sanctam ad certamina timoris Dei nos instruxisti, oramus.

Ille, qui oleo laetitiae lucernam animae illuminas; ille, qui chrismate Legis exinanitionem tuam odoremque ex ea suavem (ut) donum spirituale praefigurasti, oramus.

Pro quiete et pace et incolumitate totius mundi et concordia sacerdotum et exaltatione ecclesiarum in toto terrarum orbe, et pro eo, ut Deus tempora tranquilla plenaque gaudiis spiritualibus donet, et pro eo, ut Deus a nobis omnes plagas et flagella irae avertat, et pro sanctis venerandis beatisque patriarchis nostris, Domino N. et Domino N. eorumque salute et conservatione et parochiarum**) ipsorum, et pro memoria bona et expiatione omnium fidelium defunctorum, oramus.

Dignos fac nos, Christe Deus noster, ut, sicut decet evangelium tuum, conversemur odoreque suavi et sancto delectemur, terque clamemus dicamusque: Kyrie eleison.

Deinde episcopus urceum portat, eumque tabernaculo et flabellis contegunt, ut supra scriptum est, statimque archidiaconus commoventes terrificasque voces proclamat, ut: Abite ii, qui dimissi sunt. Exite eae, quae dimissae sunt. Nemo catechumenorum, nemo ex energumenis, nemo ex iis, qui nobiscum orare nequeunt, remaneant hic. Nuntiate invicem portasque claudite et state decenter.

Postea episcopus incipit dicens: Alleluja *et post eum respondent dicentes:* Gloria Deo in excelsis et in terra pax nuntiusque bonus hominibus. *Ter (haec) dicentes statim Cyclion inchoant cum antiphonis hisce:* Is ut sponsus procedens de thalamo suo***) *et:* Ex oriente dedit vocem suam, vocem fortem****) *et* Cantate Domino canticum novum, canticum in ecclesia justorum ejus†) *et cum extra portam gazophylacii sunt, dicunt:* Inveni David servum meum, et oleo sancto unxi eum††) *et respondent:* Mons Sion, qui in finibus septentrionis†††). *Jamque canticum consecrationis chrismatis incipiunt:* Exinanitio tua, Christe *ex eaque recitant, donec in mediam ecclesiam in parte septentrionali veniant, ubi consistunt et archidiaconus clamat:* Σοφία *et:* Θεῷ προςκύνημα. *Respondentque* Kyrie eleison *tribus vicibus, commoventque flabella, iterumque Cyclion incipiunt:* In medio ecclesiae laudabo te††††).

---

*) Vel suavem facit, h. e. delectat Ecclesiam. Z.

**) Vox graeca in syriacum recepta, dioeceses significans.

***) Psalm. 18, 6.

****) Psalm. 68, 33. Peschito.

†) Psalm. 14, 9. Peschito.

††) Psalm. 88, 21. Vulgat.

†††) Psalm. 48, 2. Peschito.

††††) Psalm. 21, 33. Vulgat.

Alleluja. Laudate eum, qui ascendit occidentem versus, Dominus nomen ejus*). Alleluja. *Dumque iterum procedere incipiunt, iterum ex cantico recitant, ubi desierunt, sicque deinceps. Advenientes deinde ante portam ecclesiae septentrionalem consistunt, itidemque archidiaconus proclamat (ut supra) ac respondent post eum atque flabella commovent. Inchoant Cyclion:* Deus ab Austro venit et Sanctus**) *et:* Impinguasti caput oleo***) *et:* Domine Deus noster, illumina nos et festa nostra catenis liga. *Et porro dicunt ex cantico ac progrediuntur, cumque ad australe ecclesiae latus perveniunt, proclamat archidiaconus; iterum recitant ex cantico, donec ad januam altaris veniant, dicuntque:* Aperite mihi portas justitiae****). *Tum ante mensam vitae intrant, elevantque tabernaculum et episcopus detegitur. Deinde urceum super tabulam ponit, quae super mensam vitae, eumque velo albo contegit.*

Hic ministerium prius consecrationis chrismatis explicit.

Et alterum officium inchoantes diaconi flabella circum mensam vitae ex oriente tenentes stant, sacerdotes vero thuribula ferentes ad duo latera; sic et lumina. Tum episcopus hanc orationem incipit:

Domine amans hominum, dignos redde nos, ut pure et sancte, ac quomodo sponsores decet gloriosae tuae sponsae et filiae diei, quae tibi desponsata est, festum hoc perficiamus, quo unctio divina datur, nostrosque illumina oculos, ut mirabilia, quae in lege tua, conspiciant nunc etc.

Et incipit psalmum quartum†): Eructavit cor meum verba bona††); *mutant (tonum) et quando absolverunt, dicunt:* In gloria domus, *ex canone:* Dixit illud os. *Recitat hanc orationem:*

Suavitas odoris chrismatis puri sanctique, quod per ministrum tuum Mosen oleo puro radicibusque suave olentibus praefiguratum est, quo etiam reges, sacerdotes et prophetas perfecisti, eodem nunc quoque odoratus nostros intellectuales delecta, ut cum eo etiam spiritum salutis olfaciamus omnique tempore te celebremus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus nunc etc.

Et psalmum hunc septimo (tono) inchoant: Bonitatem Domini in aeternum cantabo†††).

Et mutant tonum. Quo absoluto dicunt: In gloria. Gratia haec, qua Jesaias impletus erat. *Recitat deinde hanc orationem:*

Revela in nobis, Domine, lucem intellectualem per unctionem et ministerium hoc verum, nosque per eam (lucem) divitiis magnis ac miris dita, illuminatione nempe et deificatione trium SS. Personarum, atque fac nos per eam participes similesque Dei, ut in puritate te omni tempore laudemus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

---

*) Psalm. 68, 4. Peschito; Psalm. 67, 5. Vulg.

**) Habac. 3, 3.

***) Psalm. 22, 5. Vulg.

****) Psalm. 117, 19.

†) Videtur ex analogia sequentium id ita intelligendum, uti postea occurrit, psalmum secundum tonum quartum canendum esse. Z.

††) Psalm. 44.

†††) Psalm. 89. Peschito.

Et incipiunt psalmum istum octavo (tono). Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus*); *atque illum, qui post eum:* Quam bonum et quam jucundum**), *absolvuntque dicentes:* In gloria. Ille, qui absconditus est et excelsus super omnia. *Tum hanc orat orationem:*

Christe, cujus nomen oleum effusum est, tu, qui suavitate odoris tui intellectualis Deumque decentis eos, qui te excipiunt, divina ineffabilique jucunditate reples eosque amore in te perculi facis: nos quoque suavitate odoris tui reple, elocutionis divinorum tuorum mysteriorum, et ministerio hoc sacerdotali tremendoque nos dignos redde, nobisque gratiam Sancti tui Spiritus mitte, et sanctifica atque perfice oleum hoc positum, et fac id, ut in unctionem sit mysticam ad perfectionem donorum divinorum, ad sanctificationem eorum, qui eo unguntur, ad elocutionem gloriae nominis tui in omnibus honorandi, quia sanctus es, et tibi gloria et laus et Patri tuo et Spiritui Sancto tuo, nunc etc.

Jam porro dicunt: Sanctus es, Sanctus es, Sanctus es, Domine, pleni sunt coeli te, et terra laudibus tuis.

Archidiaconus: Στῶμεν καλῶς. (Stemus decenter)***).

Episcopus: Prooemium Sedrae secundae: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, illi regi regum omnium saeculorum, incorruptibili et invisibili, soli sapienti Deo, a quo omnis paternitas in coelo et in terra nominatur, per quem accessum habemus, a quo in diem salutis signati sumus; illi qui in unitate intelligitur et in Trinitate cognoscitur, creditur scilicet et adoratur et glorificatur et honoratur, nunc.

Sedra. Deus, dator magnarum gratiarum et distributor divinorum donorum, effuse liberalis in donis et gratiis, tu aeternis tuis miserationibus commotus es, ut non solum ipse in beatitudine tua suavissime delecteris, sed super alios quoque profundaris atque affluas****), ideoque tibi coelestium exercituum agmina creasti, ut eos tecum voluptatis visionis tuae participes reddas. Neque id tibi, ut in eo consisteres, satisfuit, sed cum hominem fecisses et secundum imaginem tuam formasses, eumque cognatum exercitibus intellectualibus constituisses, id est animo cognitione praedito et intelligenti, plantationibusque†) virtutum: in benignitate tua etiam, ut super eum quoque suavitas bonorum tuorum effluat, dignum reddidisti, et in figura primogenitorum, qui in coelis adscripti sunt, nos terrigenas in ministerio hoc spirituali constituisti in eoque summos sacerdotes, et sacerdotes et diaconos cum ceteris totius ordinis ecclesiastici, ut per eos totus reliquus populus ad familiaritatem tecum adducatur. Etiam nos imbecilles, o Domine, et peccatores, quos licet indignos nec sufficientes ad ministerium hoc elegisti et adduxisti, imploramus clementiam tuam, ne vitae nostrae impuritatem neque cupiditates nostras legi repugnantes respicias, nosque et ministerium hoc

---

*) Psalm. 131.

**) Psalm. 132.

***) In margine nota syriaca est: Pertinet ad sacerdotem et diaconum.

****) Cf. Dionysium, quem multoties imitatur ordo noster, de divinis nominibus cap. 4. §. 1., unde axioma: Bonum est sui diffusivum.

†) Forsan exigua mutatione facta aliter legendum est atque vertendum: ornamentisque. Z.

rationale populumque tuum descensu gratiae tuae divinae prives, sed nostri totiusque gregis tui propter nomen tuum sanctum, quod invocatum est super nos, miserere, nobisque abundantiam donorum Spiritus Sancti tui ad ministerium hoc sacerdotale perfecte conficiendum mitte, non ad judicium et condemnationem, neque ad confusionem coram tremendo Christi tribunali, sed ad delectionem et expiationem remissionemque nostrorum peccatorum et ad sanctitatem et puritatem ac illustrationem animorum corporumque nostrorum et fiduciam paratam illis, qui secundum voluntatem tuam plene in vocationibus divinis sancti hujus ministerii perfecti sunt, atque ad gloriam autem sancti tui venerandique nominis et aedificationem incrementumque et decus exaltationemque catholicae apostolicaeque Ecclesiae. Te enim decet omnis adoratio et gratiarum actio cum Filio tuo unico Spirituque tuo vivo et Sancto, nunc etc.

Archidiaconus: Σοφία. Θεῷ προςκύνημα. *Episcopus incipit symbolum fidei*: Credimus in unum Deum etc. *Et ita psalmum secundum incipiunt:* Enarrent coeli mirabilia tua, Domine; *lectionesque ex Novo Testamento legunt, Acta Apostolorum, et Apostolum et Evangelium, et post lectionem evangelii proclamat diaconus hanc proclamationem*: Stemus decenter nos omnes etc. Pro Ecclesia sancta, unica, catholica et apostolica, quae a finibus terrae usque ad ejus fines, et pace et confirmatione ejusdem et totius mundi studiose Dominum exoremus.

Pro beatis patribus et patriarchis nostris Domino N. et N. et sanctis episcopis nostris, qui hic omnibusque sunt locis, qui orthodoxae verbum veritatis definiunt, atque pro salute et conservatione eorum sedulo Dominum (oremus).

Pro hoc nostro coetu et pro eo, ut oratio nostra odoris suavis instar coram Domino suscipiatur a Sancto, petamus.

Pro chrismate hoc, quod prius appositum est et sanctificatur, instantissime oremus.

Ut Dominus ei benedicat ipsumque sanctificet atque Spiritu Sancto et gratia atque virtute repleat, a Domino petamus.

Dignos redde nos, Christe Deus noster, ut, quomodo decet evangelium tuum, conversemur et ut suavi odore chrismatis sancti oblectemur; deprecamur te.

Exaudi nos, Domine, et esto propitius nobis ac miserere nostri, et respondeamus dicamusque ter: Kyrie eleison.

Jam episcopus in modo oblationis incipit: Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto nunc.

Condona, Domine, in bonitate tua peccata nostra et in misericordia tua delicta nostra remitte et praesta nobis, ut tui simus tibique secundum voluntatem tuam bonam placeamus, misericordiamque et gratiam coram te inveniamus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus in saecula.

Oratio pro se ipso, eamque inclinatus:

Domine Deus virtutum, qui nobis sortem ministerii hujus dedisti, et corda renesque scrutaris, ob multitudinem miserationum tuarum nos exaudi, nosque ab omni carnis et spiritus pollutione purga. Dele ut nubem peccata nostra, et sicuti nebulam iniquitatem nostram. Reple nos virtute tua gratiaque unigeniti Filii tui ac operatione Sanctissimi tui Spiritus, atque sufficientes nos redde, ut ministri Testamenti tui Novi simus,

ut digni nomine tuo sancto coram te adstemus ac tremenda divinaque tua mysteria administremus. *Vocemque suam extollens:* Quia benignus es divesque misericordia in eos omnes, qui te invocant, et potens tuum imperium et unigeniti Filii tui Spiritusque Sancti et consubstantialis, et nunc.

Oratio anaphorae inclinatus: Christe, Deus noster, qui quidem ut homo prae participibus tuis oleo laetitiae unctus es*), tu ut Deus autem eos ungis, qui sanctificatione unctioneque indigent: tu, qui odor es vitae viventibus iisque, qui vitam desiderant, corrobora nos, ut peccatum foetens mortemque efficiens longe a nobis rejicientes participes reddamur suavitatis odoris spiritualium sanctificationum donorumque tuorum, per eaque tibi, qui vere vita es suavitasque odoris, floreamus, ut per bona opera et suavem odorem spirantes alios quoque omni tempore exemplo nostro ad suavitatem tui odoris perducere valeamus.

Et vocem attollens: Redde nos dignos, o Domine, ut eo cum amore, qui animas adolescentulas**) decet, post odorem unguentorum tuorum curramus et in thalamum illum tuum confidenter intremus, ut gaudentes et exultantes ministerium hoc sacerdotale perficere possimus in gratia tua, et beneplacito voluntatis benedicti Patris tui, et in virtute Spiritus tui in omnibus Sancti bonique.

Et populus: Amen. *Et summus sacerdos sacerdotesque anaphoram circumferunt et elevant, archidiacono proclamationem hanc proclamante:*

Stemus honeste. Stemus in timore. Stemus in verecundia, stemus in alacritate, stemus in amore fideque vera. Figamus obtutum in mysterium hoc olei sancti, quod ante nos positum consecratur per sanctum nostrum summum sacerdotem, qui Deo Domino omnium preces pro se et pro nobis offert.

Populus: Misericordia, pax, chrisma sanctum, *idque tribus vicibus.*

Episcopus crucem super se populumque facit dicens: Charitas Dei etc.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Episcopus: Sursum sint mentes et corda omnium nostrum.

Populus: Sunt apud Dominum.

Episcopus: Gratias agamus Domino in timore.

Populus: Dignum et justum est.

Episcopus inclinatus: Domine Deus patrum nostrorum et Domine misericordiarum, qui nos ad vitam et incorruptibilitatem formasti, posteaque, cum in corruptionem, eo quod diabolo obediveramus, cecidissemus, ut leges tuas transgrederemur, et cum a peccato ad mortem venditi essemus, nos iterum ad vitam revocasti operisque manuum tuarum misertus es. Per beneplacitum unigeniti Filii tui, per hoc ineffabile et incomprehensibile ministerium nos vocuisti et quae turpitudinis moestae peccati induimus, a nobis removisti, et familiarem mysteriorum tuorum coelestium usum commisisti, et per aquas Spiritumque Sanctum salutis viam nobis renovasti. Tu Domine, Dominus noster, emitte Spiritum Sanctum tuum super hoc oleum unctionis,

*) Psalm. 44, 7.
**) Cantic. Cantic. 1, 2.

illudque sanctifica et effice, ut sit in oleum et signaculum perficiens*) et sanctificans ad utilitatem et salutem omnium hominum, atque in nobis gratiam et virtutem Spiritus tui boni fac inhabitare, dum nos mysterii celebratores et ministros reddis, ut corde puro te celebremus, tu, qui vere es Deus. *Elevansque vocem:* Ei, quem laudant et celebrant et extollunt oribus nunquam quiescentibus vocibusque ineffabilibus Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, virtutes supra mundum excelsae, militiae, exercitus rationales et coelestes, spiritus prophetarum et Apostolorum, et animae piorum et justorum, et martyrum et confessorum, Cherubim multis oculis praediti et Seraphim cum sex alis, quibus singulis senae alae, quarum duabus facies suas abscondunt ob divinitatem tuam invisibilem atque ineffabilem, duabus autem pedes, duabus vero volant, alter ad alterum encomia victoriae, laudis, magnificentiae celebrantes et clamantes et vociferantes et dicentes.

Populus: Sanctus, Sanctus.

Archiereus (cum) inclinatione: Vere sanctus Deus tu es, sanctus in omnibus et unigenitus Filius tuus, Dominus et Deus noster et Redemtor noster, Jesus Christus, qui ante saecula modo inenarrabili natus, qui thronum a dextris majestatis tuae omni tempore obtinet, Sanctus, et Sanctus in omnibus, et Spiritus Sanctus tuus, per quem omnia in coelo et omnia in terra sanctificantur, et qui quidem in coelo propinqui tibi sunt, gloriam et honorem offerunt nomini tuo summe venerando, rex saeculorum. Nos vero servi tui peccatores in omnibus ab exercitibus supernis accipientes celebramus et laudamus et benedicimus, petentes a te gratiam et misericordiam.

Populus: Miserere nostri.

Archiereus inclinatus: Miserere nostri, Deus Redemtor noster, et faciem misericordiae tuae super nos et hoc oleum oriri fac, illudque virtute tua gratiaque unigeniti Filii tui et operatione Spiritus Sancti tui reple, quia tu es sanctus datorque bonorum, tibique gloriam offerimus et Filio et Spiritui Sancto nunc.

Populus: Te celebramus.

Archidiaconus proclamat: Quam terribilis est illa hora, quam tremendum illud tempus, quo Spiritus Sanctus ex superioribus excelsis se elevat et descendit et incumbit super hoc oleum illudque sanctificat. Cum silentio et timore adstate et orate.

Archiereus inclinatus invocationem Spiritus Sancti: Deus magne in consiliis et potens in operibus, qui in charitate tua erga genus humanum et in gratia tua nobis dedisti stare ante altare tuum ad administrandum tibi ministerium hoc sacerdotale et terribile, tu o Domine Sancte in omnibus, exaudi nos secundum multitudinem miserationum tuarum et in gratia tua respice in nos mitteque nobis ex sanctis excelsis tuis atque ex habitaculo tuo praeparato, ex intimis tuis infinitis Paraclitum Spiritum tuum, Personam illam, Dominum illum, effectorem vitae, qui per legem et prophetas locutus est, illum qui prope est omni loco et omnia implet, efficit autem dominatoris potestate, non famuli instar, sanctificationem

*) Cf. Dionysium Areopagitam de ecclesiastica hierarchia cap. 4. Theoria §. 11.: Ἡ τοῦ μύρου τελειωτικὴ χρίσις.

super quos vult secundum beneplacitum tuum, illum simplicem natura, illum multiplicem virtute, fontem donorum divinorum, tibi consubstantialem, a te procedentem, consortem sedis regiae majestatis tuae et unigeniti Filii Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Et projicit se coram altari dicens: Oculi Domini, *et extollens vocem in omnibus quatuor invocationibus crucem signat unam super urceum. Confectio trium signorum crucis, dum digitum suum in omni invocatione super unum latus oris urcei ponit et dicit:* Super nos et super oleum hoc coram adpositum et sanctifica illud, ut omnibus, qui ex eo unguntur et signantur, chrisma sit sanctum, chrisma sacerdotale, chrisma regium, vestis splendida, indumentum salutis, conservatio vitae, pinguedo spiritualis, sanctificatio animorum corporumque, exultatio cordis, jucunditas in aeternum, gaudium numquam deficiens, signaculum non laedendum, armatura fidei, lorica terribilis contra omnem vim diaboli, ut per illud sanctificati isti et uncti terribiles sint et inexpugnabiles adversariis, et coram te in die judicii stantes stellarum instar in coelo resplendeant in claritate sanctorum tuorum atque in tabernacula aeterna sanctorum tuorum recipiantur secundum promissiones tuas infallibiles, utque primogenitis, qui in coelis adscripti sunt, adnumerentur, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et quocum te decet laus et honor et potestas cum Spiritu tuo Sancto in omnibus et bono.

Populus: Amen.

Archidiaconus: Iterum a Domino petamus.

Episcopus inclinatus: Iterum offerimus tibi, rex saeculorum, et conficimus mysteria haec festi tui sancti, chrisma venerabile, signaculum Ecclesiae tuae, per quod in nomine tuo signamus sensus animi; illud, quod ab initio Ecclesia tua credidit et typice obtulit. Effudisti super natum illum verum, unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum. Hoc est signum regium, propheticum, sacerdotale, mysterium vere fide dignum, plenum fide et veritate; vere signaculum, per quod te timentibus signum hoc das, ut fugiant a facie malitiae *). Et da nobis quoque, Domine, gratiam in officio hoc, ut dedisti Moysi, illi ministro tuo fideli **) et famulo tuo Samueli et Johanni illi electo tuo. Sic nos etiam sufficientes redde, ut populum tuum ungamus chrismate hoc, quod consecratum est. *Vocemque attollens:* Ut fiant grex chrismatis, sacerdotium regale, populus sanctus, populus dives, ut operibus bonis dona gratiae hujus augentes coronam victoriae vocationis supernae accipiant simulque primogenitis illis adscribantur, qui scripti sunt in coelis, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et quocum te decet laus et honor et potestas cum Spiritu tuo in omnibus Sancto et bono.

Oratio haec gratiarum actionis ***).

Gratias agimus tibi, Domine, sancte in omnibus, omnipotens, quod nos indignos dignos fecisti, ut officium hoc sanctum administraremus; tu vero accipiens odorem suavem in altitudine coeli tui retribue nobis

---

*) Psalm. 60, 4. Peschito.

**) In margine notatur, secundum quosdam codices hic poni rubricam: Exinde vocem extollit.

***) Vox graeca Εὐχαριστία.

gratiam tuam et perfice misericordias tuas et praesta, ut faciamus chrisma hoc, quod consecratum est, ut oleum illud sanctum, per quod uncti sunt sacerdotes, prophetae et reges a Moyse usque ad Joannem et post hos omnes illi, qui regenerati sunt per lavacrum generationis secundae, et simus perfecti generatione Spiritus Sancti, per illum, quem in Unigenitum tuum unxisti, non quasi ejus indigens fuisset, sed quia propter nos voluntarie suscepit, ut homo fieret et semet ipsum exinaniret, et sic caput generis nostri factus est et super nos sanctitatem misit. *Et attollens vocem:* Et da illis, qui hoc (chrismate) unguntur, signum hoc lucis tuae, imaginem regiam, quae non ad rebellionem moveatur passionibus diaboli, illudque (signum chrismatis) terribile redde contra omnem vim spirituum malorum. Praesta vero, Domine, ut eo sanctificetur lavacrum regenerationis, perficiantur altaria ad officium sacerdotale sacrificii spiritualis et incruenti et ad sanctificationem et sanationem eorum, qui ad gloriam et laudem majestatis tuae offeruntur, quia sanctificandum et glorificandum est nomen tuum magnum in decore et honorandum in coelo et in terra, tuum scilicet, o Pater, nomen et Filii tui et Spiritus Sancti.

Populus: Ut fuit et est.

Episcopus: Pax omnibus vobis.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Episcopus: Et sint miserationes Dei magni et Salvatoris nostri etc. *et facit crucem super se et super populum.*

Populus: Cum spiritu tuo.

Hic incipit episcopus laudationem) et dicit (eam) solus, digitum suum super urceum lente extendens trementem, tresque cruces faciens, crucem primam cum duabus laudationibus sine antiphonis, crucem alteram cum duabus antiphonis et duabus laudationibus, crucem tertiam cum duabus glorificationibus et cum suo:* In saeculum saeculi *cum duobus* Alleluja. *Jam illustretur nobis actio sacerdotalis. Incipit episcopus laudationem et facit unum ductum (unam sectionem) crucis ab oriente occidentem versus, tum laudationem alterum dicit digitoque suo ductum crucis a septentrione meridiem versus facit. Deinde dicit antiphonam:* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, Alleluja, *et unum ductum secundae crucis ex oriente ocidentem versus facit porroque dicit:* Oleo laetitiae et suavitatis plus quam participes socios tuos, Alleluja. *Et facit ductum alterum ex meridie septentrionem versus et perficit crucem alteram. Tum dicit:* Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Alleluja, *et facit unum ductum tertiae crucis eumque ex oriente occidentem versus iterumque dicit:* A saeculo usque ad saecula saeculorum, Amen, Alleluja; *facitque ductum tertiae crucis ex meridie septentrionem versus, et sic tres cruces perfectione absoluta persolvuntur.*

Si vero episcopus solus laudationem et antiphonas dicere nequit, clericis dicere permittitur, eo iterum quiescente. Fiat autem id hoc modo: dum episcopus dicit laudationem solus, ductum crucis faciat, dumque tacet et quiescit et clericus ipse laudationem cantat, non moveat manum suam, sed exspectet, usque dum ille solus dixerit laudationem, tumque alterum ductum crucis perficiat et sic in antiphonis dicat perficiatque.

---

*) Syriace Hulolo et ita porro.

Inclinatus diaconus litaniam aut proclamationem hanc proclamat: Iterum iterumque pro chrismate hoc sancto, quod nunc consecratum et consummatum atque virtute gratiaque divina per illapsum Spiritus Sancti repletum est, Dominum Deumque nostrum deprecemur omnesque dicamus Kyrie eleison.

Pro episcopo hoc, et summo sacerdotum qui adstat, Domino N., per quem ope divinae gratiae donique Spiritus Sancti consecratum est, ut Deus eum ecclesiis sanctis concedat perfectum, pium, sanctum, regentem gregem rationalem, oves Christi, Dominum obsecremus. Item et pro iis, qui unctione hac sancta divinaque sancti hujus chrismatis, quod nunc confectum est, digni reddentur, Dominum Deumque nostrum exoremus omnesque dicamus. . . . .

Ut Dominus omnes sanctificet, quicunque ex eo unguntur in fide orthodoxa sanctae Ecclesiae, et ad expellendos omnes spiritus malignos et actiones foedas, et ad omnes carnis spiritusque sordes delendas atque ad purificationem et sanctificationem et animi et corporis, atque ad vigilantiam illuminationemque mentium nostrarum, Dominum rogemus.

Pro omnibus illis, qui chrismate sancto signantur atque unguntur et obsignantur, ut ex eo donum Spiritus divini vitamque efficientis accipiant atque ad adoptionem filiorum recipiendam baptismi sancti perveniant: Dominum (sc. oremus).

Ut hominem veterem cum omnibus actibus concupiscentiisque suis exuant et hominem novum induant, qui secundum Deum creatus est in integritate et sanctitate et puritate nativitatis secundae et in unctione chrismatis sancti hujus, Dominum (sc. oremus).

Pro eo, ut sit omnibus iis, qui ex eo unguntur eoque signantur, ad expellendos spiritus malignos atque aëreos et ad exspoliandum veterem hominem accipiendumque Spiritum Sanctum, Dominum (rogemus).

Ut porro, dum digni redditi sunt illapsu Spiritus Sancti Paracliti, et eorum unusquisque vas suum in honore et sanctitate possidet, homo perfectus laetificetur omnibus operibus bonis instructus, Dominum (oremus).

Pro eo, ut permaneant hi et nos inflexibiles et immoti in fide recta et apostolica, Dominum.

Nos omnes, fratres mei, illi, qui prope adsunt, pro nobis et invicem enixe Dominum (obsecremus).

Angelus tranquillitatis et pacis et misericordiarum omni tempore a Domino petat).*

Pro iis, qui divina regiaque unctione et regeneratione ex sancto digni reddentur, petamus**).

Pro chrismate hoc sancto, quod consecratum et absolutum et perfectum est per gratiam divinam Spiritus Sancti, Dominum.

Pro eo, ut illis, qui ex eo unguntur, oleum sit laetitiae et indumentum lucis et odor suavis donorum divinorum, a Deo petamus.

Pro eo, ut in eo armaturam invincibilem contra omnem diaboli vim accipiant, Dominum.

---

*) Literis rubris haec: Angelus etc. scripta sunt, ut rubricae.
**) Vel: Regeneratione digni reddentur, a Sancto petamus. Z.

Pro eo, ut in eo omnem cultum sanctitatis, virtutis et justitiae et illuminationem bonorum operum accipiant, a Domino petamus.

Pro eo, ut absque condemnatione donum divinum regiumque chrismatis suavis odoris symbolum bonorum operum custodiamus, a Domino petamus.

Pro perficiendo mandato divino de unctione hac sancta a Domino petamus.

Ut contra adversarios terribiles sint, sicut cogniti coram Domino fuere, et sancti per unctionem chrismatis hujus, quod consecratum est et confectum ope gratiae divinae et descensus Spiritus Sancti, Deum.

Animas nostras invicem gratiae sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti commendemus.

Populus: Tibi, Domine Deus noster.

Episcopus (dicit) orationem: Pater noster, qui es in coelis etc.

Secundum doctrinam, quam, o Pater vere, ab unigenito Filio tuo Domino nostro Jesu Christo accepimus, etiam nos miseri peccatores et servi tui clamamus ad te orationem, quam discipulos suos facere jussit. Dignos igitur nos redde, Domine hominum amator, ut absque dolo, neque cum pudore, sed facie aperta et cum animo, qui fiduciam habet, audeamus te Deum coelestem omnipotentem sanctum invocare et dicere: Pater noster: Pater noster, qui es in coelis.

Populus: Sanctificetur nomen tuum.

Episcopus: Ita, bone et misericors Pater, qui nos peregrinos dignos fecisti, ut filii ex tuo simus et nominemur*) fratresque Christi tui, libera nos a Malo omnibusque ejus operibus atque ab omni tentatione, quae vires transgreditur, quia tu Deus fortis es et omnipotens, et te decet laus honorque et imperium ut unigenitum quoque Filium tuum et Spiritum Sanctum nunc.

Populus: Amen.

Episcopus: Pax vobiscum omnibus.

Populus: Cum spiritu tuo.

Archidiaconus: Domino capita nostra inclinemus.

Populus: Coram te, Domine.

Archiereus: Caput magnum et aeternum, sub cujus sceptro principatus capita omnia omnium orbis terrarum principatuum inclinantur, dona nobis benedictionem tuam principalem et abundantem et in omnibus decoram nobis famulis et ancillis tuis, qui capita sua coram gloria tua inclinaverunt, quia Deus bonus hominumque amans es atque laus te decet et gloria et unigenitum Filium tuum Spiritumque vivum et Sanctum nunc.

Populus: Amen.

Episcopus: Pax vobiscum omnibus.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Episcopus: Sit gratia misericordiaque Trinitatis sanctae unius essentiae et consubstantialis vobiscum omnibus.

Populus: Et cum spiritu tuo.

Diaconus: Benedic Domine.

---

*) I. Joh. 3, 1.

Archiereus orat: Deus sanctus, qui in sanctis requiescit, sanctosque consummat perfectosque reddit sanctos; ipse benedicat sanctificetque animas nostras et corpora nostra spiritusque nostros *) precibus Sanctorum suorum in saecula. Amen.

Jam statim episcopus urceum aperte portat et exit, clericis canticum incipientibus, et quando ad bema advenerunt, episcopus cum diaconis ascendit, qui cum flabellis eum circumstant, sacerdotesque cum thuribulis ut cum luminaribus quoque. Deinde episcopus chrisma circumfert, partem orientalem tribus vicibus figura crucis signans, semper dicens: Kyrie eleison *et post eum respondent. Sic in omnia quatuor latera versus facit. Cum orientem versus fert, per se intelligitur faciem ejus quoque orientem versus esse, neque in occidentem se convertit, donec dicant stropham occidentis; tum in occidentem se convertit fertque urceum. Eodem modo in omnes quatuor plagas versus.*

Strophae gestationis.

Orientem versus: Salva, Domine, populum tuum et gregem tuum custodi, et cornu christianorum exalta per divitias donorum chrismatis hujus sancti atque divini. Imploramus te, Domine dives misericordia, dicentes: Kyrie eleison.

Occidentem versus: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae sociis participibus tuis. Et ecce odorem suavem spirant omnia vestimenta tua ob myrrham, casiam et stacten **): Precamur.

Septentrionem versus: Hoc est, quod prophetae mysteriis suis praedicaverunt et justi allegoriis suis praesignarunt, nomen effusum atque excelsum chrismatis sancti et divini. Obsecramus te.

Meridiem versus. Convertere Domine, quousque non consolaberis servos tuos? Laetifica nos, quia mortua est iniquitas nostra et anni, quibus ob mala nostra opera vidimus mala ***). Imploramus te.

Post circumgestationem episcopus clericis et populo preces solvit, chrismatis mysteria hisce verbis exponens, et explicans: Annuntiamus vobis, dilecti mei, qui Deum amatis, oleum hoc sanctum, quod consecratum est, chrisma vocatum et appellatum esse a doctoribus patribusque felicis memoriae, ut si quis dicat: mysterii divini celebratio. Sermones multos et interpretationes explicationesque multas de eo fecerunt, sed quia longi sunt et profundum est verbum eorum auri audientium, ecce sermonis prolixitatem omittimus et brevem tantum atque intellectu facilem enarrationem pro auribus vestris sumimus (proferimus), ex vi et sensu menteque doctorum eam assumentes, atque ut paratam mensam ante vos afferentes. Mysterium chrismatis hujus sancti, mei dilecti, ex revelatione Dei super Moysen prophetam traditum est et initium cepit, cum eum in montem Sinai ascendere fecisset. Ibidem enim ei cuncta Ecclesiae sanctae mysteria ostendit, et sic ex tempore Veteris (Testamenti) per legem et prophetas sanctos typis praefiguratum et demonstratum est.

---

*) Jacobus aliique Syrorum a Gennadio incusantur, quod trichotomiam in homine post Apollinarem doceant.

**) Psalm. 44, 9.

***) Psalm. 89, 13. Peschito.

Sume tibi aromata praecipua, Dominus ad Moysen dixit*), florem myrrhae electae quingentos siclos, et cinnamomi suave olentis ducentos siclos, et oleum olivae mensuram Hin, faciesque ex iis oleum unctionis sanctae, ungasque ex eo tabernaculum testimonii et arcam testamenti et candelabrum, et labrum et basin ejus et altare thymiamatum et altare holocaustorum, et sanctifica ea eruntque sancta, et omnino qui tetigerit ea, sanctificabitur. Et unge Aaronem et filios ejus et sanctifica eos, ut sacerdotio fungantur mihi. Quo typo Moyses negotium hoc nostrum indicavit, dum mystice hoc ministerium verum praefigurabat. Et traditione propagata est figura haec antiqua usque ad Christi adventum. Tum cum in monte Christus discipulis suis gloriam suam monstraret et Moysen Eliamque in nubem ingredi juberet: veteres oeconomiam novis tradidere; Moysesque claves Simeoni commisit, et confestim unctio antiqua desiit, novaque initium cepit. Exinde hodierni archiereis, quando oleum hoc chrismatis sancti consecrant, eo sanctuarium ecclesiae ungunt, ut tabernaculum testimonii, et altare, super quo sacrificium a sacerdotibus offertur, ut altare holocaustorum, et ad baptisma ut ad craterem loturae**). Sacerdotes autem et diaconos, quos archiereis hodie designant, oleo chrismatis non ungunt, ut Moses Aaronem ejusque filios unxerat, sed dum iis manus imponunt, unctionem spiritualem et gratiam Sancti Spiritus accipiunt. Et si, dilecti mei, unctio haec antiqua non tantum sanctum sanctorum erat et nominabatur, sed si illi quoque, qui tangebant ea, quae uncta erant, sanctificabantur: quam excelsa igitur et sancta etiam haec unctio, quae in Ecclesia sancta fit, ex qua quisquis eam tetigerit, vere sanctificatur et ex filiis ejus (fit): nam in Ecclesia nostra non urna aurea est, sed Spiritus Sanctus in ea consedit et Trinitas in ejus filiis habitat, ideoque eos, qui unguntur et christiani fiunt, decet secundum magnitudinem unctionis divinae, quae data est eis, mores excelsos sanctosque habere.

Porro, dilecti mei, Deus ad Moysen dixit: Loquere cum filiis Israel, et dic eis: oleum unctionis sanctum sanctorum erit mihi et generationibus vestris. Super carnem hominis non ungetur***). Mensura****) haec est nobis, qui ex sanguine Israelis illius spiritualis sumus, quod unctio baptismatis sancti in Ecclesia Spiritum Sanctum largitur; ideo quod ad illum attinet, qui hoc oleo chrismatis hujus ungitur, non caro hominis manet caro ejus, sed caro Christi Dei; quia qui baptizantur atque unguntur, Christum induunt secundum verbum Pauli dicentis: Qui in Christo baptizati estis, Christum induistis†).

Item Deus ad Moysen dixit: Juxta similitudinem hujus olei ne faciatis, et quicunque tale fecerit, aut alienis dederit, pereat ex populo. Per hoc admonet nos docetque, ne quis secundum hanc unctionem ad usum profanum faciat, neque participem faciat detque ex eo illi, qui a

*) Exod. 30, 23.

**) Labrum. Exod. 30, 18.

***) Exod. 30, 31. 32.

****) Vox syriaca unctionem et mensuram significat, unde lusus quidam est verborum.

†) Gal. 3, 27.

fide nostra alienus est. Qui vero id ausus fuerit sicque egerit, animam suam perdet.

Item, dilecti mei, scire oportet, unctionem hanc antiquam typice peractam esse neque in veritate. Per oleum enim tantummodo, quod simpliciter coctum est, simpliciter etiam uncta sunt templa et altaria, sacerdotes et prophetae, neque fuere ibi laudationes psalmique Spiritus S. neque lectiones Scripturarum, neque luminaria, neque odor aromatum, nec oratio summorum sacerdotum, quia lex Moysis nunquam Spiritum Sanctum advocavit, neque vis ministerii in lege venerabilis erat, ut hoc ministerium gratiae. Neque enim data est nobis gratia, quae sumitur aut mutatur, ut ea apud Judaeos. Hi etenim gratiam servitutis accepere, spiritusque servitutis super eos erat et iterum ab iis sumebatur. Nobis autem per discipulos Spiritus S. datus est, cum Christus in facies eorum insufflaret diceretque: Accipite Spiritum Sanctum. Et Paulus dixit: Non accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed spiritum adoptionis filiorum *). Quare, dilecti mei, quod attinet ad unctionem nostram ecclesiasticam et veram, cum ea, qua altaria templaque unguntur, etiam gratia Spiritus Sancti habitat et commoratur in ea.

Porro, dilecti mei, ex duobus unguentis hoc chrisma sanctum componitur, ex oleo opobalsami et ex oleo olivae. Oleum balsami divinitatem typice repraesentat; nam sicut divinitas occulta est et excelsa, sic unguentum hoc balsami, quod ex terra Aegypti venit, recte occultum est atque absconditum et suavi odore pro virtute in eo posita in creatione ejus. Neque aliud est unguentum calidum, ut ipsum, indicatque calor ejus igneam Deitatis naturam. Ignis enim est Deus noster, ut scriptum est. Oleum olivae vero humanitatem indicat; sicut enim humanitas propinqua et facilis est et ubique invenitur, sic etiam oleum hoc olivae facile est inventu propinquumque ipsum quaerentibus.

Item, dilecti mei, quod archiereus in sanctum sanctorum ingreditur, ubi mysteria divina abscondita sunt et coluntur, dum interim tota plenitudo foris stant eumque exspectant, et ambo olea ibi componit et inter se mystice unit, unumque oleum ex duobus conficitur, hoc indicat nobis: sanctum sanctorum, in quo oleum balsami oleumque olivae componuntur, typice Virginem Dei Matrem repraesentat, in qua duae naturae, quae ad unionem venere, divinitas scilicet et humanitas, unitae et compositae sunt et factae sunt una natura et una persona Filii Dei, qui incarnatus est.

Iterum, dilecti mei, oleum balsami, quod archiereus super oleum olivae fudit, indicat nobis hoc, eodem modo divinitatem super omnia excelsam se super humanitatem fudisse, et Verbum Deum fudisse se in sinum Mariae, quin tamen effusum esset, sed totum mansisse in sinu Patris et habitasse in sinu Virginis, quam typice repraesentat urceus, qui oleum purum recipit. Ideo etiam canticum canticorum chrisma effusum eum nominat, dum hoc: effusus est, nos docet, totum eum in uterum Mariae descendisse et in eo modo ineffabili comprehensum fuisse. Et ut Christus non simplex erat, sed ex divinitate et humanitate compositus; sic chrisma quoque sanctum ex duabus rebus compositum est, ex oleo balsami et oleo olivae; et archiereus, dilecti mei, qui unum

*) Rom. 8, 15.

solum chrisma componit, typice Deum Patrem repraesentat, quia Deus Pater novit, quomodo Deus unigenitus semet nobiscum conjunxerit, et sicut Pater occultus est Vigilibus, sic episcopus quoque tempore illo absconditus est Ecclesiae filiis. Quod ad candidas vestes autem attinet, quibus episcopus induitur, quasi ad lucem scilicet et puritatem, innuit mysterium hoc, ut nempe magna cum puritate divinis mysteriis appropinquemus.

Id autem, quod archiereus ex sancto sanctorum egreditur, nativitatem Salvatoris typice repraesentat, ideoque laudationem incipit et Gloria in excelsis Deo, canticum nempe illud, quod angeli die nativitatis Salvatoris nostri cecinerunt. Pro hoc vero, quod circumit et usque ad finem ecclesiae pervenit, indicat excelsam illam divinitatem Filii unigeniti, Verbi, qui in amore suo erga homines ad exitum (descensum de coelis) et ad nos visitandos se humiliavit, cum homo fieret. Illud autem, quod archiereus egrediens contectus et velatus est, indicat, Verbum Deum, quamvis incarnatus ad nos exiret, omnibus tamen abscondisse dispensationem suam, quia supra naturam est.

Porro, dilecti mei, sicut Verbum Deus in sinu Patris sui absconditus fuit, sic chrisma sanctum in manibus summi sacerdotis tectum est atque absconditum, dum in templo circumit. Diaconi vero illi, qui duodecim flabella ferunt, signum duodecim legionum angelorum sunt, idque quod diaconi chrisma contegunt, typus est sanctorum Seraphim, qui divinitatem in excelso absconditoque solio tegunt, de quibus Isaias dicit*): Sex alae etc. usque ad: duabus volabant ad se invicem.

Et indicant nobis (diaconi) item: quemadmodum Deus Verbum post exinanitionem suam pro nobis a sanctis Seraphim ut Deus sanctus praedicatur, et eum licet incarnatum cum Patre et Spiritu sanctum celebrant: sic etiam chrisma sanctum post compositionem suam in domo sancti sanctorum alis duodecim occultatur.

Item flabella nobis sanctos prophetas significant, qui ex duodecim tribubus Israel exierunt et de Christo abscondito quodam obscuroque modo vaticinati sunt. Chrisma sanctum porro flabellis hac de causa etiam tegitur, quod scilicet non justum est, mysteria divina indignis revelari.

Duodecim vero thuribula, quae plena aromatibus praecedunt, Apostolos nobis significant, in quibus odor praedicationis evangelicae spiravit.

Duodecim autem luminaria accensa typus sunt doctorum et interpretum, qui doctrina sua ut luminaria pro Ecclesia fuerunt. Aliam quoque explicationem de eis dicimus: sicut nempe duodecim horae consummatio sunt diei (totum diem efficiunt), et sicuti duodecim menses annum complent, sic et duodecim flabella et duodecim thuribula et duodecim luminaria consummatio sancti mysterii chrismatis sunt (perficiunt). Illud porro, quod archiereus circumiens lente progreditur, donec ad altare revertens urceum in mensa ponit, gressum humilitatis lenitatisque Christi in mundo significat. Cum discipulis suis conversatus est donec ad crucem perveniret,

*) Isaias Cap. 6, 2.

in qua suspensus est. Sic hoc, quod super tabulam, quae super altare est, reponitur chrisma sanctum. Illud item, quod postquam chrisma super altare confectum est, archiereus illud in locum excelsum tollit et sircumgestat, (fit), quemadmodum et Christus, postquam in cruce et in sepulchro dispensationem suam consummavit, in gloria surrexit, et in montem Olivarum ascendit seque super discipulos elevavit, eisque benedixit. Eo vero, quod archiereus faciem suam in quatuor mundi partes convertit et circummovet, indicat, se omnia virtute sollicitudinis suae custodire. Hoc autem, quod ter in omnem partem se vertit, Trinitatem denotat et praedicat.

Hoc chrisma sanctum, dilecti mei, Apostoli coli jusserunt magis quam cuncta sacerdotalia, sicut et ecce videmus, ordines sacerdotum et presbyterorum, qui baptisma sanctificant et sacrificium afferunt et remissionem ponunt, chrisma sanctum conficere non valere, quia hoc est causa et perfectio omnium donorum divinorum. Baptisma enim, quod sacerdos sanctificat, sine chrismate non perficitur. Corpus et Sanguis non sanctificantur, nisi super altare et mensam, quae ungunt chrismate. Expiatio quoque non datur, nisi ab illo, qui chrismate signatus est. Quare per manus summi sacerdotis tantum consecratur. Hoc fit etiam consecratio templorum, in quibus chirotoniae sacerdotum fiunt.

Porro decet nos discere, quando et ubi Christus discipulis suis chrisma consecrare monstraverit. In illo nempe coenaculo, ubi Pascha comederunt, eos memoriam mortis suae per Corpus Sanguinemque facere docuit, et in eodem eos chrisma consecrare instituit. Hoc autem ita se habere ex eo patet, quod eodem die super uno eodemque altari chrisma et sacrificium a summo sacerdote consecratur, quemadmodum in eodem coenaculo eodemque tempore eos docuit.

Hoc, quod die quinto mysterii chrisma consecratur, ideo fit, quod hoc die initium mysteriorum fuit; dieque quinto item discipulis suis elevatis manibus eisque benedicens sacerdotium dedit, quo divina manus super humanum figmentum imposita est. In eo autem, quod semel tantum in anno illud consecrare jussit, quod semel tantum passus est, et semel signantur, qui baptizantur atque sanctificantur. Quomodo ovis semel signum domini sui accipit, sic et ovis rationalis Christi semel chrismate signatur, singulis vero diebus degustatione vitae plena Corporis Sanguinisque Christi delectatur, quia ovis etiam singulis diebus alimentum corporale accipit. Ideo semel in anno chrisma consecratur et quotidie sacrificium mysticum oblationis conficitur.

Sed, dilecti mei, qui tanta magnitudine digni redditi sumus, mente nostra excitemur intelligentes, nos dignos esse factos, qui illa, quae prophetae et sacerdotes primi regesque exspectabant, vultu aperto aspiceremus atque teneremus. Appareat igitur, nos dono hoc esse dignos, cum bona mutatione commutemur, spirituque vivamus, spirituique consentiamus*), omnesque novi simus Christoque adhaereamus, laudes ei offerentes Patrique ejus et Spiritui Sancto. Amen. Cum patribus vero

*) Gal. 5, 25. Peschito.

intelligentes atque videntes, in duo officia dividi chrismatis consecrationem, prius quidem commune, alterumque peculiare: typice repraesentant Testamentum Vetus et Novum. Ideo in priori officio prophetae tantum leguntur, et circulus, id est circuitus primus, imago est prophetiae, quae obscure in mundo circumiit et mysterium dispensationis praesignavit. Quod vero in hoc officio prophetico tres turmas statuimus, typus est trium ecclesiarum, quas in coelo, qui a prophetis visus est, consummamus. Incipimus ab officio secundo. Et primum quidem conceptio sancta symbolice repraesentatur, quo tempore duo olea uniuntur, unumque fiunt, et in urceum mittuntur, qui Virginem Mariam repraesentat. Nativitas autem repraesentatur, quo tempore circuitus incipit episcopo clamante: Alleluja, et post eum respondent: Gloria in excelsis Deo. Exitus vero ex gazophylacio et circuitus in circulo conversationem Christi in mundo repraesentat, cum doceret regnumque coeli praedicaret atque virtutes et miracula operaretur, dum ut Deus absconditus erat et incognitus. Clamor primus, quem archidiaconus incipit: Σοφία, et ab omnibus: Kyrie eleison, clamorem, qui factus est ad Jordanem, repraesentat, et secundus illum, qui in monte Tabor, tertiusque illum, qui in monte Oliveti, et (quem) in via Hierosolymae pueri sustulerunt. Revelatio autem chrismatis ante mensam vitae, illam nudationem, qua Christus, quando in crucem ascendit, vestibus exutus est. Et illud, quod chrisma in mensa ponitur, mysterium crucifixionis redemtionem afferentis Christi. Orationes vero et psalmorum cantus et cruces caeteraque officii, quae super chrisma fiunt, typus mortis ejus descensusque in infernum atque redemptionis, quae ibi facta est generi humano. Ablatio urcei et chrismatis a mensa mysterium Resurrectionis ejus vivificae nobis repraesentat. Ascensio porro in bema Ascensionem ejus in coelum nobis repraesentat; circumgestatio benedictionem Apostolis (datam). Descensus autem chrismatis a bemate ad populum descensum Spiritus Paracliti nobis denotat, qui Apostolos perfecit omnesque, qui crediderunt et credunt, et quem rogamus, ut gratia sua nobiscum perpetuo sit. Amen.

Precatio super populum: Christus Deus noster, cujus nomen unguentum effusum evacuet a vobis omnem peccati turpitudinem; repleat vos suavitate odoris unguentorum suorum bonorum neque insipidorum, specierum virtutis variarum et quae divinitatem reconciliant. Dignos vos reddat Dominus unctione sacra et spirituali, qua juxta dispensationem prae omnibus participibus suis unctus est. Tingat Dominus capita vestra, id est mentes vestras, easque ungat oleo justitiae bonarumque consuetudinum. Renovet in vobis Dominus sacram spiritualemque unctionem, quam in lavacro sancto, convivio vitam efficiente accepistis. Ostendat vos et Dominus unctos, qui regum instar uncti sunt, inaccessos vos custodiat ab omni genere vituperabili atque passionis pleno peccati. Tribuat vobis, ut studiose eum diligatis et amplectamini mente simul atque opere justitiae ut peccatrix quoque illa cum lacrymis effusioneque olei osculisque sine passione. Faciat vos Dominus vasa munda et sancta suavitate odoris chrismatis intelligibilis ornata. Spiret Dominus odorem suavem mortis*) suae vivificantis ex vobis, ut odorem agri, cui bene-

*) Ad verbum: mortificationis, ut II. Cor. 4, 10. Z.

dixit Dominus*). Sitis ei nardus intelligibilis olivaque gloriosa decora in campo**). Sitis ei sponsa spiritualis ornataque et quae suavitate odoris operum bonorum sponsum coelestem placet. Custodiat in vobis Dominus puritatem non adulteratam, unctionem sanctam, qua in Spiritu Sancto uncti estis. Spirare faciat Dominus ex vobis odorem suavem hilaremque, qui compositione laudabili cognoscitur, fide nempe, et spe, veraque charitate. Repleat vos Dominus suavitate odoris spirituali ungatque capita vestra oleo justitiae. Sint ei mores vestri unguenta bona animique vestri chrisma suavis odoris. Exaltetur nomen Christi moribus vestris laudabilibus, odorque suavis mortificationis vivificae Christi spiret ex puris vestris corporibus. Coruscet puritas castitatis et sanctitatis ex mundis vestris corporibus. Splendere faciat Dominus in vobis abundantia (gratiarum) revelationibusque spiritualibus sacerdotalem propheticamque unctionem. Ungat Dominus facies intellectuales animorum vestrorum justitia. Illuminet vos atque laetificet laetitia vultus sui Deus cum invitatis ad regnum suum aeternum. Abluat Dominus a vobis omnem immunditiem foedi peccati per sanctitatem olei sancti chrismatis hujus divini in saecula. Amen.

Ex bemate descendentes iterum canticum dicunt, dum populus benedicitur, et archiereus urceum chrismatis super altare ponit, et archidiaconus hanc praedicationem praedicat:

Stemus decenter nos omnes in charitate et fide, vocibusque gratiarum actionis canamus: Christe, Deus noster, qui dator divinae unctionis es, ob misericordiam Patris tui, qui te unxit et misit, ut caecis visum et captivis redemtionem praedicares***), petimus.

Tu, cujus divinae unctionis typum Jacobus per oleum repraesentavit, quod super lapidem fudit, quem deinde Dei domum nominavit, petimus.

Tu, qui per Moysem, caput prophetarum, compositionem chrismatis suave olentis fieri jussisti, quae typus est incarnationis tuae divinae, quae mundo donis spiritualibus suavis fuit, petimus.

Tu, qui sancto chrismate tabernaculum temporarium et arcam testamenti et altare et candelabrum aureum ungi jussisti, quae mysterium unctionis corporis tui sanctissimi praefigurabant, petimus.

Tu, qui sacerdotes et levitas et reges et prophetas per chrisma sanctum unxisti, atque per eos nobis donum Spiritus Sancti praesignasti, quod in baptismate divino perficitur, hominesque ad familiaritatem tecum vocat, petimus.

Tu, qui Samueli prophetae praecepisti, ut divum Davidem chrismate ungeret et ad regnum et ad prophetiam, quo facto ope Spiritus Sancti in utroque prospere egit, vicitque occiditque Goliathum, qui est typus Satanae, qui per te victus ex altitudine sua cecidit, petimus.

---

*) Genes. 27, 27.

**) Ecclesiastic. 24, 19.

***) Jer. 61, 1; Luc. 4, 19.

Tu, qui per unctionem chrismatis regibus et sacerdotibus et prophetis donum Spiritus Sancti perfecisti, et qui, cum salutis nostrae causa ex nobis esses, prae omnibus participibus tuis oleo laetitiae magis unctus es et a nobis tristitiam peccati amovisti transgressione mandati per primum patrem nostrum, petimus.

Tu, qui peccatricem, quae pedes tuos sanctos chrismate unxerat, remissione peccatorum dignam reddidisti atque per suavem ejus odorem indicasti, quam suavis tibi odor sit peccatorum, qui ad te redeant, petimus.

Tu, qui Mariam, sororem Lazari, quae chrisma super sanctum caput tuum effudit, accepisti typum Ecclesiae tuae sanctae, quae totam suam domum odore chrismatis vivificantis suaviter oblectat, petimus.

Tu, qui per sanctos Apostolos nobis officium chrismatis sancti tradidisti, quo sacerdotes unguntur*) et baptisma ad adoptionem filiorum sanctificatur, fidesque obsignatur, donaque Spiritus Sancti perficiuntur, petimus.

Tu, qui nos miseros peccatoresque sancto hoc ministerio chrismatis sancti dignos reddidisti, illudque ex manibus summi sacerdotis servi tui in suavem accepisti odorem, per illapsum Spiritus Sancti et vivificantis, petimus.

Pro patribus fratribusque nostris, qui morte prius obdormiverunt in spe tua, in fide vera, ut eis in benedictis mansionibus domus Patris tui, quas Sanctis tuis praeparasti, requiem dones, petimus.

Pro servis tuis, qui coram te congregati sunt, et pro fratribus nostris, qui a nobis remoti sunt, ut gratia tua in orthodoxa fide atque operibus tibi placentibus omnes vitae suae dies conserventur et in die manifestationis tuae sorte sanctorum tuorum**) digni reddantur, petimus.

Propitius esto, Domine, populo tuo et miserere ovium gregis tui. Rege eas atque duc eas usque in saeculum***) et dicamus omnes: Kyrie eleison.

Populus ter: Kyrie eleison.

Episcopus orat: Christe, sponse coelestis, qui prae participibus sociisque suis oleo laetitiae unctus est, cum divinitatem suam in nostra ungeret humanitate, ut faceret utraque unum****), et cum, quod minus

---

*) Vide, quae de simili loco consecrationis chrismatis apud Coptitas diximus hoc Tomo p. 83. not. Quae nostra interpretatio hic eo confirmatur, quod modo p. 544. expresse dixit episcopus, sacerdotes in Novo Testamento non ungi. Supra etiam p. 540. dictum fuerat, chrisma fore ad sanctificationem et sanationem eorum, qui ad gloriam et laudem majestatis divinae offeruntur, h. e. ordinandorum, quia nempe per confirmationem ad ordines praeparantur.

**) Coloss. 1, 12.

***) Psalm. 28, 9. Peschito.

****) Ephes. 2, 14.

est, acciperet, ut quod majus est, daret: uni nos quoque unctione vera ad unitatem Ecclesiae tuae sanctae, dum unum sumus in puritate et sanctitate, ad perfectionem hominis spiritualis, et confitebimur tibi Patrique tuo et Spiritui Sancto.

II. Benedictio olei catechumenorum apud Syros Jacobitas, quae et olei infirmorum.*)

(Ex codice 51. Vaticano olim 4. Echellensi latine vertit R. P. Pius Zingerle O. S. B. Versio tamen primae rubricae est Assemani in catalogo M. S. Collatus est etiam Codex 304.)

Orationes super oleum olivae, quod ad unctionem fit.

Post acoluthiam et officium sacri chrismatis afferunt purum oleum olivae in vase, et apprehendens illud unus presbyterorum affert episcopo, qui dicit orationem super illud, et post episcopum omnes presbyteri, qui adsunt, dicunt similiter orationem et formant signa crucis. Ipsum autem oleum ideo conficitur, ut eo ungantur baptizandi ante chrisma in ipso baptismo; item fit propter sanitatem infirmorum juxta id, quod ait Jacobus, frater Domini: Si quis infirmatur, vocet presbyteros, et ungant eum oleo orationis. Similiter in Actibus scriptum est, quod infirmos plurimos ungebant oleo et sanabantur.

Domine, qui per misericordiam tuam nobis ministris Sanctorum tuorum spirituale donum donasti, quod ad nostram sanitatem sufficit, ad auxilium et refocillationem eorum, qui in fide ab infirmitate nostra salutem et sanitatem pro doloribus suis occultis apertisque petunt, da misericordiam et gratiam etiam per oleum hoc, quod super manus nostras positum est, ut ad sanationem et liberationem a doloribus corporis et morbo animi unicuique sit, qui ejus fit particeps, et confiteamur et adoremus laudemusque te, Domine, et Patrem tuum benedictum et Spiritum tuum Sanctum, bonum adorandumque et vivificantem, tibique consubstantialem, nunc . . . .

Et facit crucem primam unam super oleum dicitque:

---

*) Assemanus in catalogo ait: Unum idemque oleum apud Jacobitas ad utramque unctionem adhibetur. Confer etiam rubricam primam hujus ordinis et directionem Barhebraei (T. I. nostri operis p. 363). Inde etiam ratio desumi potest, cur apud Coptitas specialis consecratio olei infirmorum non occurrat, eo magis, quod apud eos ex benedictionis Galilaei contextu pateat, etiam pro infirmis consecrari (T. I. p. 262. sqq.). Quae si ex antiqua disciplina sint, inde tamen argumentum deduci non potest in quaestione, utrum oleum catechumenorum extremae unctioni inservire possit necne. Nam oleum catechumenorum ab Orientalibus istis ad hunc etiam effectum consecratur et in ritu etiam extremae unctionis orationes super oleum dicuntur, tum apud Coptitas, tum apud Jacobitas.

Oratio altera.

Pater noster, qui es in coelis, Domine mundi, in nomine tuo et in nomine Christi tui et in nomine Spiritus Sancti tui, signavimus signamusque hoc oleum, ut virtutem tuam induat, eique admisceatur auxilium divinitatis tuae, ut omnis, qui dignus fit, ut ex eo ungatur, armaturam Spiritus super membra sua induat, ut contra Satanam omnesque virtutes stare possit. Amen.

Et alteram crucem facit dicitque:

Item oratio haec.

Sancte et laudabilis, cujus sancta unctione prophetae et pontifices et reges et sacerdotes uncti sunt, et qui virtutem suam oleo admiscet, ut signaculum sanctificans hyssopusque dealbans agnis gregis sui sit, veniat, Domine, virtus tua ex altitudinibus excelsis maneatque super oleum hoc illudque sanctificet et fiat signaculum sanctificans corpori fidelium. Adnumeretur gradui adoptionis filiorum, quisquis dignus redditur, ut ex eo ungatur. Adjuventur quoque greges, qui dono tuo coelesti digni sunt.

Et crucem tertiam format:

Deus, qui in clementia sua ad mortales se inclinavit et humilitatem eorum in misericordia sua visitavit, tu o Domine, benedictionem tuam vita plenam super hoc oleum mitte, quo servi tui unguntur, fiatque mysterium veritatis spiritibus eorum et sigillum animabus eorum vitaque eorum corporibus, quia occulta divinitatis tuae virtus in eo habitat eorumque corporibus applicatur. Intellectus eorum corroboretur et mens eorum augeatur. Oculi eorum illuminentur, corporaque eorum sanentur, sitque eis vera armatura, in quam non dominetur peccatum, quamque nec iniquitas contaminet, et ex eo et per illud ad sanctum baptisma praeparentur anima integra justitiae plena, et nativitate spirituali digni evadant atque ad gradum adoptionis filiorum eleventur virtute Trinitatis gloriosae nunc.

III. Ordo reconciliationis et indulgentiae, quae fit apud Jacobitas Syros Sabbato Annunciationis, hoc est, Sabbato Sancto, ad horam nonam.*)

(Ex codicibus 51. sive 4. Ecchellensi p. 309. et codice 305. transscripsit et latine vertit R. P. Pius Zingerle O. S. B.)

Porro scribimus memoriam, quomodo perficiamus oporteat indulgentiam die Sabbati magni tempore nonae.

*) Hanc indulgentiam ut appendicem ad ritus poenitentiales Syrorum Jacobitarum visum est addere, ea etiam ex ratione, quod analogon videatur esse illius indulgentiae, quae in fine Quadragesimae feria 5. in Coena Domini apud Latinos celebrabatur, cujus ritum vide apud Morinum de poeni-

Primum incipit episcopus orationem poenitentiae), quae supra in ordine poenitentium scripta est, dicuntque responsorium:* Cum peccatorum meorum memini*: quod etiam ibi, posteaque episcopus ordinem**) poenitentiae ponit, si vult illum, qui in ordine de poenitentibus scriptus est, et si vult, (alium) ex mente sua. Deinde dicunt vocem, quae in tomo de tempore scripta est. Et post orationem thuris ***) precatio et gemitus ejusdem temporis. Postea episcopus incipit dicitque sermonem de remissione delictorum, quam decet nos oportetque facere invicem. Deinde episcopus ipse in concionem versus in faciem suam super terram genibus flexis procumbit dicens:* Mundemus nos et charitate repleamur in honorem Resurrectionis Salvatoris nostri. *Et ei respondent:* Benedic, Domine, ora pro nobis, *idque tribus vicibus. Deinde quilibet cum socio suo id faciat, et ubi est indignationis aliquid, deleatur.*

Finitus est et hic ordo.

---

tentia p. 7, 19; Amort de indulgentiis p. 19, 24; Martene de antiquis Ecclesiae ritibus ord. 2, 7, 8, 13, 19, ed. Bassanen. 1788 p. 276, 284, 285, 289, 295. Conferantur autem, quae de istarum remissionum sensu ac valore dicta sunt T. I. nostro p. 113. In quorum confirmationem ex hoc ritu nostro afferri potest, hic adhiberi orationes, quae in Sacramenti Poenitentiae administratione usu veniunt; unde remissio poenae canonicae, quam in hoc ordine videmus, non solum coram Ecclesia, sed et coram Deo ad poenas temporales delendas valere, concludere est. Mutua remissio in fine vel indulgentiam comitari tantum dici potest, vel ab episcopo et plebe eo modo fieri, qui utriusque loco atque ordini conveniat: ab episcopo cum auctoritate, ab aliis modo sibi competente. Ita et verba valent Jac. 5, 16, et quod propius hanc nostram materiam attingit, II. Cor. 2, 6—8.

*) Tom. I. nostro p. 447.

**) Ibidem p. 445.

***) Ibidem p. 446.

Ad T. I. pag. 42. Gregorius Barhebraeus, licet accuratiorem se exhibeat in baptismo in casu necessitatis conferendo, singularem tamen de salute puerorum, saltem ex parentibus fidelibus natorum, cum absque baptismo moriuntur, sententiam enuntiat (C. 6. sect. 1. directio): „Puer, quem abortivum edit mulier, si perfecta fuerit configuratio ejus, cum oratione sepeliatur: at si secus, minime. Audiendi vero non sunt illi, qui dicunt, faciendam non esse orationem super eum, quod baptizatus non fuerit. Oportet enim id fieri, quia filius est fidelium et baptismum habemus novissimum, quo baptizantur, qui hic baptizati non sunt."

Ad T. I. pag. 83. sq. Barhebraeus (C. 5. sect. 8.) ita describit ritum consignandi calicis: „Tum accipit hostiam eaque calicem consignat tribus crucibus inquiens: Ut uniat et sanctificet et convertat mistum, quod in hoc calice est, in salutarem ipsius Christi Dei nostri sanguinem in remissionem peccatorum" etc. Inde concludendum est, revera inter Jacobitas Syros occurrere opinionem, vinum per particulam immixtam converti in sanguinem Christi.

Ad T. I. p. 486. Can. XXCV. Legendum est: ex pane triticeo et horno.

Ad T. II. pag. 50. not. **). Φωστάτον sive φοσσάτον pluries occurrit in coronatione imperatoris graeca apud Habert in Pontificali Graecorum pag. 611. 699. pro exercitu. Unde concludendum est, vocem origine latinam esse et significatione originaria castra denotasse.
